AUTHOR:

SALLUSTIUS CRISPUS, C.

TITLE:

C. SALLUSTI CRISPI OPERA QUAE...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1824

Master Negative #

91-80208-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87SI Catilina 1824
E24
Sallustius Crispus, C
C. Sallusti Crispi Opera quae exstant praeter fragmenta omnia, textum recognovit et illustravit Guilielm. Lange ... Editio secunda auctior et emendatior. Halis Saxonum, ex libraria Hemmerdeana, 1824.
xv, 432 p. 18 cm.

Title-page mutilated.

28926

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x ZA
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9/4 INITIALS BG
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

C. SALLUSTII CRISPI
OPERA
QUAE EXSTANT
PRAETER FRAGMENTA
OMNIA.

TEXTUM
RECOGNOVIT ET ILLUSTRAVIT

GUILIELM. LANGE
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET PROFESSOR,
ACADEMIAE BIBLIOTHECARIUS ET SCHOLAE IN
ORPHANOTROPHEO LATINAE COLLEGA.

Crispus Romana primus in Historia.
MARTIAL. XIV, 189.

EDITIO SECUNDA AUCTIOR ET EMENDATIOR.

HALIS SAXONUM
EX LIBRARIA HEMMERDEANA
1824.

EDITIONIS PRIMAE
PRAEFATIO.

In nova hac Sallustii editione elaboranda propoſitum mihi fuit, ut, quaecunque partim ad reſingendam genuinam auctoris formam, quantum id ex paratis jam ſubſidiis fieri poſſet, partim ad ſenſum, vel indagandum, vel explicandum neceſſaria viderentur, uno veluti in conſpectu, quam breviſſime proponerentur. Eſt igitur haec editio praecipue deſtinata iis, qui pluribus editionibus vel carentes, vel, ne nimia notarum farragine distrahantur, eas repudiantes, Salluſtium legere et rite intelligere velint, et tempori et operae parcentes. Quod conſilium utrum aſſecutus ſim nec ne, aliorum eſt judicium; me id ſecutum eſſe, candide affirmo.

Itaque ante omnia id operam dedi, uti textus, quem dicunt, recognitus, quam accuratiſſime excuderetur, deinde ut notae, huic ſubjectae, non evagarentur, aliosque potius quam Salluſtium explicarent, ſed omnia, quae ad ipſius ſcriptoris vel lectiones firmandas vel res rite explicandas, vel denique ad interiorem linguae latinae cognitionem utilia viderentur, ſpatio quam breviſſimo complecterentur.

Jam quod ad *criſin* attinet, eas fere ubique lectiones defendere vel recipere conatus ſum, quae non ſolum contextui, ſed etiam linguae uſui, quum

communi, tum auctoris proprio convenirent, majorique, ceteris paribus, Codicum numero haud contrariae essent. Fuit autem haec recognitio ideo potissimum necessaria, quod *Cortius*, quamquam ingenii acumine, doctrinae copia diligentiaeque laude ornatissimus est, ei tamen, pro imbecillitate humana, opinionis errori adhaesit, quod Sallustius *verborum* sit parcissimus, ita, ut si quis veram illius manum restituere voluerit, ei omnia, quae vel salvo, vel obscuro etiam sensu deesse possint, invitis Codicibus, abjicienda sint. Hinc *Cortius*, praeter verbum personale, subinde ea quoque delevit, quae salvo sensu, re accuratius perpensa, deesse non possint. Qua in ejus regula prospere profecto evenit, ut sibi non consentaneus esset, cum alioquin tam multa relegasset mutassetque, ut non Sallustium, sed alium prorsus auctorem haberemus. Nam etsi multa delevit atque mutavit, tamen ex ejus lege, plura delenda restant, quam deleta sunt. Jam vero hanc brevitatis verborum legem, in Sallustio recensendo perversam esse exstirpandamque, cuivis facile elucebit, qui unam modo, alteramve plagulam, eo consilio perlegerit, ut quaecunque salvo sensu deesse possint deleat. Bene igitur atque vere *Gruterus*, de Sallustio meritissimus, non solum ad Catil. c. 1. monet: „Sallustii breviloquentiam non in iis consistere, quae vulgus putet, sed etiam ad Jug. c. 2. iterum inculcat:" ne quis illius brevitatem in verborum brevitate sitam esse putet." Nimirum Sallustii brevitas in adstricta potius rerum enarrandarum ratione, quam in circumcisa dictione quaerenda est; quod vel inde clarum est, quod utrumque bellum, nulla re, quae gravioris momenti sit, omissa, duobus his perexiguis voluminibus absolverit. Praeterea *Cortius* in eo quoque erravit, quod Sallustius ubique archaismis usus sit eodemque semper ore locutus. Illum varietatem potius amare, nec certam ubique normam sequi, plura sunt quae demonstrent.

Quam injuriam non consulto; sed animi humani errore Sallustio, illatam quum intelligeret *Havercampius*, talem ille editionem adornavit, in qua, seposita prorsus et non respecta editione Cortiana, (ne hominum, credo, doctorum seditionem moveret) hujus scriptoris textum sic excudi fecit, ut ante Cortium fuit, (Grutero — Wassianum) adjecta e Codicib. nondum collatis lectionis varietate additisque Variorum, quas vocant, animadversionibus.

Atque hunc Havercampii textum equidem maxime secutus sum, ita tamen, ut, si qua lectio vel sensui et contextui, vel loquendi usui, quum communi, tum Sallustii proprio accomodatior videretur, ego securus, quisquis Codex eam exhiberet, recipere non dubitarem. Nam inter omnes satis constat, saepius optimum alias Codicem, nonnullis locis lectionem exhibere vitiosiorem, quam qui levioris notae habetur; ita ut vera auctoris manus, non tam in singulis Codicibus, quam in omnibus conjunctis conservata videatur. Plurium igitur Codicum consensus gravissimi erit momenti, unius vel optimi, nisi reliqua omnia concurrant, vel nullius vel levissimi.

Nonnullarum variantium ideo tantum mentionem feci, quod receptam lectionem quam brevissime explicare posse videbantur.

In *explicandis* vero quum rebus tum verbis, quibus crisis tantummodo servit, id potissimum spectavi, ut non cuivis obvia, vel tantum ex orationis perpetuitate (quae inprimis respicienda est) clara, vel explicarem, vel, quum non omnia cuivis simul in promtu esse possint, in memoriam saltem revocarem. Hinc annorum numeros locorumque situm atque alia ejusmodi generis addere non alienum visum est.

Ne quis vero miretur, quare, invito meo brevitatis ſtudio, magna tamen ſit in hac editione animadverſionum copia, hoc ab ipſa Salluſtii in rebus brevitate venit, qui ut rite explicetur, pluribus notis, quam alius eget. Accedit, quod idem eſt in dictione ſingularis, ita, ut, ſi quis alius, accommodatus ſit, in quo plura ad interiorem linguae latinae cognitionem utilia, tironibus in primis impertiri poſſint. Ante omnia vero reſpiciendi erant difficiliores loci, quos qui, ſeu erroris, ſeu laboris fuga intactos prorſus relinquit, is boni interpretis officio haud ſatisfeciſſe cenſendus eſt. Quod enim tui laboris pretium, quae gratia erit, ſi explicitis tantum facilioribus, et centies jam dictis recoctis, lectorem ibi deſeris, ubi auxilium a commentatore jure meritoque exſpectare poſſit? Niſi ipſe dederis, quod ſatis faciat, aliis tamen acutioribus viam ad meliora impertienda muniveris.

Indicem verborum, in quem plura, quae in notis ſunt, melius conjecta fuiſſent, ideo non adjeci, ne a conſilio meo, neceſſaria quaeque, aut quae talia viderentur, uno loco proponendi diſcederem *).

Reſtat ut *ſubſidia*, quibus plura debeo, quaeque in notis, literis tantum initialibus deſignavi, ex ordine alphabetico, quam breviſſime afferam.

B. Significat editionem *Bipontinam* IIdam 1780. octon., quae plura quidem e lectione vulgata contra Cortium in textum revocavit, ſed plura tamen praeteriit, nec raro, praeter neceſſitatem conjecturas recepit.

C. Cortianam. Lipſ. 1724. quatern., ubi Cdd. 34. et Edd. vett. 9. collati ſunt.

*) *In editione ſecunda hoc conſilium ex parte immutatum eſt.*

D. Dahlii Animadverſiones in bellum Catilinarium germanice ſcriptas indicat, ſeorſum a textu editas Brunſuic. 1780. 8. Multa inſunt, quum ad emendandum, tum explicandum Catilinarium bellum utilia, ita ut negandum non ſit, Dahlium de Salluſtio bene meritum eſſe. Idem in dijudicanda lectione ſaepius a Cortio recedit.

H. Havercampii editio eſt, duob. tomis edita, Amſtelodam. et alibi 1742. quatern., quae Cdd. 13. et Ed. princ. Rom. 1470. contulit. Textus ejus eſt Grutero-Waſſianus.

Hotting. Hottingeri eſt nitida et correcta, nec non critica editio, quae in lectione dijudicanda haud raro a Cortio diſcedit. Turici 1788. octon. Textus Cort. eſt.

K. Kuhnhardti V. C. editio utriusque belli noviſſima eſt. Lipſ. 1812. octon., quae textum Cortii ſequitur et plura ad Salluſtium rite interpretandum confert.

T. Telleriana. Berolini 1790. octon. In textu plura, operarum vitio, deſunt. Index verborum, copioſus, utilis eſt, nec contemnendum variarum lectionum examen, ſed parum commoda eſt editio, ſingula quaeque locis diverſiſſimis exhibens. Textum Cort. ſequitur.

B. ſ. Broſſ. de Broſſes Hiſtoire de la Republ. Romaine dans le cours du VIIe ſiècle. Tom. I-III. Dij. 1777. quatern. *).

Poſtremo *Rienäckeri*, eccleſiae reformatae, quae hic eſt, paſtoris meritiſſimi operam, qui plu-

*) *His ſubſidiis alia in ſecunda editione acceſſerunt, quae in illius praefatione nominabuntur.*

res hujus editionis plagulas, humanissime corrigendas suscepit, meque non solum ad plura attentum reddidit, sed etiam nonnulla gratissimo a me accepta animo suppeditavit, silentio praeterire non possum.

Ceterum nihil magis in votis est, quam ut hac qualicunque opera mea, aliquid saltem adjumenti, vel ad formam scriptoris, mihi carissimi, meliorem, vel ad explicationem accuratiorem, intelligentibus harum rerum aequisque judicibus contulisse videar. Humanam reprehensionem non reformido, nam in pluribus errasse me scio, contumeliosa vero dicta, qualia rudibus conveniant et ab omni vero animi cultu remotis, non tam mihi, quam censori ipsi dedecori fore confido.

Scribeb. Halis mense Septemb. 1815.

EDITIONIS SECUNDAE

PRAEFATIO.

Haec iterata editio, cujus curam, a redemtore rogatus ideo quoque recipere non recusavi, quod omissa addendi, vitiosa corrigendi, quantum fieri posset, copiam mihi faciebat, a superiori, quae ante novem annos prodiit, in eo potissimum discrepat, primum, quod numeri in superiori editione iis textus verbis appositi, quae animadversionibus instructa erant, nunc, quia textum male interrumpebant, deleti, eorumque in locum illa textus verba ab initio notarum repetita sunt, ita ut aeque facile invenire possis, ad quae textus verba nota quaevis pertineat.

Deinde capitum summaria post quodvis caput notis praemissa, quae in priori editione, ut spatio parcerem, a capite sexto belli Jugurthini omiseram, in hac repetita editione ad totius libelli finem continuata sunt, quod tum ad totius congruentiam opus esse videbatur, tum a nonnullis hujus editionis fautoribus optatum est. Quorum benevolenti desiderio etiam in eo lubenter satisfecissem, ut sectiones capitum minores, quae paragraphi vocantur, in margine numeris indicassem, (quamquam in reliquis, praeter Cortianam editionibus, haud dubie ob plurimorum capitum brevitatem desunt,) nisi illud desiderium dum demum ad aures meas pervenisset, quum jam plures hujus alterius editionis plagulae excusae essent.

Ad textum accuratius etiam quam antea recognoſcendum magno ſane adjumento fuit *Franciſc. Doroth. Gerlachius*, qui multorum Codicum nondum collatorum lectiones una cum textu accurate et ſplendide edidit Baſileae Vol. I. 1823. q. Nihil tamen magis doleo, quam quod ejusdem Viri doctiſſimi commentariis, qui in ſecundo demum volumine ſequentur, uti non potui. Hanc editionem in notis litera *G* ſignificavi.

Ad manum quoque fuit *Notitia Codicis Manuſcripti Roſtochienſis*, quam una cum ſpecimine praecipuarum lectionis varietatum publice exhibuerunt J. Chr. Guil. *Dahl* et P. Dan. Fried. *Zaepeliehn.* theologiae ſtudioſi. Lipſ. in commiſſ. apud Kleyb. 1791. 8. quae mihi a *Seebodio* de literis optimis meritiſſimo perbenigne communicata eſt.

Praeterea in explicando ſcriptore me quoque juvit editio *O. M. Mülleri* V. D. qui, poſtquam libellum inſcriptum: Salluſtius Criſp. *oder hiſt. krit. Unterſuchung der Nachrichten von ſeinem Leben* etc. in novae editionis ſpecimen praemiſerat (Züllichau 1817. 8.), editionem quoque promiſſam ſequi fecit ibid. 1821. 8., in qua explicationem magis quam criſin ſpectans, ex anteceſſorum animadverſionibus quae probabat, aut iisdem verbis aut ſuis, quam breviſſime repetiit, aut ubi diſſentiebat, ſine omni disputatione aut reprehenſione ſuam ipſius explicationem paucis appoſuit. Huc accedit, quod auctorem ſuum pluribus locis cum aliis Graecis Romanisque ſcriptoribus utiliter comparavit. Hujus editionis ſignum in notis eſt *M.*

Praeter has duas editiones, non intermiſi conſulere virorum doctorum de priori mea editione, quae quidem in notitiam meam venere cenſuras; unde vel animadverſiones correxi vel discrepantem eorum ſententiam appoſui. Quae ipſe in ſuperiori editione aut vitioſa aut non ſatis clara, aut denique omiſſa inveniebam, ea corrigere, clariora reddere, et addere operam dedi.

Frieder. Carol. de Strombeck V. C. excellentem germanicam converſionem, quae non ſolum auctoris ſenſum, ſed etiam colorem accuratiſſime reddit, Gottingae 1817 editam, me non inconſultam ſiviſſe, ſed pluribus locis in auxilium vocaſſe, non eſt quod affirmem. Quam praeclaram converſionem literis *Str.* inſignivi.

Praeter nominum propriorum indicem, huic ſecundae editioni grammaticum quoque adjeci, quem in tali ſcriptore haud inutilem fore ſperavi.

Sed quamquam plura correxi, mutavi, delevi, addidi, tamen non dubito, quin plura vitioſa remanſerint, et vehementer laetabor, ſi intelligentes harum rerum aeſtimatores hanc iteratam editionem indulgenter exceperint eamque dignam habuerint, quae communibus ſtudiis ad majoris perfectionis gradum paullatim accedat.

Ad poſtremum Virum illum doctiſſimum, humaniſſimum, qui me inter alia docere voluit, in verbis Salluſtii ab initio Catilinae occurrentibus, pronomen *ſeſe* non ad *ſtudent*, ſed ad *praeſtare* referendum eſſe, rogatum volo, ut quae dixerim, alias accuratius inſpicere velit.

Scribebam Halis menſe Julio 1824.

SALLUSTII VITAE
ADUMBRATIO.

C. *Criſpus Salluſtius* ſ. rectius, ut videtur, *Salluſtius Criſpus* dictus, Amiterni in Sabinis, patre plebejo (alii dicunt patricio) a. u. 668. natus eſt. Romae in primis uſus eſt disciplina Atteji Praetextati, qui Philologum ſe nominavit (Sueton. de Illuſtrib. Grammat. c. 10.). Mature jam hiſtoriae ſtudium amplexus (Salluſt. Cat. 4.) poſtquam Tribunus plebis (702) deinde Quaeſtor (706) et Praetor (708) fuerat, Numidiae eſt a Caeſare, cujus legatus antea fuerat, praefectus eamque provinciam expilavit (Dio Caſſ. XLIII, p. 346.). Poſt Caeſaris caedem, Romae, dives in Numidia factus, otio et literis vixit, ſcripta ſua componens, donec anno aetatis 51 (718 a. u.) obiret.

Praeter bellum *Catilinar. et Jugurthinum* (quorum illud prius quam hoc, Romae in otio compoſuit), e ſcriptis ejus nihil nobis reſtat, praeter fragmenta *Hiſtoriae Romanae*, in qua res Romanorum inter bellum Jugurthinum et Catilinar. geſtas (648—690) memoriae mandaverat. Nam *Literae duae* ad Caeſarem, de ordinanda Republ. ſcriptae, non magis Salluſtii eſſe videntur quam *Declamatio* in Ciceronem, quae eo prorſus indigna eſt. Vid. Gesn. ad Quinctil. IV, 1, 68.

In ſcribendi genere aemulus fuit Thucydidis. (Vellej. Paterc. II, 36, 2. cf. Senec. Declam. IX, 1.),

cui Quinctilianus non veretur, eum opponere (Inſtitutt. X, 1, 101. ed. Gesn.) Verba e Catonis Originibus exſcripſiſſe eum dicit Octavianus (vid. Suet. Octav. c. 86. et cf. Quinctil. VIII, 3, 21.) Plurima eum e graeco fonte transtuliſſe idem Quinctilianus auctor eſt (IX, 3, 17.) qui et brevitatis ejus mentionem facit (IV, 2, 45. X, 1, 32.) et *velocitatem* ejusdem immortalem vocat (X, 1, 102.)

Quantam curam poſuerit in ſcriptis componendis, ex ipſo ejus opere manifeſtum eſſe idem affirmat (X, 3, 8.); ſed praefationes in bello Jugurthino et Catilinario nihil ad hiſtorias pertinentes, non tam vituperat, quam in rei conceſſae et ab Iſocrate mutuatae exemplum affert. (III, 8, 9.) Quomodo cum ipſis ejus opellis cohaereant, in earum argumentis indicare ſtudui. (p. 1. et 178.) Tacitus imitator ejus, eum *ſcriptorem florentiſſimum* appellat (Ann. III, 30.); Martialis *primum* in Hiſtoria; (XIV, 189.) Quinctilianus *auctorem hiſtoriae* (Livio) *majorem*, ad quem tamen intelligendum jam profectu opus ſit. (II, 5, 19.)

Contra crimina, quibus veterum plures, mores ejus inceſſivere, partim ipſe ſe defendit, malam ſuam famam in invidiam conferens (Cat. c. 3. extr.), partim inter recentiores invenit, qui eum defenderent. *Wieland*, ad Horat. Satyr. I, 2, 48. p. 57. *Roos über den moral. Character des Salluſt.* Gieſsen 1788. 4. *Naſt* de virtutibus hiſtoriae Salluſtianae. Stuttgart 1785. 4. et de modo hiſtoriam veterem tractandi ibid. 1786. 4. His poſtea acceſſit *O. M. Müller* in libello inſcripto: C. Salluſtius Criſpus, *od. hiſt. krit. Unterſuch. der Nachrichten von ſ. Leben* etc. *Züllichau u. Leipzig* 1817. cf. *Ergänz. Bl. d. A. L. Z.* 1818. n. 117. p. 930. ſqq. Contra quos omnes bene ſurrexit *J. W. Loebell*: *zur Beurtheilung d. C. Salluſtius Criſpus.* Breslau 1818. 8. ab anteceſſoribus ita disce-

dens, ut Salluſtium non ab omnibus veterum criminationibus purgandum eſſe demonſtrare conetur.

Numidiae ab eo expilatae probrum (vid. Dio Caſſ. XLIII, p. 346. quem locum *Wieland* prorſus praeteriit) non minus quam alia, quae auctores haud leves teſtantur, ei ſemper credo, adhaerebunt.

Hinc optime Cortius (Praef. p. 2.) judicat: nos *Hiſtoriam* ejus legere, non *morum* cenſores eſſe.

ADDENDA.

Cenſor doctiſſimus, qui mihi contigit in Ephemerid. literaturae universalib. Jan. 1816. n. 18. p. 139. ad Cat. c. 1. n. 10. animadvertit, Salluſtium non ſolum ſuperlativos antiquo et veluti Boeotico more in *u* formatos uſurpaſſe, ſed etiam literis *u* et *o*, pro recentioribus *i* et *e*, uſum eſſe e. g. in exiſtumans, aperiundum, viſundi, conficiundi, voltu, volneribus, advorſus aliisque, neque formam illam ſuperlativorum in *u* ubique legi e. c. Cat. 61. extr. p. 177. ſtrenuiſſimus, Jug. 85. extr. turpiſſimae. Quibus adjungo in priori loco alios Cdd. non ſtrenuiſſimus, ſed *ſtrenuus* legere, in poſteriori vero Cort. et Haverc. *turpiſſimae* quidem in textu habere, ſed Haverc. in nota ad h. l. *turpiſſumae* ſcripſiſſe.

Cat. 2. n. 10. p. 5. *periculis atque negotiis* idem cenſor ita explicat, ut *pericula* ſint, quae civitati alicui ab aliis timenda ſint, ſeu quae ab aliis patiatur, *negotia* contra, quae ipſa ultro contra alios ſuscipiat.

Praeterea bonas quoque aliquot ſymbolas ad locos nonnullos in prioribus Catilinae capitibus obvios, cum emendandos tum explicandos contulit *A. Schlegel*, quae in *Seebodii* Bibliotheca critica Jahrg. I. B. II. Heſt 7. p. 714—722. leguntur. Ibi lectionem vulgat. *eget* (c. 1. extr.) ſimilibus aliorum locis tuetur. C. 3. (in mea editione p. 8.) *ſupra ea* e Graeciſmo, explicat, ſupplens ὄντα; quod et apud alios auctores ſupplendum eſſe monet. — Ibidem lectionem *a ſtudio* defendit, explicans: ab animi inclinatione: ita tamen, ut *a* ſtudio gravius dictum ſit, quam *ſtudio* (ſine *a*). — Ibid. voces *fama atque invidia* ſenſu activo accipit i. e. ut, captarem famam, et aliorum virtutibus inviderem. Ceterum pro *cupido*, quod h. l. occurrit, cum Kuhnh. *cupidum* eſſe legendum cenſet. — C. 7. in verbis *ſic ſe* hoſtem ferire, cum Waſſio *ſic* explicat per *adeo*, et ad verba proxime antecedentia refert hoc modo: ſic ut maximum inter eos certamen eſſet. — Sed, ne longus ſim, reliqua lectoribus ipſis legenda committere cogor.

CORRIGENDA.

Pag. 6. n. 20. ante H. adde: Pro *tranſegere.* — p. 19. n. 12. ante *Obſerva* adde *laudis avidi.* — p. 27. n. 16. ab initio adde *in Aſia.* — p. 44. n. 6. extrema, lege 15 pro 14. — ibid. n. 7. ab initio adjice: *in provinciam.* — p. 59. n. 7. linea extrema, pro *pui* lege *qui.* — p. 64. (in textu) pro *paulo* lege *paullo*; idem fac ibid. n. 5. — p. 68. (in textu) lin. 8. et in not. 3. lege *paullo* pro *paulo.* — idem facias p. 130. (in textu) lin. 2. et in nota 15. — p. 137. nota 40. pro *iracunda* lege *iracundia.* — p. 170. n. 27. vocem *muro* (poſt *aeſtumo*) dele. — p. 180. n. 14. pro *effluxere* lege *defluxere.* — p. 193. n. 14. pro *propero* lege *proſpero.* — p. 198. n. 13. (lin. 4.) poſt φθόνος lege: παρακολουθεῖ, καὶ τὸ μὲν ἡττηθὲν τοῖς τοιούτοις ἀδικεῖσθαι, τὸ δὲ νικῆσαν ἀδικεῖν δοκεῖ. — p. 205. n. 7. lin. 7. lege: *dem Vater freund.* — p. 214. (in not.) pro numero 12 lege 11. — p. 223. n. 14. pro *ſupera* lege *ſuper.* — p. 258. n. 6. extr. pro o lege 8. — p. 265. in argumento lin. 3. lege *quaeſtiones.* — p. 274. n. 4. lin. 3. pro *paraverunt* lege *paraverant.* — p. 277. n. 2. lin. 3. pro *conſciliare* lege *conciliare* — p. 324. in argumento lin. 3. pro *conſtitum* lege *conſtitutum.* — p. 385. n. 11. lin. 3. (ante *aut*) lege *nonnulli*, pro *plerique.* — p. 387. n. 1. lin. 11. lege: B. *in hiberna* conjungit etc. — p. 388. n. 13. lin. 2. *nis* dele. — p. 391. n. 18. lin. 3. lege (ejus verbis). — p. 392. n. 50. loco Marius lege *Marium.* — p. 393. n. 4. lin. 2. poſt *n.* adde 7. — p. 398. n. 17 lin. 2. pro *fingebant* lege *fingerent.* — p. 409. n. 10. pro *palim* lege *palam.*

C. CRISPI SALLUSTII
C A T I L I N A
SIVE
DE CONJURATIONE CATILINAE.
(vid. c. 4. extr.)

Caput I.

Omnis homines, qui ſeſe ſtudent praeſtare ceteris animalibus, ſumma ope niti decet, vitam

---

Caput I.

In prooemio (c. 1—4) auctor ſe excuſat, quod muneribus reipublicae relictis rerum geſtarum ſcriptor evaſerit; more Ciceronis, qui in libris philoſophicis otium ſuum licet philoſophiae ſtudio dicatum ſaepius tamen excuſat; quippe quum indignum haberetur, negotia (publica) relinquere et in otio etiamſi literis occupato ſine *publicis* negotiis vivere. Vid: Cic. de Off. I, 9.

Primi capitis ſummarium eſt: *Qui reliquis animalibus praeſtare voluerit, cum virtuti i. e. ingenii culturae, in qua ſola hominis praeſtantia ineſt, operam dare oportet; ſine qua nihil laude dignum effici poſſit.*

1) *Omnis.* Haec eſt vulgaris lectio. Perpauci tantummodo *omneis* et *omnes* habent. Vetuſtiſſima nimirum accuſativi pluralis tertiae declinationis forma fuit in *eis*, unde reliquae duae in *is* et *es* ortae ſunt, in altera *e*, in altera *i* omiſſo. Poſteriorum duarum rarior eſt terminatio in *is*, quam ſcriptores nonnulli in nominibus, quae genitivum nominativo ſimilem formant (*omnis*, *navis*, *civis* etc.) aliisque pluribus praetuliſſe videntur; quamquam ob Codd. inconſtantiam nihil certi ac tuti eſt in hac ſubtilitate grammatica. Vid. Gellius XIII, 20 et Heyne in praefat. ſecundae edit. Virgilii, quae legitur in editione tertia p. 96. Cf. Priſcian. L. VII. p. 775. ed. Putſchii.

2) *ſeſe ſtudent praeſt.* i. q. qui praeſtare volunt, ſine *ſeſe*, quae poſterior conſtructio uſitatior eſt. *Seſe* au-

ſilentio ne transeant, veluti pecora, quae natura prona atque ventri obedientia finxit. Sed noſtra omnis vis in animo et corpore ſita eſt: animi imperio, corporis ſervitio magis utimur: alterum nobis cum diis, alterum cum belluis commune eſt. Quo mihi rectius eſſe videtur, ingenii, quam virium opibus

---

tem (accuſat.) copulandum eſſe cum *praeſtare* (infinitivo) per ſe intelligitur. Ceterum et Cicero in eadem cauſa pronomine utitur, Off. II, 20. „gratum *ſe* videri ſtudet." Simili modo et *velle* et *malle* a Cic. et aliis conſtruuntur. Cic. l. c. c. 22. et Liv. XXII, 13.

3) *ſilentio* dupliciter explicari poteſt 1) *ita ut ipſi ſileant* i. e. nihil dicant *aut agant*, quod memoria dignum ſit, 2) *ita ut alii* (aequales et poſteri) *de iis ſileant*. Prior explicatio praeferenda videtur. Cf. Liv. III, 21.

4) *prona.* Capite ad humum demiſſo. Hominem contra dii ὀρθὸν ἀνέστησαν (Xenoph. Mem. I, 4, 11.) Cic. de Legg. I, 9. „nam cum ceteras animantes abjeciſſet (natura) ad paſtum, ſolum hominem erexit."

5) *noſtra omn. vis.* Quippe una vis noſtra corporis eſt, altera animi; hinc *omnis* noſtra vis e duabus viribus compoſita eſt. — Poſt vocem *ſita* C. temere omiſit *eſt*. Non tam in verbis, quorum plura ſalvo ſenſu abeſſe poſſint, quam in adſtricta narrandi ratione, Salluſtii brevitas quaerenda eſt.

6) *Alterum* (prius) refer ad *animus*. Nam etſi eſt neutrum, tamen ad *animus* pertinere poteſt. — Nos: *das Eine — das Andere.* Poſſunt enim ſub adjectivi neutro omnia comprehendi. Hinc dicere licet: triſt*e* lupus ſtabulis, mulier fragil*e*, i. e. *Etwas Trauriges* etc. Plato Phaed. c. 12. „τῷ μὲν (σώματι) δουλεύειν καὶ ἄρχεσθαι ἡ φύσις προστάττει, τῇ δὲ (ψυχῇ) ἄρχειν καὶ δεσπόζειν." — *diis* autem revocavi pro *dis*, quod C. e paucis libris recepit.

7) Verbum *eſſe* (ante *videtur*) C. pro more omiſit. — *Quo* i. q. quare.

8) *Virium.* Ex oppoſito patet, *vires* h. l. eſſe vires corporis ſ. corpus. Cic. de Offic. II, 13, 9. „eae res, quas perſequimur *ingenio ac ratione*, graviores ſunt, quam illae, quas *viribus*."

gloriam quaerere, et, quoniam vita ipſa, qua fruimur brevis eſt, memoriam noſtri quam maxume longam efficere. Nam divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis eſt: virtus clara aeternaque habetur.

Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis

---

9) *Vita — qua fruim.* i. e. haecce vita noſtra praeſens, oppoſita vitae futurae, in hominum memoria.

10) *max. longam* longiſſimam. Praeterea notandum, Salluſtium ſuperlativos per *u* formare ſolere: c. 2. *maxumum*, et *maxumo*; c. 3. *optumum*; c. 4. *veriſſume*, quae eſt antiquior ſcriptura. Vid. Marius Victorin. de arte grammat. I, 2456. ed. Putſch. Litera *u* eodem more ut Francogallorum *u* pronunciata facile in *i* transire potuit. — *efficere* i. q. reddere. Cic. Epp. ad Fam. XIII, 52.

11) *clara — habetur.* Habetur i. e. *ſe habet* (*verhält, befindet ſich*) ſ. eſt; graece ἔχεται. c. 57. „egeſtas *habetur* ſine damno." (*beſteht*) c. 6. „ſicuti pleraque mortalium habentur (wie es mit den meiſten menſchl. Dingen *beſchaffen iſt*). Tacit. Hiſt. II, 50. „aequalitas facile *habebatur*" (*beſtand* od. *erhielt ſich leicht.*) cf. c. 2. aequabilius — ſeſe res humanae *haberent* (würden ſich verhalten, beſchaffen ſeyn, *ſeyn.*)

12) *divitiar. et formae* i. e., omnium rerum externarum. — Cf. Jug. 2. Poſt *fragilis* C. omiſit *eſt*.

13) *virtus* i. e. animi ſeu ingenii cultura et vis. Virtus enim in univerſum eſt perſonae et rei cuiusque conditio perfecta. Virtutem h. l. pro fortitudine accipi, nexus totius vetat. Cf. Jug. 4. Sed ad concinnitatem melior eſt lectio Codicis Cizenſ. qui habet: virtus *ingenii*. — clara i. q. immortalis, cf. Jug. 1, 7.

14) *Sed diu.* Dehinc nova ſectio incipit, quae finitur capite ſeq. verbis; „in bello plurimum ingenium poſſe." Demonſtratur enim h. l., quod multis contra viſum eſt, etiam rem militarem, in qua excellere glorioſiſſimum putatur, non tam *corporis*, quam *ingenii* viribus melius procedere.

procederet. Nam et prius, quam incipias consulto, et, ubi consulueris, mature facto opus est. Ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio eget.

CAPUT II.

Igitur initio Reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant.

---

15) *incipias.* Supple: aliquid in bello.

16) *Consulto.* Consultum (consilium) animi s. ingenii est, factum, corporis. C. 43. „*facto* non *consulto* in tali periculo opus esse." Tacit. Hist. I, 62. „Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi *facto* magis, quam *consulto* opus est."

17) *eget.* Quamquam ejusdem fere vocis repetitio (*indigens — eget*) ad rem magis firmandam accomodata est, tamen Palmerii conjectura *veget* (i. q. viget) quam Mss. Hispan. et editio 1473 nec non Cd. Roch. confirmat, praeferenda videtur.

CAPUT II.

1) *Igitur* ab initio statim positum apud alios raro, apud nostrum saepius invenitur. Cf. c. 4 init. et c. 54 init.

2) *primum fuit.* Cf. c. 6. n. 14. Aristot. Polit. IV, 2. *Πρώτη μὲν καὶ θειοτάτη ἡ βασιλεία.*

3) *diversi* i. q. diversa sequebantur.

4) *pars — alii.* Ita Sallustius loqui amat (vid. Jugurth. c. 51 et 57.), pro alii — alii, partim — partim.

5) *etiam tum* i. q. etiam tunc: *damals noch* idem recurrit c. 19. et Jugurth. c. 54. et 63.

6) *cupiditate* Supple habendi, seu imperium ultra fines proferendi. Ceterum ad *agitabatur* observa, nostrum frequentativa amare. cf. c. 5.

Postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbes atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare: tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse.

Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret: aequabilius atque constantius sese res humanae haberent; neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneres. Nam imperium facile his artibus retinetur, quibus

---

7) *Postea vero.* Sed postquam homines et populi ingeniosi, quales Cyrus et Athenienses Spartanique fuerunt, cum parva saepius manu magnas expugnationes fecerant, tum demum compertum est, in bello plurimum posse ingenium.

8) *Cyrus.* Persici imperii auctor, ante Chr. circiter 555.

9) *Lacedaem. et Athen.* principes fuerunt Graeciae populi, qui paullatim omnes fere Graeciae populos sub suam redegerant potestatem et imperium Graeciae inter se veluti divisum exercebant. Quamquam autem Lacedaemonii literis non exculti erant, tamen rei militaris ratione ingeniosissimi sunt judicandi.

10) *periculo atque neg.* Explicandum videtur: Didicerunt tandem homines multis periculis atque laboribus, quod antea non putaverant, ingenium etiam in bello plurimum posse. Idem sensus exit e Cort. explicatione, qui periculo atque negotiis pro periculosis negotiis accipit. Alii periculo sumunt pro tentamine. Thucyd. I, 70. *μετὰ πόνων καὶ κινδύνων.*

11) *Quod si regum* cet. Sensus novae hujus sectionis est: *Sed non solum in pariundo regno, verum etiam in retinendo s. administrando ingenium valet plurimum.* Quodsi reges in administranda civitate uterentur ingenio, nulla oriretur seditio et imperii commutatio.

12) *aequabilius* cet. i. e. civitates mutationibus ac turbis minus obnoxiae essent.

13) *ferri* i. e. rapi s. diripi. — *mutari ac misceri* i. e. conturbari et confundi, quae in imperii commutationibus accidere solent.

14) *artibus.* ingenii s. animi virtute.

initio partum eſt. Verum ubi pro labore deſidia, pro continentia et aequitate lubido atque ſuperbia invaſere; fortuna ſimul cum moribus immutatur. Ita imperium ſemper ad optumum quemque a minus bono transfertur.

Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales dediti ventri atque ſomno, indocti incultique vitam, ſicuti peregrinantes, transegere: quibus, profecto contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. eo-

---

15) *aequitate*, qua quisque legibus utens, ſe ſuperiorem non habet, ſed aequalem ſe reliquis civibus gerit. Continentiae (qua quisque ſe intra legum fines continet) oppoſita eſt h. l. libido (*die Willkühr*, *der Deſpotismus*), ut aequitati ſuperbia.

16) *fortuna*, ſupple principum.

17) *ad optimum*, ad meliorem; altero ſuperbo expulſo ſ. trucidato.

18) *Quae homines* cet. In nova hac ſectione docetur, praeter bellum regendaeque civitatis artem, alia quoque vitae humanae negotia minus ſplendida, qualia ſunt agricultura, navigatio etc. ope ingenii melius procedere. — *quae homines arant* etc. pro *aratio* ſ. agricultura, *navigatio*, *architectura*.

19) *parent* i. e. virtuti ſerviunt, ideoque laudanda ſunt. Cap. 51. ab init. „nec quisquam lubidini ſimul et uſui *paruit*." Qui aliter explicant, aut locum corrigere tentant, ii ſententiarum nexum ex oculis perdidiſſe videntur. Virtus igitur eandem retinet hic ſignificationem, quam ſupra habuit. Bene itaque C.: „etiam in his negotiis animo noſtro primae partes debentur." Conſentit D.: „in agricultura, navigatione, aedificatione omnia ex virtute (animi) *pendent*."

20) H. *transigere*; alii malunt *transiere*, quod habent Cdd. Cizenſ. et Roſtochienſ. quodque ob congruentiam cum ſuperiori: „vitam ne ſilentio transeant," ſine dubio eſt praeferendum.

21) *anima* oneri. anima pro animo, ſiquidem in hoc praecipue animam ſ. vitam ponit.

rum ego vitam mortemque juxta aeſtumo, quoniam de utraque ſiletur. Verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.

Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter oſtendit.

Caput III.

Pulchrum eſt bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud abſurdum eſt: vel pace, vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum

---

22) *juxta aeſtumo*, eiusdem pretii habeo.

23) *frui anima*. fructum vitae capere.

24) *aliquo* i. e. *in* aliquo pro alicui negotio ſ. ad aliquod negotium. Sed noſter rariora captat. c. 4. „Servilibus negotiis intentum."

25) *praeclari facinoris*, ſc. in bello ſ. in regno — artis bonae, in pace. Concedit nimirum, vel ſatis jam eſſe, ſi quis modo aliquid, ad quod animi quaedam vis requiratur, conficiat, nec corpori ſoli vivat.

26) Sequitur alia ſectio, cujus ſenſus eſt: „*Sed varia ſunt negotia, quibus bene mereri poſſis, variaque hominibus natura dedit ingenia.*" *Nam praeterea, quod* f a c t i s *laudem tibi comparare poſſis, idem quoque facere licet* d i c t i s; *quam poſteriorem viam ego ſum ingreſſus, a republica gerenda deterritus.*

Caput III.

1) *bene facere* cet. i. e. de republica et factis et dictis bene mereri licet. Sed quoniam uſus eſt verbo *benefacere*, etiam *benedicere* adhibuit, paullum diverſa, quam vulgo habet, ſignificatione. Ceterum benedicere non de eloquentia, ſed de conſcribenda hiſtoria accipiendum eſt.

2) *abſurdum* proprie, quod auribus eſt moleſtum, idem quod *abſonum*, deinde *ineptum* ſ. *alienum*.

3) *fecere* ad facta, quod ſequitur, refer. Et qui *fecere* facta, et qui *ſcripſere*. B. Supplet *bene rei publicae*.

ſcripſere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametſi haudquaquam par gloria ſequatur ſcriptorem et auctorem rerum; tamen in primis arduum videtur res geſtas ſcribere, primum quod facta dictis ſunt exaequanda: dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quae ſibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit: ſupra ea, veluti ficta, pro falſis ducit. Sed ego adoleſcentulus initio, ſicuti plerique,

4) *laudantur.* gloriam ſibi pepererunt.

5) *arduum* exquiſitius pro difficile.

6) *exaequanda.* Equidem explicem; quia dicta cum factis convenire debent, i. e. quoniam vera eſſe debent quae narras; quae hiſtoriae et prima lex eſt (Cic. de Orat. II, 15.), et maximam continet difficultatem, majorem ſane, quam facta magnifica verbis magnificis narrare. Perinde autem eſt, utrum dixeris: facta ſunt dictis exaequanda, an dicta factis. Reliqui interpretes: quoniam hiſtorica expoſitio factis eſt accommodanda, ita ut magnifica facta magnifice quoque narrentur. Vid. Liv. VI, 20. Plin. Ep. VIII, 4. Cic. Orat. 36.

7) *dicta.* Vocem *dicta*, i. e. a te dicta ſ. reprehenſa, C. male expunxit.

8) *factu.* Nonnulla eſſe adjectiva (*turpe*, *incredibile* etc.), quae cum ſupino in *u* conjungantur, ſatis notum eſt. Notandum modo, hoc *u* eſſe antiquum dativum quartae decl. pro *ui*, ideoque *facile factu* idem, ac *facile ad faciendum.*

9) *aequo animo acc.* *Das hört er mit an, läſst ſich's gefallen.* Alii: non pro magnis habet ſ. non admiratur.

10) *ſupra ea* i. e. quae vires proprias ſuperant.

11) *adoleſcentulus.* Hoc diminutivo uſus eſt, ut indicaret, ſibi tum experientiam defuiſſe.

ſtudio ad rempublicam latus ſum, ibique mihi adverſa multa fuere. Nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute; audacia, largitio, avaritia vigebant. Quae tametſi animus aſpernabatur, inſolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla aetas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquorum malis moribus diſſentirem, nihilo minus

12) *ſtudio.* magno animi aeſtu ſ. ardore — quaſi tempeſtate ad munera publica obeunda delatus. Plures MSS. *a ſtudio*, et quoniam paullo poſt (c. 4.) auctor dicit: „*Sed a quo incepto ſtudio me ambitio mala detinuerat*, interpretes vehementer dubitant, utram lectionem ſequantur. Si *a ſtudio* probas, intelligas ſtudium hiſtoriae. Difficile quidem eſt quidquam h. l. decernere, ſed interpretes a Cortio fere omnes priorem lectionem retinent. Praeterea *ſtudio* ſic nude poſitum pro hiſtoriae ſ. literarum ſtudio, duriuſculum videtur, cf. quae dicta ſunt ad cap. ſeq.; quamquam ex altera parte negari nequeat, ſtudio pro nimio ſtudio poſitum, rarius eſſe.

13) Pro *latus ſum* Codd. nonnulli *delatus ſum*; quae lectio, etſi non recipienda eſt, vulgatam tamen bene explicat.

14) *Pudori* oppoſita eſt h. l. *audacia* (*Frechheit*), — *abstinentiae* (int. ab iniquo lucro) — *largitio* (i. e. profuſio ſ. pecuniarum distributio, quae plerumque alteri dat, quod alteri aufert) — *virtuti* (juſtitiae, quae *κατ' ἐξοχὴν* virtus dicitur) *avaritia*, ſ. injuſta habendi cupido. Alii aliter.

15) *Cum ab reliq.* cet. Pro *reliquorum* alii e Cdd. habent *reliquis*; quae varietas ſenſum quidem ipſum non variat, ſed tantum cupidinem a reliquis malis moribus disjungit, dum lectio vulgata Criſpum a reliquis discernit. — Senſus totius: et quamquam a reliquorum ſ. reliquis malis moribus liber eram, et ſolo honoris cupidine tenebar, tamen non minus quam ceteri male audiebam. Ante *eadem* omiſſum eſt *et* vel *nec non*, quod apponere ſatius eſſet, ſi neceſſe eſſet, quam in reliquis quidquam mutare. Alii enim pro *quae* ſcripſerunt *qua*, ut *fama* et *invidia* ſint ablativi, alii voces *quae ceteros* prorſus omittunt.

honoris cupido, eadem quae ceteros fama atque invidia vexabat.

Caput IV.

Igitur ubi animus ex multis miſeriis atque periculis requievit, et mihi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevi; non fuit conſilium ſecordia atque deſidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo, aut venando, ſervilibus officiis intentum, aetatem agere; ſed a quo incepto

---

Loco *cupido* K. conjicit *cupidum*. Ceterum his verbis: fama atque invidia, Salluſtius occurrere videtur crimini, quo illum Africae provinciam expilaſſe dicebant in propraetura.

Caput IV.

Statui igitur, otio meo ita uti, ut res populi Romani maxime memorabiles carptim et quam veriſſime et breviſſime conſcriberem. Initium faciat Catilinaria conjuratio.

1) *Igitur* vid. c. 2. n. 1.

2) *habendam* pro agendam, ut c. 51. vitam *habent*, et Jugurth. c. 85. ubi adoleſcentiam *habuere*.

3) *conterere*. Alias quidem poſt ſubſtantivum (conſilium) poni ſolet gerundium in *di*, ſed infinitivus quoque locum habere poteſt, ubi infinitivus, ut h. l. pro ſubjecto, ſubſtantivum autem pro adjecto eſt. C. 30. „*vendere mos* erat." C. 53. extr. „*praeterire* non fuit *conſilium*." Cic. Off. I, 11. 12. „*jus* eſſe cum hoſte *pugnare*." Ceterum poſt conſilium Cd. Cizenſ. additum habet *mihi*.

4) *agrum colendo*. Quamquam agricultura virtuti paret, ut ſupra (c. 2 extr.) dixit, et ab aliis imprimis laudatur, tamen ratione ſtudii hiſtoriae *ſervile* negotium vocatur, quum ad illud minus ingenii, quam ad hoc requiratur ſervisque curandum relinquatur.

5) *Sed a quo* cet. Vid. c. antecedens n. 12. Salluſtius, antequam munera publica obiret, literarum et imprimis hiſtoriae ſtudio operam dedit, et res Romanorum geſtas ſcribere voluit, ſed abripuit eum mala (dira) ambitio, donec muneribus publicis, in quibus illi multa adverſa fuere, miſſis, idem ſtudium continuaret. Cdd. aliquot: a quo incepto ſtudio*que*, ubi τὸ *que* explicativum eſt: ad id ipſum, quod ante inceperam i. e. hiſtoriae ſtudium.

ſtudio me ambitio mala detinuerat, eodem regreſſus, ſtatui res geſtas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perſcribere: eo magis, quod mihi a ſpe, metu, partibus reipublicae animus liber erat. Igitur de Catilinae conjuratione, quam veriſſume potero, paucis abſolvam. nam id facinus in primis ego memorabile exiſtumo, ſceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda ſunt, quam initium narrandi faciam.

---

6) *carptim*. ita ut res maxime memorabiles inde decerperem (*mit Auswahl*). Non enim hiſtoriam perpetuam, ut Livius aliique, ſed res eius imprimis memorabiles tractare voluit.

7) *abſolvam*. Supple enarrationem. Tacit. IV, 48. „ea de caede quam veriſſime expediam."

8) *Facinus* (a facere), niſi additur *praeclarum* (c. 2.) vel aliud ejusmodi adjectivum, in malam partem plerumque accipitur.

9) *ſceleris — novitate* quod ſceleſtum facinus et novum fuit in republica Romana, et illi maxime periculoſum.

10) *De cujus — moribus*. Qui non ſolum facta narrat, ſed etiam cauſas eorum inveſtigat, ut Salluſtius, is et in hominum primas partes agentium et temporum mores, in quibus utrisque cauſae quaerendae ſunt, inquirere debet. Hinc recte primum (c. 5.) Catilinae *mores* deſcribit, deinde *tempora*, (c. 6 — 14.) quibus Catilina vixit. Schillerus in Wallenſteinii caede: „*Hab' ich des Menſchen Kern erſt unterſucht: ſo weiſs ich auch ſein Wollen und ſein Handeln.*"

Caput V.

Lucius Catilina nobili genere natus fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere: ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens inediae, vigiliae, algoris, supra quam cuiquam credibile est. Animus audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis loquentiae, sapientiae parum. Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem Lucii Sullae lubido maxuma invaserat reipublicae capiundae: neque id quibus modis adsequeretur,

---

Caput V.

Prooemio finito, hic demum incipit narratio ipsa, ita tamen, ut primum Catilinae mores describantur, in quibus altera conjurationis causa sita erat.

1) *Luc. Catilina* natus erat a. u. circiter 647, ante Chr. 109. e gente Sergia, quae originem duxit a Sergesto (Virg. Aen. V, 121.) Aeneae comite, ideoque patricia erat, et nobilis, quod plures viri ex ea orti summis in rep. honoribus functi erant. Catilina ipse in bello contra Marium (665—667 a. u.) Quaestor fuerat Sullae, ejusdemque in proscriptionibus carnifex maxime strenuus. Non solum multos bonos propria manu, sed etiam fratrem suum uxorisque maritum trucidaverat, neque a filio suo, in gratiam Orestillae, quae aliter illi nubere noluit, scelestas manus retinuisse creditur. (c. 15.) Vid. Plutarch. in vit. Ciceron. et Sullae c. 32. et Cic. de Petit. cons. c. 2 seq.

2) *fuit*, quod alii cum *natus*, alii cum sequentibus coujungunt, Cort. contra Cdd. auctoritatem delevit.

3) *ingenio*. Ingenium proprie est, quidquid ingenitum est, ideoque non solum mentis, sed voluntatis quoque conditio; quae posterior significatio hic locum habet: (*Herz.*)

4) *malo pravoque* i. e. corrupto malis artibus.

5) *adolescentia* h. l. est distincta a *juventute*. Est autem adolescens proprie is, qui relictis pueritiae annis adhuc *adolescit*, (intra 17—25 s. 30 annos) juvenis vero, qui adolescentiae aetatem excessit (intra 30—45); etsi saepius hae voces inter se permutantur.

6) *ibique* in iisque bellis et flagitiis.

7) *patiens inediae*. Participia praesentis, quum substantive accipiuntur, genitivum secum habent. Sed patiens *inediae* et patiens *inediam* proprie differunt. Nam patiens inediae est, qui *omni tempore* inediam pati potest, patiens autem inediam, qui *nunc ipsum* (tempore praesenti) inediam patitur. Ita in participiis substantive sumtis et cum genitivo positis temporis vis, iis inhaerens, evanescit. Cf. Priscian l. XVIII. p. 1123. De re hic narrata consentit Cicero Orat. Cat. III. c. 7. adde I, 19. II, 5.

8) *Supra quam*. magis s. ultra quam. — pro Seq. *cuiquam* C. cum Gr. *cuique* ex aliquot libris receperunt.

9) *varius*, in omnes formas mutabilis.

10) *Simulator* cet. Str.: „*Heuchler und Verhehler.*"

11) *loquentiae* Codd. quidem plerique *eloquentiae* legunt, sed alteram lectionem huic loco aptiorem confirmat Gellius I, 15. cf. Plin. Epist. V; 20.

12) *Vastus*. insatiabilis.

13) *Sullae*. *L. Sulla* e gente Cornelia ortus et consul creatus a. u. 665, bellum civile gessit cum Mario, cujus Quaestor fuerat in bello Jugurthino (640—647) et Legatus in Cimbrico (652). Marius enim belli Mithridatici imperium illi eripere tentaverat. Urbe deinde armis occupata et Mario expulso Sulla in bellum Mithridaticum profectus est (666). Eo absente Marius, una cum Cinna, Sullae adversario, ideoque ab Octavio, altero consule, urbe expulso, armatus Romam rediit eaque est potitus. Quibus auditis Sulla bello Mithridatico celeriter ac bene finito rediit (669), et quum Marius mortuus esset (667) et Cinna a militibus occisus (669), multis adversariorum millibus occisis proscriptisque dictatorem se fecit (671) et magistratu hoc deposito (674) mortuus est in Puteolano 675. Vid. Plutarch. in Sylla et Vellej. Paterc. II, 18—28.

dum ſibi regnum pararet, quidquam penſi habebat. Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris, et conſcientia ſcelerum: quae utraque his artibus auxerat, quas ſupra memoravi. Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos peſſuma ac diverſa inter ſe mala, luxuria atque avaritia vexabant. Res ipſa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, ſupra repetere, ac paucis inſtituta majorum domi militiaeque, quomodo Rempublicam habuerint quantamque reli-

---

14) *dum.* dummodo.
15) *penſi* neque quidquam (nihil) ſanctum, ſ. gravis momenti illi erat (perinde prorſus). Nam *penſum*, quod in hac ſignificatione in genitivo tantum occurrit, idem eſt quod *momentum*, cujus genitivus ſemper cum *quidquam* ſ. *nec quidquam* (nihil) ſ. *tantillum* conjungi ſolet. Cf. c. 12. 23. et Jug. 41. Eadem phraſi utuntur Liv. XXXIV, 49. Suet. Domit. c. 12. Nero c. 14. Valer. Max. II, 9, 3.
16) *artibus.* Eo vivendi agendique genere, vitiis, flagitiis. Ceterum *his* pro *illis* poſitum eſt, ſiquidem *hic* et ille vel ſecum confunduntur, vel idem denotant quod *alter — alter.*
17) *quos* refer ad mores; Lectio *quam* (civitatem) facilior eſſet, ſed nusquam apparet. C. „ad *quos* intelligit cives, per ſyneſin."
18) *diverſa.* disſimilia ſ. ſibi oppoſita. Altera enim profundit, altera rapit.
19) *vexabant.* corruptos reddebant, perdebant, inquinabant. cf. c. 20.
20) *tempus.* occaſio. Sed de toto hoc additamento (quoniam — admonuit) Gruterus: „Et haec abeſſe poterant." Ceterum in Jugurth. c. 79: „*eam rem* admonuit."
21) *ſupra* altius repetere, ad tempora ſuperiora redire. Alias quidem poſt hortari ponitur *ut*, ſed dicitur quoque hortari *aliquid;* unde et infinitivus poſt hoc verbum poni poteſt.
22) *domi* cet. Infra c. 52. „belli domique." Jug. c. 51. „militiae domique."
23) *habuerint.* adminiſtraverint. Nos ſimili modo, *wie ſie ſie hielten.*

querint: ut, paullatim immutata, ex pulcherruma peſſuma ac flagitioſiſſuma facta ſit, differere.

Caput VI.

Urbem Romam, ſicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Aenea duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur; cumque his Aborigines, genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum. Hi poſtquam in una moenia convenere, diſpari genere, disſimili

---

24) *ut.* Codd. nonnulli *utque,* quod B. recepit. Cd. Ciz. *et quomodo.*
25) *pulcherrima.* Codd. plures adjiciunt: *et optuma,* quod H. recepit.
26) *differere* refer ad antecedens *inſtituta;* nam dicitur quoque *aliquid* differere pro narrare.

Caput VI.

Sequitur nunc morum reipublicae Romanae deſcriptio, ab urbe condita usque ad Catilinae conjurationem. In iis enim eſt altera (cf. ſummar. c. 5.) *incepti hujus ſceleſti cauſa quaerenda.*

1) Sallustius non in verbis ſolum, ſed etiam in rebus ab aliis discrepat. Hinc Romam, non, ut vulgo narrant (Liv. I, 5—7. Juſtin. I. 43. Dionyſ. Halicarn. I, 45.), a Romulo, quatuor fere poſt Aenean ſaeculis, conditam eſſe tradit, ſed ab ipſis Aeneae comitibus, ejusque loci primis incolis, qui Aborigines (*Ureinwohner*) (de quibus vid. Heyn. ad Uirg. Aen. VII, excurſ. 8. et VIII, exc. 1. 2.) vocantur. Qua in re ſecutus eſſe videtur Cephalonem quemdam, cujus meminit Dionyſ. Halicarnaſſ. I, 73. qui altera aetate poſt bellum Trojanum, a Trojanis cum Aenea profugis, Remo duce, Aeneae filio, urbem conditam retulit. Hinc adjicit Salluſt. „*ſicuti ego accepi.*"
2) *habuere,* i. q. habitavere, ut Graecorum ἔχειν uſurpatur.
3) *ſine legibus* ſupple *ſcriptis.*

lingua, alius alio more viventes; incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint. Sed poſtquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, ſatis proſpera ſatisque pollens videbatur; ſicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta eſt. Igitur reges populique finitumi bello tentare: pauci ex amicis auxilio eſſe. nam ceteri metu percuſſi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti feſtinare, parare, alius alium hortari, hoſtibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis tegere, poſt, ubi pericula virtute propulerant,

---

4) *alius — viventes.* Obſerva pluralem poſt ſingul. *alius.* Deinde Romanos non loqui noſtro more: alius *hoc*, *alius* alio (more), ſed *hoc* et *alius* omiſſis: *alius alio*, quae juxta ſe ponuntur. Infra c. 22. „*alius alii* (dat.) tanti facinoris conſcii." c. 53. „milites *alius alium* laeti appellant. Waſſ. corrigit *alii* alio more *viventes.*

5) *Sed poſtquam* civium numerus auctus erat, et mores magis exculti, nec non potentia eorum creverat.

6) *Sicuti* cet. Sicuti inter homines fieri ſolet.

7) *invidia* h. l. paſſive. Non enim Romani finitimis invidebant, ſed ipſis invidebatur a finitimis, (ſaltem e Salluſtii ſententia.)

8) *tentare* intell. Romanos. Infinitivi hiſtorici originem (*tentare* cet.) imitationi aoriſti Graecorum tribuendam exiſtimat I. H. *Kiſtemaker* (de Origine ac vi verbor. Deponentium Monaſterii 1787. 8. pag. 53.) Equidem vero hunc uſum e narrandi potius feſtinatione, ubi orationis formae negligi ſolent, derivandum puto.

9) *percuſſi.* Alii *perculſi.* Verum quidem eſt, verbo *percellere* Salluſt. ſaepius uti, veluti Cat. c. 43. Jug. 38. 40. 42. 44. 58. 70. 73. 75. 82. 101. tamen quum utrumque de vehemente tum animi, tum corporis motu uſurpetur et major Cdd. numerus h. l. *percuſſi* tueatur, hoc praeferendum videtur. Cd. Ciz. *propulſi.*

10) *parare.* Intell. quae defenſioni uſui eſſent.

11) *tegere.* B. *protegere* ex uno Cod.

ſociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, Reipublicae conſultabant; hi vel aetate, vel curae ſimilitudine PATRES appellabantur. Poſt, ubi regium imperium, quod initio conſervandae libertatis atque augendae reipublicae fuerat, in ſuperbiam dominationemque convertit; immutato more, annua imperia, binosque

---

12) *ſociis* qui ſibi antea opem tulerant.

13) Uſitatius eſt auxilium *ferre*, quam *portare.*

14) *magisque dandis* cet. Thucyd. II, 40. „οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους."

15) *Imper. legitimum.* Qui iis imperabant reges dicebantur, ſed legitimi erant, i. e. populi voluntate conſtituti. Ad *nomen imp.* cf. c. 2. init.

16) *delecti* Eutrop. I, 2. „Centum ex ſenioribus legit (Romulus) quorum conſilio omnia ageret, quos Senatores nominavit propter ſenectutem." Cf. Liv. I, 8. Horum progenies Patricii appellati. Liv. l. c. Ariſtot. Polit. VII, 9. „ἡ μὲν δύναμις ἐν νεωτέροις, ἡ δὲ φρόνησις ἐν πρεσβυτέροις ἐστίν." — *erat* (poſt *validum*) C. pro more delevit.

17) *libertatis* Int. cauſa, quod Salluſt. et alii interdum omittunt. Jug. 88. „quae poſtquam glorioſa modo, neque *belli patrandi* cognovit." Liv. V, 3. „concordiam diſſolvendae maxime tribuniciae poteſtatis rentur eſſe," Tacitus (Ann. III, 27.): „multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae." Vocem *cauſa* Cdd. multi in iisque Roſtock. addunt.

18) *dominationemque* i. e. tyrannidem ſ. imperium non legitimum.

19) *immutato more.* Immutata imperii forma, quae duraverat per annos 244, ſub ſeptem regibus, quorum primus Romulus, ultimus Tarquinius Superbus fuit.

20) *annua.* Annuum eſt, quod per anni ſpatium dura, *anniverſarium*, quod quotannis redit. De re ipſa cf. Eutrop. I, 8.

imperatores sibi fecere. eo modo minume posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

Caput VII.

Sed ea tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum

---

21) *imperatores.* i. e. consules, qui in bello exercitui praeessent.

22) *insolescere.* insolentem s. superbum se gerere. Flor. I, 9. „ex perpetuo (regnum), *annuum* imperium (consulum) placuit (Romanis); ex singulari duplex; ne potestas solitudine (singulari imperio) corrumperetur." Cf. Eutrop. l. c.

Caput VII.

Regibus exactis et libertate adepta Romani omnem gloriam in fortitudine et justitia ponebant.

1) *ea tempest.* eo tempore, ubi reges exacti erant. Vocem *magis* ante *extollere*, quam C. delevit, equidem revocavi; est enim lectio vulgata, non necessaria quidem, sed ideo non rejicienda.

2) *in promtu hab.* i. e. promere, in lucem proferre, explicare, ostendere, non amplius celare; quod sub regibus vix ausi erant.

3) *boni.* ingeniosi, animi magnitudine praediti laudisque avari.

4) *suspectiores* Cic. de Off. I, 19. „ut quisque animi magnitudine excellit, ita maxime vult *princeps omnium, vel solus esse.*"

5) *adepta.* Verba deponentia et inprimis participia praeteriti saepius passive occurrere, satis constat. Sic c. 48. *machinatum.* Jug. 17. „*interpretatum* nobis est." c. 25. sed ab iisdem summa ope *enisum* est. c. 101. *adeptam* victoriam" et Cic. de Senect. c. 2. senectutem *adeptam.* Idem de Off. I, 8, 10. *meditata;* cujus generis verba a grammaticis communia vocantur. Vid. Charis. p. 158. 159. et Gell. XV, 13. qui

brevi, creverit. tanta cupido gloriae incesserat. Jam primum juventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labos insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: sic se quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant: gloriam ingentem,

---

plura exempla profert. Cd. Cizens. adepta *libertatem* habet. cf. c. XI. extr.

6) *belli patiens.* quae belli labores per aetatem ferre s. pati poterat. Vid. c. 5. n. 7.

7) *per laborem usu* i. e. per laborem et usum s. usu laborioso. Alii e MSS. *usu* (abjectis vocibus *per laborem*). C. e conject. *per usum* (omissa voce *laborem*). Ego vulgatam satis probabilem retinendam putavi. Cd. ciz. simul ac belli — *per laborem et usum.*

8) *lubid. habebant.* Ut nos: *und hatten mehr Lust an schönen Waffen* etc.

9) *labos.* Ita Sallustium semper scripsisse, Servius ad Virg. Aen. I, 253. testatur. Vulgo *labor.*

10) *sic se.* Ita plerique Cdd., sed C. e conject. pro *sic se* dedit: *sese.* Alii *sic* et *se* omittunt. Abesse quidem posset utrumque salvo sensu, sed ut (cap. 1.) posuit *sese praestare*, ita quoque h. l. *sic se* neminem offendere potest. — *hostem ferire*, vincere, occidere, fere ut nos: *den Feind schlagen.* cf. Jug. c. 85.

11) *eas divitias* pro: ea gloriosa facinora pro divitiis habebant. Sed pronomina, et demonstrativa et relativa, duobus substantivis diversi generis interposita ad posterius quoque accomodantur. C. 20. „*ea* demum firma amicitia est." c. 55. „est locus in carcere, *quod* Tullianum appellatur." Cf. c. 51. no. 38.

12) Observa adjectiva, quae *relativa* nominare possis, i. e. quae additamento egent, plerumque cum geni-

divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbis, natura munitas, pugnando ceperit; ni ea res nos longius ab incepto traheret.

Caput VIII.

Sed profecto fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestae, sicuti ego existumo, satis amplae magnificaeque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur.

---

tivo construi; quo pertinent quoque adjectiva copiae et inopiae.

13) *honestas.* honesto modo acquisitas, non rapinis, ut nunc.

14) *pugnando* i. e. vi atque virtute, non per fraudem vel deditionem.

15) Pronomen *nos*, quod vulgo legitur, C. sine Cdd. auctoritate omisit.

Caput VIII.

Rerum gestarum gloria a scriptoribus maxime pendet; qui Romanis tunc temporis deerant; unde minus laudantur, quam meruerunt.

1) *Fortuna-dominatur.* Jug. c. 99. „humanarum rerum fortuna pleraque regit." c. 10. fortuna *saevire* dicitur.

2) *ex lubidine.* ex arbitrio *nach Laune.* — *ex vero*, pro meritis. — *magis* plur. Cdd. omittunt.

3) *celebrat.* In luce ponit. Oppositum est *obscurat.*

4) *existumo.* Sic vulgo et bene. Sed C. e Codd. notae melioris, ut ait, dedit *aestumo.* Vid. c. 14. fin.; quae duo verba ob significationis affinitatem saepissime inter se permutantur. De significatione eorum paullum diversa vid. Gronov. ad Liv. XXXIV, 2. et ad Gell. I, 5. Cf. Ruhnken. ad Mureti Orat. IV. T. I. p. 43.

5) *feruntur.* Circumferuntur, praedicantur.

tur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maxumis celebrantur. Ita eorum, qui ea fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis eam potuere extollere praeclara ingenia. At populo Romano numquam ea copia fuit: quia prudentissumus quisque negotiosus maxume erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optumus quisque facere, quam dicere; sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare malebat.

Caput IX.

Igitur domi militiaeque boni mores colebantur. concordia maxuma, minuma avaritia erat: jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura

---

6) *provenere* (*aufkeimten*) veluti e terra fertili scriptores magni ingenii, veluti Herodotus, Thucydides, Xenophon.

7) *Ea* (ante *fecere*) C. omisit, sed in uno tantum Cod. deest. Refer ad *facta*, quam vocem Cd. Cizens. adjicit.

8) *eam* virtutem. Sic C. e paucis Codd. dedit. Vulgo *ea* (facta), quod quidem eundem sensum suppeditat, sed duriusculum est.

9) *ea copia diese Möglichkeit*, supple: ingeniosos rerum scriptores possidendi. cf. de hac *copiae* significatione c. 51 et Jug. c. 85. C. interpretatur: *solche Gelegenheit*, int. scriptorum et magnorum ingeniorum; nam recte displicet illi h. l. notio abundantiae; siquidem noster antea, non de multis, sed magnis tantum scriptoribus locutus est.

10) *negotiosus.* Reipublicae tempore negotium erat nullum, nisi quod reipublicae dicatum erat. cf. c. 1, summar.

Caput IX.

Fortitudine in bello et justitia in pace, seque remque publicam maxima inter se concordia curabant.

1) *jus bonumque. Recht und Billigkeit.* Alii *jus* de honesto, *bonum* de utili intelligunt.

valebat. Jurgia, discordias, ſimultates cum hoſtibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant. in ſuppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, aequitate, ſeque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello ſaepius vindicatum eſt in eos, qui contra imperium in hoſtem pugnaverant, quique tardius, revocati, proelio exceſſerant, quam qui ſigna relinquere, aut pulſi, loco cedere auſi erant. In pace vero, quod benefi-

---

2) *ſimultates.* Simultas a *ſimul* deducitur, ubi duo vel plures ſimul aliquid adfectant, unde oritur, quod nos dicimus *Streit.*

3) *ſuppliciis.* ſacrificiis et omni deorum cultu. cf. Cic. pro Flacco c. 12.

4) *in amicos.* ,,Haec eſt vulgata et bona lectio, cujus loco C. e duob. tantum Codd. dedit *in amicis.* Verum quidem eſt noſtrum C. 52. dixiſſe miſericordes *in furibus* et Jug. c. 58. pauci *in pluribus* minus fruſtrati'' attamen in Cat. c. 11. iterum vulgo legitur: crudelia facere facinora *in cives,* non *in civibus,* ut C. ibi quoque ex uno Cod. dedit. Itaque non eſt, quod bonam omnium fere Cdd. lectionem, neque Salluſtii, neque communi uſui repugnantem mutemus. Nam ſcribendi in Salluſtio conſtantia facile poſſet pluribus exemplis refelli.

5) *audacia* pro fortitudine noſter ſaepius utitur.

6) *quod in bello.* Voces duas *in bello* — quibus reſpondent ſequentia: *in pace,* C. invitis Cdd. male omiſit, ut recte judicant D. et K.

7) *proelio.* Hujus loco C. e duobus vel tribus libris dedit *bello,* quod tanquam rarius et idem ſignificans recepit. Improbant merito hanc mutationem *D.* et *K.* Rei ipſius, de qua h. l. ſermo eſt, vid. exemplum in filio M. Torquati a Catone allatum c. 52. Cf. Liv. VIII., 30. Eutrop. II, 4.

ciis magis, quam metu, imperium agitabant, et, accepta injuria, ignoſcere, quam perſequi malebant.

Caput X.

Sed ubi labore atque juſtitia reſpublica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi ſubacti, Carthago, aemula imperii Romani, ab ſtirpe interiit, cuncta maria terraeque pa-

---

8) *magis.* Vocem *magis* C. cum nonnullis Cdd. male rejecit; nam pertinet ea ad verb. *agitabant,* ubi deſideratur, non ad *malebant,* ut recte jam vidit D. Ceterum pro *quod* antecedente Cd. Ciz. habet *et.*

9) *perſequi.* Supple poena, idem eſt, quod ulciſci. c. 52. ,,cetera tum *perſequare.*'' Jug. c. 14. ,,tuasne injurias *perſequar.*'' c. 102. ,,illum ſceleratiſſimum perſequi.''

Caput X.

Sed ubi omnia a Romanis ſubacta erant et Carthago deleta, pecuniae et imperii cupido ex otio et luxuria orta, omnium malorum cauſa fuit. Cf. Jug. c. 41.

1) *labore.* Audacia in bello et aequitate in pace.

2) *reges mag.* veluti Perſes Macedoniae, Pyrrhus Epiri, Antiochus Syriae.

3) *nationes—populi.* *Natio* eſt hominum ſocietas ejusdem *originis,* *populus* ejusd. *imperii.* Hinc populus plures nationes continet.

4) *Carthago.* Phoenicum in Africa colonia a Didone circiter 888 ante Chr. condita et mercatura atque navigatione perquam dives ac potens facta, tria cum Romanis de orbis terrarum imperio bella geſſit, (primum ab anno 490 — 513 a. u. c. ſecundum 535 — 553, tertium denique 605 — 608); donec anno poſtremo funditus eſt deleta a Scipione minore, quo ipſo anno et Corinthus eſt a Mummio diruta. Sed metu aemulae urbis ſublato, luxuriari felicitas Romana incepit. Flor. II, 15. Cf. Velej. II, 1.

tebant: ſaevire Fortuna ac miſcere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque aſperas res facile toleraverant, iis otium, divitiae, optandae aliis, oneri miſeriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit; ea quaſi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem, ceterasque artis bonas ſubvertit; pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalis falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, ſed ex commodo aeſtumare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim creſcere, interdum vindicari, poſt ubi contagio, quaſi peſtilentia invaſit, civitas immutata, imperium ex juſtiſſumo atque optumo crudele intolerandumque factum.

---

5) *patebant.* In poteſtate erant, C. 36.: „cum omnia domita armis *parerent.*" Unde et h. l. Ciacconius conjecit *parebant.*

6) *ſaevire.* tyrannidem ſuam exercere, ita ut prius mores corrumperet, deinde imperium ipſum avaritia, luxuria, ambitione everteret.

7) *optandae.* quae aliis (non Romanis) optandae fuiſſent, ſiquidem materies omnium malorum eſſe ſolent. C. interpretatur per *optabiles*, alii: *optatae* aliis (priorib. Romanis) alii: *optatae alias* (alio tempore). Ceterum optand*ae* bene habet, nec mutandum eſt in optand*a*; eſt enim ad vocem poſtremam divitiae accommodatum.

8) *artis* bonas, virtutes. Alii pro *artis* leg. *artes.* Vid. c. 1. n. 1.

9) *neglegere.* Sic ſcribitur in Cdd. melioribus.

10) *omnia.* jus, fidem, magiſtratus, teſtimonia et perjuria. Inde Jug. c. 35. totam urbem venalem dixit.

11) *falſos.* Qui alios fallerent. (*Falſch*).

12) *ex re.* ex interno amicorum pretio, quod in virtute eſt poſitum.

13) *vindicari.* e legibus repetundarum et ambitus.

14) *invaſit.* civitatem. — (Cdd. C. duo, addunt *illos*). Cum morbus hic contagioſus omnes in peſtilentiae

CAPUT XI.

Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat; quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium bonus, ignavus, aeque ſibi exoptant: ſed ille vera via nititur; huic quia bonae artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniae ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupivit. ea,

---

modum corrupiſſet. Nam contagio minus eſt, quam peſtilentia; ſenſus ergo: cum avaritia atque ambitio, quae antea paucos tantum invaſerant, ad omnes magna vi emanaſſent. C. *contagio* pro ablativo habet a *contagium.*

CAPUT XI.

Avaritia crevit praecipue poſt Sullae proſcriptiones, et ab ejus exercitu, quem in Aſia ductaverat, luxuria maxime Romam traducta eſt.

1) *ambitio.* Pecuniae cupido erat quidem tempore prior, ut paullo ante dixit, ſed cum utrumque vitium invaſiſſet, primo tamen ambitio vehementior erat.

2) *virtutem.* cum virtute conjunctius ſ. affine magis virtuti. Vulgo *virtuti*, ſiquidem prope etiam dat. ſecum habet. Sed partim Jug. c. 18. *propius mare Afrieum*, et *proxime Carthaginem* occurrit, partim Priſcian. l. XVIII, p. 1174 hunc locum ſic citat.

3) *vera via.* via honeſta certamen cum competitoribus init.

4) *huic* (ignavo) pro *hic*, quia *ei* virtutes deſunt, contendit. Craeca conſtructio, de qua vid. Schulzius ad ad Herodot. IX, 109. p. 324.

5) *Habet* C. recte explicat: continet in ſe. Eſt enim avaritia ſtudium habendi, non ſolum pecuniam, ſed etiam res alias. Cato apud Gell. XI, 11. „avaritiam omnia vitia *habere* putabant." Pecuniam vero ſapiens quidem, e Stoicorum praeceptis accipit, ſi quando offertur, ſed nunquam expetit ſ. concupiscit; eſt enim res externa, quae non eſt in poteſtate noſtra; expetit modo honeſtum, quod Stoicis ſolum bonum

quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: ſemper infinita, inſatiabilis, neque copia, neque inopia minuitur. Sed poſtquam L. Sulla, armis recepta Republica, bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere, do-

---

eſt. Pecunia non eſt bonum. De re cf. Cic. Tuſc. IV, 11.

6) *ven. malis* adjectum eſt, quoniam *venenum* vocabulum medium eſt, idem ſignificans quod medicamentum.

7) *corpus animumque.* Haec verba doctus quidam apud Gellium N. A. III, 1. ita explicat: „Quos, inquit, avaritia minuit et corrumpit, quique ſe quaerendae undique pecuniae dediderunt, eos plerosque tali genere vitae occupatos videmus, ut ſicuti alia in his omnia prae pecunia, ita labor quoque virilis exercendique corporis ſtudium relictum ſit."

8) *infinita.* finibus nullis circumſcripta.

9) *minuitur.* Avaritia non minuitur inopia, dum haec ad pecunias parandas ſ. damna reſarcienda eam impellit, neque copia, quoniam, quo plura habet, eo plura habere cupit.

10) *recepta.* e manibus Cinnae et Marii erepta ſ. liberata. Nam hi eam *ceperant*, Sylla vero *recepit* et nobilitati eam redditurus viſus eſt.

11) *bon. initiis.* poſt bona initia ſ. e bon. initiis. cf. not. 12.

12) *event. habuit.* i. e. bene incepit, ſed male finivit; defendebat enim ab initio optimates, quos Mariani foede laceraverant. Vid. Vellej. II, 25. Cic. de Off. II, 8. „ſecuta eſt honeſtam cauſam (Syllae) non honeſta victoria." Non enim reddidit rempublicam, quam Marianis eripuerat, ſed ea ipſe eſt potitus, nomine dictatoris a. u. 671 — 674. Ceterum ad *bonis initiis* ſupple *ex* vel *de*, uti Cdd. aliquot legunt, quos B. ſecutus edidit: *ex bonis init.* Idem conjicit: *boni initii.* Hunc locum ſic mutatum cupit: Sed poſtquam L. Sull*ae* armis recept*a* respubl. etc.

13) *rapere etc.* Jug. c. 41. „ſibi quisque ducere, *trahere*, rapere." Tacit. Annal. III, 74. „ne pagi traherentur." i. e. diriperentur.

mum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modeſtiam victores habere, foeda crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sulla exercitum, quem in Aſia ductaverat, quo ſibi fidum faceret, contra morem majorum, luxurioſe nimisque liberaliter habuerat. loca amoena, voluptaria facile in otio ferocis militum animos molliverant. Ibi primum inſuevit exercitus populi Romani amare, potare; ſigna, tabulas pictas, vaſa caelata mirari; ea privatim ac publice rapere; delubra ſpo-

---

14) *modum — modeſt.* Nos: *hielten weder Maaſs noch Ziel.* C. 38 extr. „neque modeſtia neque modus contentionis erat." Jug. c. 41. extr. „ſine modo modeſtiaque."

15) *in cives* C. ex uno Cod. dedit *in civibus*, quod poſt eum omnes retinuerunt. Vid. c. 9. n. 4. *civibus* etiam Cd. Roſtoch. habet.

16) Sic libri meliores et vulgo; C. autem e Cdd. aliquot dedit *in Aſiam.* At Sulla non ſolum exercitum in Aſiam contra Mithridatem (664), ſed etiam in *Aſia* ductaverat; i. e. cum exercitu ibi commoratus erat; quod poſterius, ob ſequentia, ubi de militum luxuria in Aſia ſermo eſt, magis neceſſarium eſt, quam prius.

17) *habuerat. Er hatte ſie zu üppig gehalten und war zu freigebig gegen ſie geweſen.*

18) *voluptaria.* „Quae voluptates facile parant, largis naturae et artium donis." D. ubi voluptates regnant.

19) *ſigna* etc. non ſolum ſtatuae ſunt, ſed et figurae dimidiatae, materiae inhaerentes (*Reliefs*) — *tabulas pictas*, picturas, quae plerumque in tabulis vel ligneis vel linteis pictae ſunt. — *vaſa caelata*, figuris eminentibus ornata, quae infra c. 20. toreumata dicuntur.

20) *privatim — publice* partim pro ſe quisque, partim reipublicae nomine; niſi praeoptaveris explicare: e locis privatis atque publicis.

21) *delubra.* C. interpretatur templa e votis condita diis, a *deluere*, i. e. ſolvere.

liare; ſacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, poſtquam victoriam adepti ſunt, nihil reliqui victis fecere. Quippe ſecundae res ſapientium animos fatigant; nedum illi corruptis moribus victoriae temperarent.

Caput XII.

Poſtquam divitiae honori eſſe coepere, et eas gloria, imperium, potentia ſequebatur: hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro

---

22) *victoriam ad. ſunt.* poſtquam in patriam reduces Marianos vicerant.

23) *reliqui — fecere* (cf. c. 28. extr.) nihil reliquerunt, omnia rapuerunt civibus ſuis; nam aſſueti erant rapinis, et omnia illis placuerunt; quam militum Romanorum corruptionem Liv. XXV, 41. non, ut noſter, inde a Mithridatico bello, ſed maturius etiam a Syracuſis expugnatis (541 a. u.) deducit: „inde primum initium mirandi Graecarum artium opera licentiaeque, ſacra profanaque omnia vulgo ſpoliandi factum."

24) *fatigant.* debilitant, frangunt, corrumpunt, ita ut ſui et honeſtatis obliviſcantur, et libidinibus reſiſtere nequeant. Cato apud Gell. VII, 3. „Secundae res laetitia transverſum trudere ſolent a recte conſulendo atque intelligendo."

25) *nedum.* Ita vulgo; nec non Roſtock. ſed C. e Cdd. aliquot dedit *ne*, eadem ſignificatione. — *illi*, repete milites.

26) *vict. temperarent.* ſibi temperarent in victoria ſ. moderate victoria uterentur.

Caput XII.

Ex divitiis orta ſunt luxuria, avaritia, ſuperbia, profuſio, rapinae omniumque omnino virtutum et religionis neglectus.

1) *innocentia.* Quos innocentes et integros eſſe videbant, eos ſibi non bene velle exiſtimabant. K. — antecedenti *probro* adjiciendum videtur *pro.*

malivolentia duci coepit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia, cum ſuperbia invaſere: rapere, conſumere; ſua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiſcua, nihil penſi atque moderati habere. Operae pretium eſt, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, viſere templa deorum, quae noſtri majores, religioſiſſumi mortales fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos ſuas gloria decorabant; neque victis quidquam praeter injuriae licentiam eripiebant. At hi contra ignaviſſumi homines, per ſummum ſcelus, omnia ea ſociis adimere, quae fortiſſumi viri victores hos-

---

2) *ex divit.* propter divitias. c. 35. „*ex* nulla conſcientia." c. 57. „*ex* difficultate rerum." H. l. ſignificare quoque poteſt: *poſt* divitias coacervatas.

3) *pudorem etc.* Pudor animi eſt verecundia, pudicitia, corporis caſtitas. D.

4) *promiscua habere* h. l. *nihili aeſtimare*, ſ. vilia habere.

5) *nihil penſi etc.* i. e. nihil conſiderate et temperanter tractare. *Nichts mit Ueberlegung und Schonung (Mäſsigung) zu behandeln.* Prior dictio jam adfuit c. 5.

6) *Operae pret.* Nos verbum e verbo: *es iſt der Mühe werth.*

7) *villas* int. noſtri temporis.

8) *viſere.* int. et mirari, quam parva et parum magnifica ſint.

9) *Verum illi.* Verum majores tam magnifice aedificare non potuerunt, quoniam pii et juſti erant.

10) *ſuas.* C. ex duobus tantum Cdd. *ſua*, ut cum *gloria* conveniat, recepit. Sed oppoſita ſibi ſunt h. l. delubra deorum et domus *ſuae*, pietas et gloria. Num domos alia quam *ſua* gloria decorare potuerunt?

11) *victis.* i. e. tantummodo cavebant, ne hoſtes victi ſibi ulterius injuriam facere poſſent. D.

12) *ſociis.* Socii h. l. incolae ſunt provinciarum Romanarum, veluti Siciliae, Africae etc.

tibus reliquerant: proinde quaſi injuriam facere, id demum eſſet imperio uti.

Caput XIII.

Nam quid ea memorem, quae niſi iis, qui videre, nemini credibilia ſunt; a privatis compluribus ſubverſos montes, maria conſtructa eſſe. qui-

---

15) *hoſtibus*. iisdem ſociis, ſed antequam victi et ſocii facti erant. Opponuntur ſibi h. l. ignaviſſumi homines et viri fortiſſumi, adimere et relinquere, ſocii et hoſtes. Cdd. nonnulli pro hoſtibus legunt *victis*, nonnulli vero utrumque omittunt. Hos poſteriores ſecutus eſt C. Vox *hoſtibus* h. l. ob oppoſitionem deeſſe non poteſt.

Caput XIII.

Aedificando, ſtupris, ganea ingluvie et mollitie, ubi opes familiares conſumtae erant, facinoribus damnum reſarcire properabant.

1) *ſubverſos*. Infra c. 20. montes *coaequare*, i. q. planare.

2) *conſtructa*. i. e. maria facta eſſe e terra continenti, ſ. magnos lacus in terra continenti effoſſos eſſe, in quos mare deducebant, ut piſcinas ſeu vivaria ad villas ſuas haberent. Vid. Horat. Od. II, 15. At alii Cdd. h. l. legunt *conſtrata*, pauci *contracta*, quod poſtremum nil niſi explicatio eſſe videtur τoυ *conſtrata*. *Conſtrata* vero maria ſunt, quibus, molibus injectis aedificia impoſita ſunt, quod utrumque feciſſe illius temporis Romanos teſtatur Vellej. II, 33. „Lucullum ob injectas moles mari et receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompejus Xerxem togatum (i. e. Romanum) vocare aſſueverat." Hinc utraque lectio h. l. mihi conjungenda videtur, et locus ita legendus: *maria conſtructa et conſtrata eſſe*. Hoc modo omnes criticorum de h. l. lites componuntur. Ceterum hic opulentorum Romanorum in mari aedificandi furor, ſeſe oſtendit maxi-

bus mihi videntur ludibrio fuiſſe divitiae; quippe, quas honeſte habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido ſtupri, ganeae ceterique cultus non minor inceſſerat: viros pati muliebria, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi cauſa terra marique omnia exquirere; dormire prius,

---

me in amoeniſſimis Campaniae regionibus ad Bajas, Puteolos et Neapolin, quo amoeniore etiam quoquo verſus conſpectu delectarentur.

3) *honeſte habere*. honeſto modo ſ. ad res honeſtas uti.

4) *per turpitud*. turpiter.

5) *ganeae*. Ganea, proprie locus, ubi ventri et lubidini indulgetur, h. l. pro ingluvie ipſa ponitur.

6) *cultus*. mollitiei, luxurioſae vivendi rationis.

7) *non minor* repete *lubido*, unde genitiv. *ceteri cultus* pendet. Sic C. ex optimis Cdd. Alii legunt *viri*, ita ut ſequentes infinitivi ſint hiſtorici. Utrumque ferri poteſt, et nil niſi Cdd. auctoritas et numerus hac in re decernit. Ceterum hoc nefandiſſimum Graeciae malum ſtatim poſt bellum Perſicum (586 a. u.) in Romanam civitatem transmigraverat. Melius tamen colon ponendum videtur poſt *viros*, quam ante.

8) *propatulo*. Propatulum proprie locus eſt patens cuivis. Hinc in propatulo habere i. q. publice exhibere: *jedermann feil bieten*.

9) *vesc. cauſa*. Gulae cauſa, *des Gaumes oder der Lekkerey wegen*. De illius temporis Romanorum ingluvie operae pretium eſt audire Gellium VII, 16. Cf. Seneca Epiſt. 89. „nullis animalibus niſi ex faſtidio (*auſser wenn man ihrer überdrüſſig iſt*) pax eſt."

10) *dormire prius*. Seneca Epiſt. 122. „Cum inſtituerunt omnia contra naturae conſuetudinem velle, noviſſime in totum ab illa deſciſcunt. Lucet: ſomni tempus eſt; quies (nox) eſt, nunc exerceamur, nunc geſtemur (*fahren wir aus*) nunc prandeamus. Jam lux propius accedit: tempus eſt coenae. *Non oportet id facere, quod populus: res ſordida eſt, trita ac vulgari via vivere*." Ecce veram vitae in urbibus primariis etiam noſtro tempore imaginem! cf. Lucian. Cynic.

quam ſomni cupido eſſet; non famem, aut ſitim, neque frigus, neque laſſitudinem opperiri, ſed ea omnia luxu antecapere. Haec juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant. Animus imbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat: eo profuſius omnibus modis quaeſtui atque ſumtui deditus erat.

Caput XIV.

In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id, quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum ſe, tamquam ſtipatorum catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter,

---

11) *non famem etc.* Seneca ad Helv. c. 9. „vomunt, ut edant, edunt ut vomant." Sitim autem non exſpectabant, qui mane jam ſeſe inebriabant, eamque exſtinctam per ſudorem excitabant. Senec. Epiſt. 119 in fin.

12) *frigus.* in frigidariis (*Oertern zur Abkühlung*) et porticibus capiebant. Noſtri glacie dulci idem efficere tentant.

13) *antecapere.* artificioſe ſibi parare.

14) *fam. opes.* hereditate acceptae. c. 14. bona patria.

15) *facinora.* caedes, rapinas.

16) *imbutus.* infectus prava conſuetudine animus, lubidinibus (*der Ausſchweifungen*) carere non potuit, eoque minus religioſus erat, unde ſumtus *toleraret.*

17) *profuſius.* cupidius, vehementius, nempe quo corruptior animus erat libidinibus.

Caput XIV.

In tam corrupta civitate, Catilinam inveniſſe plures conjurationis ſocios, non mirum eſt. Qui autem adhuc incorrupti erant, eos ipſe multis illecebris ſeduxit.

1) *factu facill.* Vid. prooem. c. 5. n. 8. Ceterum mirari quis poſſit, non ſcribi facillumum. Vid. c. 1. n. 10.

2) Pro *flagitiorum* etc. Cd. Ciz. et Roſtoch. habent *flagitioſorum* atque *facinoroſorum.*

ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat; quique alienum aes grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret; praeterea omnes undique parricidae, ſacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua, perjurio aut ſanguine civili alebat; poſtremo omnes, quos flagitium, egeſtas, conſcius animus exagitabat: ii Catilinae proxumi familiaresque erant. Quod ſi quis etiam a culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat; quotidiano uſu atque illecebris facile par ſimilisque ceteris efficiebatur. Sed maxume adoleſcentium familiaritates adpetebat: eorum animi molles et aetate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur. Nam uti cujusque ſtudium ex aetate

---

3) *manu*, ad impudicum (i. e. diſſolutum,) referas, ſicut *ventre* ad ganeo, et *pene* ad adulterum. *manu* autem i. q. *alea*, quod Cdd. multi addunt.

4) *laceraverat* vehementius quam profuderat, traxerat.

5) *alien. aes grande* i. e. multa debita contraxerat.

6) *parricidae* i. q. occiſores. C. quidem hanc vocem a *patre* et *caedo*, ſicut alii, deducit, ſed ſine dubio a *par* et *caedo*, quamquam cum duplici *r* ſcribitur, derivanda eſt.

7) *manu* conjunge cum ſequenti ſanguine, *lingua* cum perjurio. Qualem transverſam rationem, ubi primum ad quartum, ſecundum ad tertium pertinet, grammatici Chiaſmum (*ein X oder Kreuzverhältniſs*) dicunt. Ceterum indicantur h. l. qui mercede conducti pejerarant aut alios occiderant.

8) *conſcius* ſupple mali.

9) *proxumi* i. e. ſocii (*οἱ ἀμφὶ αὐτόν*). c. 16. „*his amicis ſociisque* et Jug. c. 80. Bocchi *proxumos.*" „cf. Sueton Tib. C. 19. Ceterum de Catilinae ſociis cf. Cic. Cat. II, 4 et 8 ſqq.

10) *fluxi* i. e. inconſtantes, infirmi.

11) *ex aetate.* pro diverſo cujusque, quo flagrabat, *propter aetatem* ſ. *juventutem* ſtudio. *Ex aetate* igitur ſolummodo ad dictionem *flagrabat* explicandam additum eſt. Aliter C., qui adnotat: „habet enim quaeque aetas ſua ſtudia et cupiditates." At juvenes iſti

flagrabat, aliis fcorta praebere; aliis canes atque equos mercari; poftremo neque fumtui, neque modeftiae fuae parcere, dum illos obnoxios fibi fidosque faceret. Scio, fuiffe nonnullos qui ita exiftumarent, juventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honefte pudicitiam habuiffe; fed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam compertum foret, haec fama valebat.

---

non tam diverfae aetatis effe poterant, ut rebus h. l. nominatis non omnes ftudere potuiffent.

12) *modeftiae fuae*, pudicitiae, quae quidem Catilinae erat. Cic. Catt. II, 4. „aliorum amori flagitiofiffime ferviebat." muliebria nimirum patiendo.

13) *obnoxios*, addictos. Grammaticus apud Gell. VII, 17. vocem *obnoxius* explicat: „cui quid ab eo, cui obnoxius dicitur, *noceri* poteft." Pronomen *fibi*, C. ex uno Cd. ob elegantiam (!) omifit.

14) *nonnullos*. Si Salluftius tam parcus effet verborum, quam nonnulli putant, *nonnullos* omittere debuiffet. Fortaffe Ciceronem refpicit, Cat. I, 6. 13. et II, 4, 8.

15) Pro *exiftumarent* C. e nonnullis recepit *aeftumarent*. Vid c. 8. n. 4. Eodem modo auctor loquitur c. 48. „pars tametfi verum *exiftumabant*." et ibid. „erant qui exiftumarent" (Sic vulgo) C. autem, qui (ad c. 48. n. 7.) haec verba ita diftinguit, ut *aeftumare* fit cogitationis et *exiftumare* perfecti judicii, fere ubique verb. aeftumare recepit.

16) *frequentabat*. Alii h. l. conjunctivum ponerent. Sed obfervandum eft, utrumque recte habere, praeut talis enuntiatio vel auctori qui loquitur, vel iis, quorum opinio affertur, tribuitur. *Frequentabat* in ore Salluftii bene habet, fed in ore eorum, quorum opinionem affert, *frequentaret* dicendum fuiffet. Cf. infra c. 27.

17) *pudic. habuiffe* parum pudicos fuiffe, fed muliebria paffos effe a Catilina. Loquendi ratio graeca, ut *aetatem habere* c. 4. etc.

18) *compertum*. quod quisquam ipfe viderit.

19) *fama valebat*. rumor erat tantummodo, quamquam validus.

Caput XV.

Jam primum adolefcens Catilina multa nefanda ftupra fecerat, cum virgine nobili, cum facerdote Veftae, alia hujuscemodi contra jus fasque, poftremo captus amore Aureliae Oreftillae, cujus praeter formam, nihil umquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta aetate; pro certo creditur, necato filio, vacuam domum

---

Caput XV.

Stimulabat Catilinam maxime confcientia mala ad tantum nefas fufpiciendum.

1) *primum* h. l. redundare videtur.

2) *cum virgine nob*. Catilinam ex hac virgine nobili, cujus nomen ignoratur, filiam procreaffe, quam poftea in matrimonium duxerit, Afconius Pedianus affirmat atque huc refpexiffe Ciceronem in Fragmentis, quae idem Afconius fervavit (ed. Ern. T. IV. p. 1050.). „ex eodem ftupro tibi et uxorem et filiam inveniſti." Cf. Plutarch. vita Cic. c. 10.

3) *facerdote Veftae*. Hanc Fabiam Terentiam fuiffe, Terentiae, quae Ciceroni nupta erat, fororem, idem Asconius Pedianus narrat. Ceterum Gr. et C. haec verba: *cum virgine nobili — Veftae*, fufpecta habent, ob Salluftii in rebus incertis religionem et Ciceronis hac de re filentium.

4) *fas*, lex divina eft, *jus*, humana.

5) *Oreftillae*. Haec Catilinae uxor, quae filiam habebat, recurrit quidem C. 35. fed quae et unde fuerit, ignotum eft.

6) *privignum*, Catilinae filium e fuperiori uxore natum. Superiorem quoque uxorem ab ipfo necatam effe Cic. in Cat. I, 6, 14. fignificat.

7) *vacuam*. opportunam et paratam ad nuptias nece filii pollutas. Valer. Max IX, 1, 9. „Catilina filium fuum, quem et folum et aetate jam puberem habebat, veneno fuftulit, protinusque ex rogo ejus maritalem facem accendit." Cic. Cat. I, 6. „nuper cum morte fuperioris uxoris, novis nuptiis domum vacuam feciffes."

ſceleſtis nuptiis feciſſe. Quae quidem res mihi inprimis videtur cauſa fuiſſe facinoris maturandi. Namque animus impurus, diis hominibusque infeſtus, neque vigiliis neque quietibus ſedari poterat: ita conſcientia mentem excitam vaſtabat. Igitur colos exſanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus inceſſus; prorſus in facie vultuque vecordia inerat.

Caput XVI.

Sed juventutem, quam, ut ſupra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis teſtes ſignatoresque falſos commodare; fidem,

---

8) *facinoris.* conjurationis.
9) *infeſtus* appellatur is, qui malum infert cuipiam et contra, cui aliunde impendet malum. Gell. IX, 12.
10) *vaſtabat. zerrüttete ſeinen aufgeſchreckten Geiſt*, i. q. turbabat. Alii Cdd. *vexabat*, at illud tanquam fortius C. praetulit H. *vexabat* retinuit.
11) *colos exſ.* pallidus color. Colos, ut labos. Vid. c. 7. n. 10. Cf. Jug. c. 100. et Quinctil. I, 4.
12) *foedi oc. wilder Blick.*
13) Quinctil. XI, 3. „Ex vultu ingreſſuque perſpicitur habitus animorum."
14) *vecordia*, furor et amentia.

Caput XVI.

Accedit, quod civitatis tempora, in quibus plerique aere alieno oppreſſi et multi veterum rapinarum memores erant, Pompejus vero cum exercitu aberat, et ſenatus dormiebat, Catilinae prorſus favebant.

1) *ſupra.* v. c. 14.
2) *ſignatoresque falſ.* falſarios, qui teſtamentum vel aliud inſtrumentum falſum ſcribunt, ſignant, recitant, ſubjiciunt, vel ſignum adulterinum faciunt, ſculpunt, exprimunt.
3) *commodare* h. l. videtur idem quod formare, non ut plerique explicant: uſui dare (amicis).

fortunas, pericula vilia habere; poſt, ubi eorum famam atque pudorem attriverat, majora alia imperabat: ſi cauſa peccandi in praeſens minus ſuppetebat, nihilo minus inſontes, ſicuti ſontes, circumvenire, jugulare. Scilicet, ne per otium torpeſcerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis ſociisque confiſus Catilina, ſimul quod aes alienum per omnis terras ingens erat, et quod plerique Sullani milites, largius ſuo uſi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum exoptobant; opprimundae reipublicae conſilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat: ipſi conſulatum petenti

---

4) Ad *vilia habere* alii repetunt *edocebat;* C. melius ſequens *imperabat* huc trahit.
5) *attriverat*, paullatim diminuerat et perdiderat.
6) *inſontes*, qui ejus conſiliis et factis nihil officiebant. D.
7) *ſicuti*, veluti.
8) *gratuito*, ſine commodo. D.
9) *aes alien. ingens erat*, quod multi homines per omnes imperii Romani regiones aere alieno oppreſſi erant.
10) *Sullani mil.* Sullae veterani, quibus ille poſt victoriam remunerandi cauſa, agros in Italia haud peſſimos et proſcriptorum bona diſtribuerat, qui vero, dum ſe inſolentius et ſumtuoſius jactaverant, in tantum aes alienum inciderant, ut, ſi ſalvi eſſe vellent, Sulla iis ab inferis eſſet excitandus. Vid. Cic. Cat. II, 9.
11) *nullus exercit.* int. hoc ipſo tempore, quo Catilina conſilium conjurationis cepit.
12) *Cn. Pompej.* a Sulla Magnus appellatus et victoriis, quas de Sertorio in Hiſpania, Spartaco et piratis deportaverat, celeberrimus et potentiſſimus factus, hoc tempore (circa 689 a. u.) cum exercitu Romano in Ponto et Armenia contra Mithridatem bellum gerebat.
13) Pro *extremis* Cdd. aliquot *externis*, quod melius oppoſitum eſt τῷ *in Italia.*
14) *petenti.* Catilinae ſi conſulatum peteret, magna adipiſcendi ejus ſpes erat. Ita Cdd. tres legunt. Vulgo *petundi, ſ. petendi*, cujus loco Gr. conjecit *potiundi.*

magna ſpes: Senatus nihil ſane intentus: tutae tranquillaeque res omnes; ſed ea prorſus opportuna Catilinae erant.

Caput XVII.

Igitur circiter Kalendas Junias L. Caeſare et C. Figulo Conſulibus primo ſingulos adpellare: hortari alios, alios tentare: opes ſuas, imparatam rempublicam, magna praemia conjurationis docere. Ubi ſatis explorata ſunt, quae voluit; in unum omnis convocat, quibus maxuma neceſſitudo, et plurimum audaciae inerat. Eo convenere Senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Caſſius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Sullae, Servii filii, L. Varguntejus, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Beſtia, Q. Curius: praeterea ex equeſtri ordine M.

---

15) *nihil — intent.* rempublicam parum curabat.
16) Vocem poſtremam *erant* C. omiſit.

Caput XVII.

Catilina conjuratos convocat, in quibus, praeter nominatos h. l. *conjurationis principes, multi erant occulte hujus conſilii conſcii, inprimis juvenes nobiles. Quin Craſſum fuiſſe conſcium, nonnulli credebant.*

1) *L. Caeſare — conſulib.* i. e. 689 a. u.
2) *appellare,* conveniebat.
3) *tentare,* animi ſenſus explorabat: *forſchte oder horchte ſie aus.*
4) *opes ſuas.* conjuratorum numerum aliarumque rerum copiam, quae ad conjurationem neceſſariae eſſent.
5) *praemia.* tabulas novas, proſcriptiones locupletium, magiſtratus et ſacerdotia etc. quae c. 21. nominantur.
6) *explorata.* ubi ſciſcitatus erat, ſ. ſciebat.
7) *neceſſitudo* i. q. neceſſitas, calamitas urgens, *die am meiſten im Gedränge waren.* C. et D.
8) verbum *inerat* C. propter genium, ut ait, Salluſtii contra Cdd. cum Gr. delevit.
9) *Lent. ſura.* Patricius e gente Cornelia, qui anno 682 conſul fuerat, ſed ob furtum aerarii a cenſoribus ſenatu motus in eundem tamen denuo viam invenerat et hoc tempore Praetor erat. Vid. infra c. 47. et 52. Cf. Plutarch Cic. 17. Cic. Brut. c. 66. extr.
10) *Publ. Autron.* P. Autr. Paetus jam prioris conjurationis, de qua c. 18. narratur, anno 687 auctor fuerat cum Piſone et Catilina, quoniam conſul deſignatus legibus ambitus damnatus erat, quod judicium tollere ac diſturbare voluit primum conflato gladiatorum ac fugitivorum tumultu, deinde lapidatione atque concurſu. Vid. Cic. Orat. pro Sulla c. 5.
11) *L. Caſſ. Longin.* patricius fuit, divitiasque in Sullae proſcriptionibus acquiſitas profuderat libidinibus; hinc cum Cicerone et Catilina conſulatum ambiit 689, et in hac conjuratione procurationem incendendae urbis ſibi poſtulaverat, quamquam corpore pingui fuit. Cic. Cat. III, 6. et 7.
12) *C. Cetheg.* e gente Cornelia, ſocius conjurationis maxime ſtrenuus, ſummam auctoritatem, qua abſente Pompejo uſus eſt, furioſa temeritate amiſerat, ejusque recuperandae gratia ſocietatem cum Catilina inivit. C. c. 43. et Cic. Cat. III. paſſim.
13) *P. et Serv. Sullae,* fratres patrueles Sullae erant, quorum ille, anno 691, conjurationis utriusque accuſatus eſt et abſolutus, defendentibus eum Hortenſio et Cicerone in Orat. pro P. Sulla, quae nobis reſtat. Legibus ambitus interrogatus poenas dederat. Vid. c. 18. Fratris ejus Servii iterum mentio fit c. 47.
14) *L. Varguntej.* homo audax et rerum novarum cupidus, qui Ciceronem in lecto trucidandum ſuſceperat cum C. Cornelio. Vid. c. 28. Meminit ejus quoque Cic. Orat. pro Sulla c. 24. tanquam prioris jam conjurationis conſcii.
15) *Q. Annius,* Senator; cujus mentio fit, ut hominis perditi in Q. Cic. libello de Petit. Conſulat. c. 3.
16) *M. P. Laeca.* in cujus domo conjurati convenerunt. Vid. c. 27. Ceterum nomen ejus vulgo ſcribitur *Lecca,* ſed altera ſcriptura e plurium Cdd. auctoritate rectior videtur. Vid. C. et interprett. ad Cic. Cat. I, 4.
17) *L. Beſtia.* e gente Calpurnia Tribunus plebis 690. Vid. c. 43.
18) *Q. Curius.* Quaeſtor antea, haud obſcuro loco natus, ſed flagitiis et facinoribus coopertus, ideoque

Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant praeterea complures paulo occultius conſilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis ſpes hortabatur, quam inopia, aut alia neceſſitudo. Ceterum juventus pleraque, ſed maxume nobilium, Catilinae inceptis favebat. quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pa-

ſenatu motus (a cenſoribus Gellio et Lentulo a. u. 683) per Fulviam conjurationem omnem prodidit. Vid. c. 23. Ne praemia publica indicii acciperet, C. Caeſar effecit, quoniam Caeſarem quoque inter conjuratos nominaverat. Vid. Sueton. Jul. c. 27.

19) *Fulv. Nobilior* non amplius notus eſt.

20) *L. Statil.* cui mandatum erat a Lentulo, ut cum Gabinio et magna conjuratorum manu duodecim ſimul opportuna urbis loca incenderet. Vid. c. 43. 44. et 46. De eo ſupplicium ſumitur c. c. 55.

21) *Gab. Capito.* Hunc Cic. Cat. III, 3. omnium ſcelerum machinatorem (auctorem) improbiſſimum dicit, eique cognomen dat *Cimber* et ibid. c. 6. idem *Publius* vocatur; qua in re notandum eſt, non inuſitatum fuiſſe, ut unus haberet plura cognomina. Morte eum multatum eſſe infra c. 55. narratur.

22) *C. Cornel.* eques Romanus cum Varguntejo Ciceronem interficere voluit. Vid. c. 28.

23) *coloniis* etc. *Coloni* erant cives Romani in aliam civitatem traducti, qui jura inſtitutaque omnia a Pop. Rom. habebant. *Municipes* erant cives Romani ex municipiis, ſuo jure et legibus ſuis utentes. Quamquam vero colonorum conditio magis obnoxia erat, tamen potior exiſtimabatur propter amplitudinem majeſtatemque P. R., cujus (majeſtatis) iſtae coloniae, quaſi effigies parvae ſimulacraque eſſe quaedam videbantur. Gell. XVI, 13.

24) *domi* in civitatibus ſuis.

25) *complures.* ſuſpecti erant Craſſus c. 48. Antonius c. 25., alii. Vocem ſeq. *nobiles* D. tamquam ſuſpectam, quod in Cdd. nonnullis non adeſt, incluſit.

26) *quibus — copia erat.* Vid. c. 4. n. 3.

cem, malebant. Fuere item ea tempeſtate, qui crederent, M. Licinium Craſſum non ignarum ejus conſilii fuiſſe; quia Cn. Pompejus, inviſus ipſi, magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluiſſe contra illius potentiam creſcere: ſimul confiſum, ſi conjuratio valuiſſet, facile apud illos principem ſe fore.

Caput XVIII.

Sed antea item conjuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina. de quo quam veriſ-

27) *M. Lic. Craſſum.* Hic ille Quiritium poſt Sullam ditiſſimus eſt, qui jam Conſul fuerat 683, et cenſor 688, quique anno 693, cum Pompejo et Caeſare, triumviratum quem dicunt iniit, donec a Parthis interiit anno 700. Vitam ejus deſcripſit Plutarchus, qui c. 13. eum nonnulla ſuſpicione adſperſum dicit. Cf. infra c. 48. et Cic. de Off. I, 8. III, 19.

28) *inviſus ipſi*, cui Craſſus invidebat. Cf. c. 19.

29) *exercit. — ductabat.* Vid. c. 16. fin.

30) *valuiſſet*, proſpere ſucceſſiſſet.

Caput XVIII.

Conjuraverat jam antea Catilina a. u. 689, *cum Publ. Autronio et Cn. Piſone, ad conſules et plerosque ſenatores interficiendos, ſed ea conjuratio iis non ſucceſſerat.*

1) *de quo.* i. e. de qua re. C. mavult de *qua*, quod D. quoque recepit, intelligens *conjuratione*, ſed praeter neceſſitatem. Muretus Epiſt. 8. „Non te praeterit apud optimos utriusque linguae auctores reperiri quaedam, ſeu de induſtria, ſeu aliud cogitantibus peccata, quae grammatici modo *ἀνακόλουθα*, modo *σολοικοφανῆ* vocant: cum illi non ipſam conformationem orationis, aut vocum convenientiam, ſed id modo, quod ſenſum eſt, reſpiciunt." quo, inter alia multa exempla, Muretus hunc quoque Salluſtii locum, cum altero (c. 52.) recte refert.

ſume potero, dicam. L. Tullo, M. Lepido conſulibus; P. Autronius et P. Sulla deſignati conſules legibus ambitus interrogati poenas dederant. Poſt paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat conſulatum petere; quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piſo, adoleſcens nobilis, ſummae audaciae, egens, factioſus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores ſtimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, circiter Nonas Decembres conſilio communicato, parabant in Capitalio Kalendis

---

2) *L. Tullo — conſulib.* a. u. 688.

3) *H. Autron. et — Sulla.* de utroque vid. c. 17. n. 10. et 13.

4) *deſignati conſ.* in annum 689; ſed quoniam ambitus accuſati ſunt, in locum eorum L. Cotta et L. Torquatus, qui eos accuſaverant, deſignati ſunt in hunc ipſum annum. Ceterum hae duae voces in Cort. editione mendoſe ſunt omiſſae.

5) *legib. ambitus.* Fuerunt plures leges ambitus (*des Stimmenerkaufs*) ſive de ambitu, latae, quibus poena erat conſtituta iis, qui ſuffragia civium ad magiſtratus aſſequendos largitione coemiſſent. Noviſſima erat lex Calpurnia, a conſule C. Calpurnio Piſone data anno 986.

6) *interrogati*, poſtulati.

7) *poſt paullo.* Alii dicunt *paullo poſt.*

8) *repetundarum.* Repetundae ſunt pecuniae, quas provinciae Romanae a Romanorum magiſtratibus, qui illis provinciis praefuerant, vel vi, vel dolo malo ſibi ereptas, coram judicio Romae repetebant, vel aliud quodque injuſte factum, quod puniendum poſtulabant. Vid. c. 49. Primam de ea re legem tulit L. Calpurn. Piſo a ſuperiori diverſus a. u. 604. Catilina autem accuſatus fuerat a Clodio Pulchro, ob pecunias in Africa, cui praefuerat, ereptas.

9) *profiteri.* Candidati triginta dies ante comitia centuriata, in quibus conſules creabantur, nomina ſua profiteri debebant.

10) *C. Piſo* e gente Calpurnia fuit.

Januariis L. Cottam et L. Torquatum Conſules interficere; ipſi, faſcibus correptis, Piſonem cum exercitu ad obtinendas duas Hiſpanias mittere. Ea re cognita rurſus, in nonas Februarias conſilium caedis transtulerant. Jam tum non Conſulibus modo, ſed plerisque Senatoribus perniciem machinabantur. Quod ni Catilina maturaſſet, pro curia ſignum ſociis dare; eo die, poſt conditam urbem Romam, peſſu-

---

11) *Kal. Jan.* (689) quo die rebus divinis in Capitolio peractis conſules magiſtratum inire ſolebant. Cicero, qui primae hujus conjurationis mentionem facit, cum in Or. Cat. I, 6. Catilinam jam *pridie* Kalendas Jan. in comitio cum telo ſtetiſſe ait, oratoris modo loquitur, quo Catilinae furorem eo majorem depingat.

12) *ipſi.* Loco Catilinae, Sueton. in vita Caeſ. c. 9. P. Sullam nominat, cui Conſulatus, jam deſtinatus ei, ab accuſatoribus ereptus erat. At vide, quae de P. Sulla c. 17. monita ſunt.

13) *duas Hiſp.* citeriorem (Tarraconenſem) et ulteriorem, (Baeticam) quas Iberus dividebat.

14) *Ea re cognita.* eo conſilio aperto et ſucceſſu carente. Meminit hujus rei Cic. Cat. I, 6. „cum ſcias horum eſſe neminem, qui neſciat, te pridie Kalendas" etc., qua re autem non ſucceſſerit hoc conſilium, docet Sueton. Caeſ. c. 9. Praeterea notandum, hunc locum a C. aliisque aliter interpungi, quippe qui comma non poſt, ſed ante *rurſus* ponunt.

15) *Jam tum.* i. e. Kalendis Jan. Conſules modo interficiendi conſilium iis erat; ſed nunc (Nonis Febr.) Senatorum quoque plerosque interficere voluerunt. Sed pro *jam tum* Cd. Ciz. legit *jam tamen*; quod praeferendum videtur.

16) *Quod ni.* niſi Catilina prae nimia cupiditate ſignum dediſſet maturius, quam ſocii conveniſſent. Ut autem dicitur *quodſi* pro *ſi*, ita quoque *quodniſi* ſ. *quodni* pro ſimplici *niſi* ſ. *ni.*

17) *pro curia.* ante curiam. ut Cic. Liv. alii.

18) *poſt condit. urbem.* i. e. patratum foret hoc die facinus, quod nunquam ante, ex quo urbs condita erat, factum erat.

mum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant; ea res consilium diremit.

CAPUT XIX.

Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quaestor pro Praetore missus est, adnitente Crasso; quod eum infestum inimicum Cn. Pompejo cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat: quippe foedum hominem a republica procul esse volebat; simul, quia boni quam plures praesidium in eo putabant: et jam tum potentia Cn. Pompeji formidolosa erat. Sed is Piso, in provinciam, ab equi-

---

19) *ea res* etc. quae res consilium hoc irritum fecit.

CAPUT XIX.

Postea Piso in Hispaniam pro Praetore missus, ut nimiae Pompeji potentiae opponeretur, occisus est.

1) *pro Praetore* i. e. quamvis Quaestor, Praetoria tamen potestate, sive, sine Praetore. cf. Sueton. Caes. c. 9. extr.

2) *adnitente Cr.* (cf. Jug. 47 et 87.) *auf Betrieb des Crassus*, quippe qui speravit, fore, ut Pisonis ad omnia parati potentia in tantum cresceret, ut Pompejum coërcere posset.

3) *infestum* i. q. acerrimum, sive infestissimum. Hinc *inimicum*, quod omnes fere Cdd. recte tuentur, non est pro glossemate delendum, ut fecit B.

4) *boni* qui reipublicae favebant, (*Patrioten.*)

5) *praesidium;* contra nimiam Pompeji potentiam, quippe cui omnia tradita essent, cujusque auctoritas apud omnes plurimum valeret.

6) *jam tum.* Cf. c. 18. n. 14.

7) Sic C. et H. e Cdd. quod C. per antiptosin explicat: intra provinciam s. in provincia. Nam Pisonem non in itinere, a Roma in provinciam, sed in ipsa pro-

tibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est. Sunt, qui ita dicunt, imperia ejus injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeji veteres fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem adgressos: numquam Hispanos praeterea tale facinus fecisse, sed imperia saeva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiore conjuratione satis dictum.

---

vincia occisum esse, patet e cap. 21. „praeterea in Hispania Pisonem esse" et ex eo, quod habuerit equites Hispanos, quodque barbari (Hispani) nequiverint ejus imperium pati." Sed et sic dici potest in provinciam, siquidem etiam is, qui in urbe aliqua est, dicere possit: in urbem prodibo (e domo). Reliqui libri (in quibus et Rostock.) in *provincia*, quod B. retinuit.

8) *dicunt.* Sic omnes MSS., paucis exceptis. Hanc ob causam illud retinuit C. Alii dicunt post *sunt qui* (sine alio additamento) semper conjunctivum sequi. Sed contra est Cicero de offic. I, 24, 12. „sunt enim, qui — non *audent* dicere. Plura exempla collegit Heusing. ad Cic. l. c. Mitto Horat. Od. I, 1. „sunt quos *juvant*" aliosque poetas. Graeci *εἴσιν οἳ λέγουσι.* Aliter judicant Bremi ad Nepot. Milt. c. 3. et Goerenz ad Cic. de Finib. I, 20. H. et B. legunt *dicant*, more Sallustii et latinitate, ut dicunt, sic postulante. (infra c. 22. fuere, qui *dicerent*).

9) *Clientes* h. l. sunt *Anhänger*, *Ergebene*, quos Pompej. fortasse auxiliarios in exercitu habuit, dum in Hispania bellum gereret. Vid. Eutrop. VI, 1. Florus III, 22.

10) *in medio.* in dubio relinq., neque affirmabimus, neque negabimus. Tacit. Germ. 46. extr. „in *medium* relinquam." unde C. nostro quoque loco legend. conjicit *in medium*.

Caput XX.

Catilina ubi eos, quos paulo ante memoravi, conveniſſe videt: tametſi cum ſingulis multa ſaepe egerat; tamen in rem fore credens univerſos adpellare et cohortari, in abditam partem aedium ſeceſſit: atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.

Ni virtus fidesque veſtra ſatis ſpectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidiſſet; ſpes ma-

---

Caput XX.

Redit ad conjurationis primariae narrationem et refert Catilinae orationem, in conjuratorum coetu habitam, cujusſumma haec eſt: Respublica in paucorum manibus eſt, quorum miſeri ſervi ſumus, niſi nosmet ipſi vindicamus in libertatem. Nihil autem ad recuperandam eam opus eſt, niſi audacia et incepto, praemia magna erunt, labor exiguus.

1) *paulo ante.* Vid. c. 17.

2) *in rem.* Jug. c. 31. ob rem fore; utrumque i. q. utile fore.

3) *in abditam aed. part.* non Catilinae ipſius, ſed M. Laecae. Vid. Cic. Cat. I, 4. Aliter de Broſſes, T. III, p. 52. „*Il les conduiſit á l'endroit le plus reculé de ſa maiſon.*"

4) *ſeceſſit.* Sic vulgo et bene. C. autem, quem B. ſecutus eſt, e Codd. nonnullis *ſecedit*, per enallagen temporum. At quamquam ſequens *habuit* non prohibet, quominus legatur *ſecedit*, ſiquidem praeſens, quum vices praeteriti gerit, etiam praeteritum poſt ſe habere poſſit, tamen vulgatum *ſeceſſit* mutatione haud eget.

5) *orationem hujuscem.* Non habita quidem eſt haec oratio iisdem verbis; quis enim eam calamo excepiſſet? ſed talia fere Catilinam eſſe locutum auctor comperit.

6) Particulam *ſatis* C. cum vetuſtioribus MSS. delevit, etſi longe plures eam tuentur. *forent* autem ubivis fere reperitur, quamquam et altera lectio *foret* linguae regulis non adverſetur. Duobus quippe ſubſtantivis praeeuntibus, verbum ad poſterius quoque accomodari poteſt. Cic. Epiſt. ad Diverſ. IV, 12. „caſus et natura in nobis dominatur." Cf. not. ad c. 31.

7) *opportuna res cecid.* opportune ſe obtuliſſet. Cic. ad Q. fratr. I, 5. „a te mihi ſemper honeſta et jucunda *ceciderunt*."

gna, dominatio in manibus fruſtra fuiſſent: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempeſtatibus vos cognovi fortes fidosque mihi: eo animus auſus, maxumum atque pulcherrumum facinus incipere: ſimul quia vobis, eadem quae mihi, bona malaque eſſe intellexi. nam idem velle atque nolle, ea demum firma amicitia eſt. Sed, ego quae mente agitavi, omnes jam antea diversi audiſtis. Ceterum mihi in dies magis animus accenditur, cum conſidero, quae conditio vitae futura ſit, niſi nosmet ipſos vin-

---

8) *dominatio* Cdd. nonnulli *ſpes magna dominationis*, „ſed loquitur auctor oratorum more, qui per Correctionem, quam dicunt (h. l. *Herrſchaft wollte ich ſagen*), ſaepe ſimilia et magis ſignificantia ſubjiciunt, omiſſa conjunctione," C.

9) *per ignaviam*, ignavorum et vanorum hominum auxilio. Pro *ignaviam* C. mavult *ignava*, ita, ut ignava ingenia, oppoſita ſint conjuratorum *virtuti*, et vana, *fidei*, de quibus in principio orationis dixerat.

10) *tempeſtatibus*, temporibus periculoſis.

11) *eo.* propter id, propterea. c. 52. „*eo* fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam."

12) *incipere.* Noſter verba addere amat, quae alii omittunt. C. 21. „ſe initium *agendi* facturum." Jug. c. 79. „maturavere iter *pergere*." C.

13) *quae — eſſe.* C. temere delevit *quae* et *eſſe*, ut graeciſmus exiret, quamquam utrumque in omnibus fere Cdd. et Editt. legatur.

14) Jug. c. 31. „Sed haec (eadem cupere, eadem odiſſe) inter bonos amicitia, inter malos factio eſt." De pronomine *ea* ad nomen poſterius relato vid. c. 7. n. 11.

15) *diverſi.* Supra: „cum *ſingulis* multa ſaepe egerat."

16) *nosmet ipſos.* Hanc conjecturam confirmat Cd. Ciz.. Sic MSS. et H.; ſed C. e Rivii conjectura dedit *nosmet ipſi*, quod et B. recepit. Verum quidem eſt, pronomen *ipſe* in actione vere reflexiva, in nominativo poni, nec congruere in caſu cum altero pronomine, ſed adſunt tamen plura, quum aliorum, tum Ciceronis loca, in quibus nulla eſt lectionis varietas, ubi *ipſe*, ſicuti hoc noſtro loco, cum altero pronomine

dicamus in libertatem. Nam poſtquam respublica in paucorum jus atque ditionem conceſſit; ſemper illis reges, tetrarchae vectigales eſſe: populi, nationes, ſtipendia pendere: ceteri omnes, ſtrenui, boni, no-

---

in caſu convenit. Cic. de Off. I, 9. 6. „niſi *nosmet ipſos* valde amabimus." idem I, 32. 1, „quam (perſonam) *nobismetipſis* accommodamus" (ita plurimi libri habent); porro de legg. I, 10. „tam par, quam omnes inter *nosmet ipſos* ſumus. Livius X, 14. „ſi quid falſi nunciat in *ſemet ipſum* religionem recipit." C. quidem cenſet, vetuſtiores Romanos nunquam ita locutos eſſe, et loca, ubi *ipſe* cum altero pronomine conveniat, corrupta habet; ſed vereor contrarium. Ceterum pronominis hujus caſum ex oppoſitione quoque pendere, ſatis notum eſt. Vid. de omni hac re Ducker. ad Flor. III, 18., Manut. ad Cic. Epiſt. ad Famil. VII, 1., Graev. ad Juſtin. XII, 8. et Gronov. ad Liv. II, 19. Gerrh. ad Cic. de Off. I, 32.

17) *jus atque dition.* in poteſtatem et poſſeſſionem nobilium ſ. ſenatorum (cf. Jug. 31.). Liv. XXXIX, 40. „jus imperiumque." De Broſſes T. III, p. 56. ſeptem nobiles nominat, qui ariſtocratiam a Sulla inſtitutam conſervare ſtudebant ideoque a populo ſeptem tyranni vocabantur, quorum adminiſter Cicero a tribunis et Catilina dicebatur.

18) *tetrarchae* propie vocabantur, qui quartae provinciae alicujus parti praeerant, deinde omnino reguli, dignitate quidem, non nomine reges. Cic. ad Attic. II, 9. „reges atque tetrarchas" conjungit.

19) *vectigales*, vectigalia ſ. reditus ſolvebant.

20) *ſtipendia*, tributa.

21) *ceteri — omnes.* Cod. Havercamp. unus: ceteri *nos* omnes; quod pronomen quamquam non recipiendum, hoc tamen loco ſupplendum eſt.

22) *ſtrenui, boni.* Sicuti h. l. haec duo adjectiva, ita Jug. 23. eorum adverbia juxta ſe poſita leguntur: „quo plura *bene* atque *ſtrenue* feciſſet."

biles atque ignobiles vulgus fuimus, ſine gratia, ſine auctoritate, his obnoxii, quibus, ſi respublica valeret, formidini eſſemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos ſunt, aut ubi illi volunt: nobis reliquere pericula, repulſas, judicia, egeſtatem. Quae quousque tandem patiemini fortiſſumi viri? Nonne emori per virtutem praeſtat, quam vitam miſeram atque inhoneſtam, ubi alienae ſuperbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enim vero, pro Deûm atque hominum fidem! victoria in manu nobis eſt, viget aetas, animus valet: contra illis, annis atque divitiis omnia conſenue-

---

23) *Atque* (quod in Cod. Haverc. deeſt) omiſſo, fortaſſe ita locum legere poſſis: *ceteri omnes, ſtrenui, boni, nobiles, ignobile vulgus fuimus.* Nam interpretum nonnulli ad hunc locum offendunt et ſic corrigere tentant: *ignobiles atque vulgus fuimus*, vel: *atque atque ignobiles* etc.

24) *vulgus.* contemti ſ. nullo numero.

25) *obnoxii*, arbitrio ſubjecti. Cf. c. 14.

26) *resp. valeret.* ſi respublica vera eſſet, non Ariſtocratia.

27) *pericula* etc. i. e. nos ab honoribus repellunt, in judiciis accuſant, in bellum mittunt eoque in paupertatem conjiciunt. Vulgatum verborum ordinem, C. e Cdd. nonnullis, in concinniorem, ut ait, mutavit: „repulſas nobis reliquere, pericula, judicia, egeſtatem." Sed H. vulgatam recte retinuit. Ceterum huc pertinet Quinctiliani obſervatio l. III, 8.: „Catilina apud Salluſtium loquitur, ut rem ſceleratiſſimam, non malitia, ſed indignatione videatur audere."

28) *Nonne emori* etc. nonne in bello glorioſe cadere melius eſt, quam in pace turpiter mori?

29) *pro Deûm — fidem*, antiqua eſt jurandi formula, unde *deûm* pro *deorum*, vid. Quinctil. I, 6. et Cic. Orator. 46. *Prô* autem, interjectioni etiam ſervit et circumflectitur, ut docet Priſcianus, qui l. XIV. p. 997 ſic hunc loc. citat.

30) *victoria — eſt.* C. omiſſo *eſt*: victoria nobis in manu.

runt. tantummodo incepto opus eſt: cetera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt, illis divitias ſuperare, quas profundant in exſtruendo mari et montibus coaequandis: nobis rem familiarem etiam ad neceſſaria deeſſe? illos binas, aut amplius, domos continuare: nobis larem familiarem nusquam ullum eſſe? Cum tabulas, ſigna, toreumata emunt; nova diruunt, alia aedificant; poſtremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant, tamen ſumma lubidine divitias vincere nequeunt. At nobis eſt domi inopia, foris aes alienum: mala res, ſpes multo aſperior. denique,

---

31) *conſenuerunt.* debilitati et fracti ſunt, et corpore et animo.

32) *res.* ipſum factum.

33) *ſuperare.* abunde eſſe.

34) *exſtruendo mari.* aedificia in ipſo mari aedificando. Cf. c. 13. n. 2. Gruter voluit: *in excludendo*, Gronov. *in extrudendo*, ſed neutra mutatione opus eſt. De re cf. c. 13, 1. 2.

35) *continuare.* domos vicinas adſtruere ſ. conjungere ſuis. „duas domos conjungere." Cic. pro Domo 44. Liv. IV, 22 et XXXIV, 4.

36) *larem famil.* domum, quae familiam capiat. Lar enim familiaris (domus cujusque peculiaris deus) pro domo ipſa ponitur. Horat Od. I, 12. v. 44 et 45. „avitus apto cum *lare* fundus."

37) *Cum* pro *etſi*, *quamquam*, ſequente *tamen*. Jug. VI, 1. „et *cum* omnis gloria anteiret, omnibus *tamen* carus eſſe." Cic. de Orat. II, 46. „*Cum* alieniſſimos defendimus, *tamen* eos alienos exiſtimare non poſſumus"

38) *toreumata.* c. 11, *vaſa caelata.*

39) *Trahere* eſt modis indignis distrahere, (ut in bello) et *vexare* i. q. c. 14. *lacerare*, qua ſumma lubido et profundendi arbitrium notatur. C. *verſchleudern und vergeuden.*

40) *lubidine*, cupiditate.

41) *mala res.* praeſens noſtra conditio mala eſt, ſed pejor etiam futura.

quid reliqui habemus, praeter miſeram animam? Quin igitur expergiſcimini? En illa, illa, quam ſaepe optaſtis, libertas, praeterea divitiae, decus, gloria in oculis ſita ſunt! Fortuna ea omnia victoribus praemia poſuit. Res, tempus, pericula, egeſtas, belli ſpolia magnifica, magis quam oratio mea vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini; neque animus, neque corpus a vobis aberit. Haec ipſa, ut ſpero, vobiscum una conſul agam: niſi forte me animus fallit, et vos ſervire magis, quam imperare, parati eſtis.

---

42) *animam*, vitam, ut c. 51, 6. et 52, 5. De Broſſ. „*l'air miſérable, que nous reſpirons.*"

43) *Quin*, particula excitandi pro *cur non.* Liv. I, 57. „*quin* ſi vigor juventae ineſt, conſcendimus equos?"

44) *illa, illa.* Codd. nonnulli ſemel tantum *illa* habent. Sed bene habet vulgata. Cic. Catil. III, 9. „*ille, ille* Jupiter reſtitit" Caeſ. B. Gall. V, 44. „*hic* dies, *hic* dies de noſtris controverſiis judicabit."

45) *decus*, honores.

46) *ea omnia.* Sic vulgo ac bene. Sed C. *ea* cum duobus Cdd. omiſit. Senſus: ſi fortuna nobis faverit et nos vicerimus, ea omnia tanquam victoriae praemia accipiemus.

47) C. *mea* et *vos* contra omnes fere Cdd. delevit. H. et B. illa bene retinuerunt.

48) *animus — corpus.* Alterum ad imperatorem, alterum ad militem referendum eſt. *Si milite me utemini, fortiter pugnabo, ſi imperatore, conſilio et arte vos ducam.* De Broſſ. „*ma tête ni mon bras ne tromperont jamais votre eſpérance.*"

49) C. voc. *una* delevit e Cdd. paucis eumque B. ſecutus eſt.

50) *niſi forte me. me* poſtremum C. temere expungit, invitis etſi Cdd. plurimis; ſequens *vos* illi oppoſitum eſt.

51) Revocandum erat *magis*, quod C. male delevit.

Caput XXI.

Poſtquam accepere ea homines, quibus mala abunde omnia erant, ſed neque res neque ſpes bona ulla; tametſi illis quieta movere, magna merces videbatur; tamen poſtulare plerique, uti proponeret, quae conditio belli foret: quae praemia armis peterent: quid ubique opis aut ſpei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proſcriptionem locupletium, magiſtratus, ſacerdotia, rapinas, alia omnia, quae bellum atque lubido victorum fert. Praeterea, eſſe in Hiſpania citeriore Piſonem, in Mauretania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, conſilii ſui par-

---

Caput XXI.

Sociis; conditionem belli et praemia ſcire poſtulantibus Catilina ſatisfacit.

1) *neque res.* ſed neque nunc boni quicquam habebant, neque in futurum tale quid ſperare poterant.
2) *quieta.* quietum reipublicae ſtatum turbare.
3) *quae conditio* etc. C.: *qua ratione bellum gerere cogitaret.*
4) *tabulas nov.* quibus publica auctoritate pecuniae creditae debitoribus ex parte condonabantur. *Novae* dicebantur, quod priores abolebantur. Vid. Heuſing ad. Cic. de Off. II, 23, 13.
5) *proſcriptionem*, cujus auctor Sulla fuit.
6) *Sacerdotia* recte diſtinguit a *magiſtratibus*, qui res civiles curabant. Sacerdotes enim magiſtratus nunquam fuerunt, neque imperium unquam habuere. C.
7) *Piſonem*, (vid. c: 18.) qui hoc tempore aut adhuc in vivis erat, aut cujus caedem Catilina ignorabat, vel ignorare ſe ſimulabat.
8) *Sittium Nuc.* Hic eſt ille Sittius, qui Romae accuſatus, non expectato judicio profugit paullo ante, quam Catilinae conjuratio erupit: collectisque ex Italia et Hiſpania copiis, in quibus multi exules, in Africam trajecit; ubi cum bellum eſſet inter Africae regulos, modo huic, modo illi auxilio fuit, ſemper vincentibus illis, quibus ille ſeſe adjunxiſſet. C. Vid. Appian. b.

ticipes: petere conſulatum C. Antonium, quem ſibi collegam fore ſperaret, hominem et familiarem, et omnibus neceſſitudinibus circumventum: cum eo ſe conſulem initium agendi facturum. Ad hoc maledictis increpat omnis bonos: ſuorum unumquemque nominans laudare; admonebat alium egeſtatis, alium cupiditatis ſuae, complures periculi aut ignominiae multos victoriae Sullanae, quibus ea praedae fuerat. Poſtquam omnium animos alacris videt; cohortatus

---

civ. IV, 55. et Cic. pro Sylla c. 20., quippe qui eum contra crimen ſocietatis conjurationis Catilinariae defendit.

9) *Antonium.* Caj. Antonius cognomine *Hybrida* M. Antonii oratoris clariſſimi filius et M. Antonii Triumviri patruus fuit. Eum Cicero, cujus collega in conſulatu factus eſt, quum dubiae eſſet fidei et morum diſſolutorum, pactione provinciae pepulit, ne contra rempublicam ſentiret. Vid. c. 26. Idem contra Catilinam exercitum duxit. Vid. c. 56. 56. et 59.

10) *neceſſitudinibus.* omnibus difficultatibus, quae ultima experiri juberent, ſeptum, ſ. inopia et aere alieno oppreſſum. Cf. Plutarch. Cic. c. 12.

11) *cum eo ſe conſulem.* Cdd. nonnulli *cum eo conſule, ſe.* Sed C. e conject. ſua recepit: *eo conſulem* initium etc. quod explicat: „quique (Antonius) propterea, (eo) ſi conſul declaratus eſſet, per ſe initium facturus eſſet rerum, quas conjuratio cuperet, caedis nempe, proſcriptionis aliarumque rerum." in quo nec quisquam meliorum editorum eum eſt ſecutus.

12) *agendi* ſupple ea, quae conſtituta ſunt. Cdd. nonnulli: *belli agendi*, alii: *belli gerendi*, alii denique: *initium belli facturum.*

13) *increpat* (objurgat) ſicut ſeq. *admonebat* infinitivis hiſtoricis, qui antecedunt et ſequuntur intermixtum eſt.

14) *praedae fuerat.* quae iis praedam attulerat, ut e pauperibus divites facti eſſent, quod de iisdem narrat c. 37.

ut petitionem ſuam curae haberent, conventum dimiſit.

Caput XXII.

Fuere ea tempeſtate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad jusjurandum popularis ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem, vino permixtum, in pateris circumtuliſſe; inde, cum

---

15) *petitionem ſuam*, petitionem conſulatus ſui ita curarent, ut et ipſi ſuffragia ferrent et aliorum colligerent.

Caput XXII.

De eo, quod dicunt, Catilinam in jurejurando ſanguinem humanum adhibuiſſe, nihil adfirmo.

1) *popularis ſceleris.* ſocios ſ. conſcios conjurationis. C. 24, 1. „quod factum primo *populares* conjurationis concuſſerat." Donat. in Terent. Adelph. act. II, ſc. 2. „*popularitas* in omnis rei conſortium ſumitur." Inde *popularis*, quivis ſocius eſt.

2) *adigeret* ex egregia C. conjectura eſt. Codd.: *adiceret* et *addiceret*, quod ſenſu caret. Caeſar de B. G. VII, 67. „omnibus ad jusjurandum *adactis*." Idem de B. C. I, 76. „Ipſe idem jusjurandum *adigit* Afranium." et ibid. II, 18. „Provinciam omnem in ſua et Pompeji verba jusjurandum *adigebat*." Juſtin. VIII, 4. „jurejurando *adactis*." Seneca Epiſt. 96. „mandanturque jusjurandum *adactis*."

3) *ſanguinem*. Dio Caſſ. XXXVII. p. 43. memorat, puerum a conjuratis mactatum ſuperque ejus viſcera jusjurandum conceptum eſſe. Huic conſentit Plutarch. vit. Cic. 10. Florus IV, 1. „Additum eſt pignus conjurationis, ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibêre: ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberent."

4) *in pateris*. Varro de L. L. IV, 26. „In poculis erant *paterae*, eo quod pateant, latine ita dictae." Iſid. Origin. XX, 5. „Paterae phialae ſunt dictae, vel quod in ipſis potare ſolemus, vel quod *patentes ſunt*, *diſpenſisque labris*" Varro l. c. „in ſacrificando deis, hoc poculo magiſtratus dat deo vinum."

poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſollemnibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum, atque eo, dictitare, feciſſe, quo inter ſe fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conſcii. Non-

---

5) *poſt exſecrationem*. poſtquam ſe omnesque eos exſecrati erant, qui conjurationem aut proderent aut ab ea diſcederent. Sic apud Horat. Epod. XVI, 17. „Phocaeorum profugit *exſecrata* civitas," i. e. exſecrationibus in ſe uſa. cf. Liv. I, 24. XXI, 45.

6) *fieri conſuevit* C. ad omnia, quae anteceſſerunt, refert: *pateras*, *exſecrationem* et *deguſtationem*. Sed velim ad ſanguinis tantum hoſtiae deguſtationem trahas, quae in foederibus faciendis in uſu fuiſſe videtur. Vid. Dan. Heinſ. ad Sil. I, v. 119.

7) *conſilium h. l.* non eſt belli conditio, ſed *mens* (*die Abſicht*), quare ſanguinem conjuratis bibendum dederit. Quam explicationem contextus poſtulat.

8) *Atque eo, dictare feciſſe.* C. explicat (Vid. ejus Excurſ. ad Cat. III.) „atque dictabant (nempe illi, qui Catilinam ſanguinem circumtuliſſe dicebant) id eo (propterea) illum feciſſe, quo etc." *dictare* igitur pro *dictavere* ſumſit, idque recte, credo. Nam etſi antecedit: *fuere — qui dicerent*, tamen dictâre ſequi poteſt, per enallagen pro *dictarent*, etiamſi ita non corrigas. Cortium ſecutus eſt B. aliique. Waſſius contra interpretatur: „atque ideo ſe (Catilinam) feciſſe dictitare" (dictitaſſe). Ceterum Cdd. in lectione variant: *atque ideo dictum feciſſe, atque eo dictam rem feciſſe; dictitavere.* Omitto conjecturas.

9) *conſcii.* ut omnes ſecum tanti facinoris (ſanguinem humanum deguſtaſſe) conſcii eſſent, eoque arctius inter ſe conjungerentur. *Alius*, (collectivum,) cum plurali jam adfuit c. 6. et 7., *conſcius* autem cum dativo (graeco more) apud Curtium quoque VI, 10, 20. occurrit: „ſi conſcius *Dymno* tanti ſceleris fuiſſem." Ceterum ſimili modo Apollodorus Caſſandrenſis ſanguinem pueri, quem interfecere, cum aſſeclis bibit, ut efficeret τῇ κοινωνίᾳ τοῦ μιάσματος τὸ πιστὸν τῆς ἐπιθέσεως. Diod. Sic. de virt. 22. Polyaen. ſtrat. VI, 7, 2. cf. et Herodot. IV, 70 et Liv. X, 58.

nulli ficta et haec, et multa praeterea exiſtumabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quae poſtea orta eſt, leniri credebant atrocitate ſceleris eorum, qui poenas dederant. Nobis ea res pro magnitudine parum comperta eſt.

---

10) *et* haec, *et* multa. Utrumque *et* C. h. l. contra Cdd. fidem omiſit.

11) *invidiam.* (paſſive), qua Cicero affectus eſt. Quinctil. Inſt. Orat. VI, 2. „Invidiam duplicem intelligi volo, namque altera *invidum*, altera *invidioſum* facit." e qua explicatione Cicero h. l. *invidioſus*, non *invidus* fuit.

12) *orta eſt.* Cicero conjuratos nonnullos comprehenſos atque confeſſos necari juſſit e ſenatus conſulto (vid. c. 55.); ſed quoniam lex Sempronia vetabat: „ne de capite civis Romani injuſſu populi judicaretur" (contra audi Cicer. Orat. Cat. I, 11. et IV, 5.) primum Metellus Nepos, Tribunus pl., Ciceronem, abeuntem a conſulatu, concionis habendae poteſtate privavit (vid. Epiſt. ad Diverſ. V, 2, 14.) et deinde Clodius Tribunus, Ciceroni inimiciſſimus, anno 695, rogationem promulgavit: „qui civem Romanum indemnatum interimiſſet, ei aqua et igni interdiceretur" (Vellej. II, 45.) Quam legem, quum ad ſe temere traxiſſet Cicero, urbem relinquere coactus eſt; ſed poſt ſedecim menſes Caeſaris et Pompeji auctoritate, quippe qui eum ſibi obligatum reddere vellent, eandemque ob cauſam urbe pulſum paſſi eſſent, reſtitutus eſt.

13) *pro magnitudine.* Nimis magna (gravis) haec res eſt, quam ut ſine locuIento teſtimonio quidquam certi a nobis affirmari poſſit.

CAPUT XXIII.

Sed in ea conjuratione fuit Q. Curius, natus haud obſcuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus; quem Cenſores Senatu, probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas, quam audacia inerat; neque reticere, quae audierat, neque ſuamet ipſe ſcelera occultare. prorſus neque dicere, neque facere quidquam penſi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, ſtupri vetus conſuetudo; cui cum minus gratus eſſet, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians maria montesque polliceri coepit; minari interdum ferro, niſi

---

CAPUT XXIII.

Curius conjuratorum unus, conſilium Fulviae cuidam aperit eaque rem compluribus narrat.

1) Pro *conjuratione*, ut omnes fere Cdd. legunt C. e paucis recepit *conventione*. Eum ſecutus et B. Vulgatam bene praetulit D.

2) *Q. Curius.* De hoc vid. c. 17.

3) *flagitiis — facinorib.* flagitium (*Laſter*) ſibi nocet, facinus (*Schandthat*) aliis.

4) *probri,* turpis et impudicae vitae cauſa. cf. Liv. 25, 2.

5) *Cenſores* omnium ordinum mores inſpiciebant; et non ſolum plebejos in capite cenſos ſ. proletarios detrudere, ſed etiam equites ex ordine equeſtri itemque ſenatores *ſenatu movere* (quae formula ſolennis erat), poterant. De origine et jure eorum vid. Liv. IV, 8. Hinc D. bene e Cdd. aliquot, loco *amoverant*, ut vulgo legitur, repoſuit *moverant*, quod et B. habet.

6) *inerat* C. invitis Cdd. delevit.

7) *penſi habebat.* Vid. ad c. 5. n. 15.

8) *Fulvia*, non amplius nota eſt. (Plutarchi in Cic. *Φουλβία γυνὴ τῶν ἐπιφανῶν*). Alia eſt Clodii conjux, quae poſtea Antonio Triumviro nupſit.

9) *montesque.* Terent. Phorm. Act. I, Sc. 2, V. 18. „montes *auri* polliceri."

obnoxia foret: poſtremo ferocius agitare, quam ſolitus erat. At Fulvia inſolentiae Curii cauſa cognita, tale periculum reipublicae haud occultum habuit, ſed, ſublato auctore, de Catilinae conjuratione, quae quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res imprimis ſtudia hominum accendit ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni.

---

10) *obnoxia.* morigera h. l. in re turpi. Cf. c. 14, 6.
11) *ferocius agitare* i. q. ſeſe gerere, *betrug ſich ungeſtümer.*
12) *inſolentiae cauſa cognita.* quum e Curio percunctando accepiſſet, conjurationem mox erupturam eſſe, cujus in ſpe Curjus tam inſolens erat.
13) *haud occult. habuit*, haud occultavit. nos; *hielt* nicht verſchwiegen. Jug. c. 10. „neque ea res falsum me habuit" (me fefellit). Cicero ad Div. VI, 2. „ſtatutum habens." Ibid. VII, 3. „*ſollicitum* te *habebat* cogitatio." Tacit. Ann. II, 57. „cuncta — *laetum* Germanicum *habebant*."
14) *ſublato auctore.* ſuppreſſo nomine Curii.
15) *ſtudia accendit.* nobiles Romanos reddidit propenſos et cupidos ad etc. Jug. c. 6. extr. „ad hoc ſtudia Numidarum in Jugurtham accenſa."
16) *M. T. Ciceroni.* Cicero hoc anno (690 a. u.) quadraginta tres annos natus (qui annus ad conſulatum petendum legitimus erat) et muneribus Quaeſtoris, Aedilis atque Praetoris antea functus, inter alios plures competitores habuit Catilinam atque Antonium, qui ne collegae in conſulatu fierent, omnes boni Ciceronem, jam per ſe volentem inſtigabant, ut competitor fieret. Quamquam vero Catilina et Sulp. Galba, inter competitores ſoli patricii erant (pro Muraena c. 8.) et Catilinae Antonioque Caeſar et Craſſus favebant (Ascon. Ped. argum. in Tog. cand.), (non tam amicitia eorum, quam Ciceronis invidia commoti); maxima tamen nobilium pars metu conjurationis aliarumque civilium turbarum, Ciceroni non minus quam plebeji favebant, eumque *univerſus populus Romanus multis poſt annis primum hominem novum, prima petitione et ſuo* (i. e. legitimo) *anno una voce conſulem declaravit*, etſi nobilitas ex longo tempore (e Marii conſulatu) eum locum (conſulatum) praeſidiis firmatum et omni ratione obvallatum tenuerat. (Vid. Orat. de leg. agrar. contr. Rullum c. 1. et 2., coll. Orat. pro Murena c. 8. et in Piſon. 1.) Unde facile intelligere eſt, et quanta Ciceronis fuerit in civitate fides, et quam alieno fuerit Salluſtius in eum animo, qui haec tam paucis et jejune abſolvere potuerit; qua de re vide nos infra c. 53.

Namque antea pleraque nobilitas invidia aeſtuabat, et quaſi pollui conſulatum credebant, ſi eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret. Sed ubi periculum advenit, invidia atque ſuperbia poſtfuere.

Caput XXIV.

Igitur comitiis habitis, Conſules declarantur M. Tullius et C. Antonius. quod factum primo popularis conjurationis concuſſerat. Neque tamen Catilinae furor minuebatur; ſed in dies plura agitare; arma per Italiam locis opportunis parare;

---

17) *homo novus*, apud Romanos dicebatur, pui primus in familia magiſtratu curuli fungebatur ideoque per ſe ipſum emerſerat; quemque ideo Cicero (Orat. in Cat. I, 9.) *per ſe cognitum* et (pro Planc 27.) *a ſe ortum* nominat. Appian de bello civ. II, 2. „*καλοῦσι οὕτω τοὺς ἀφ᾽ ἑαυτῶν, ἀλλ᾽ οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους.*"
18) *poſtfuere*, poſtpoſita ſunt (*ſtanden nach*). C.

Caput XXIV.

Catilina bellum parat et cujusque generis homines, in quibus et mulieres ſunt, adſciſcit.

1) *comitiis* int. centuriatis, in quibus populus Roman. in 192 centurias diviſus in campo Martio Conſules, Praetores et Cenſores creabat.
2) *C. Anton.* Vid. c. 21. n. 10.
3) *popularis* C. 22. pr. „populares ſceleris" ubi conf. not. 1.
4) *concuſſerat* int. metu et terrore.
5) *minuebatur.* Pro minuebatur Acidalius ad Vellej. commendat *minuebat* (int. ſe). Vid. Ruhnken. T. II. p. 584.

pecuniam ſua, aut amicorum fide ſumtam mutuam, Faeſulas ad Mallium quemdam portare, qui poſtea princeps fuit belli faciundi. Ea tempeſtate plurimos cujusque generis homines adſciviſſe ſibi dicitur; mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis ſumtus ſtupro corporis toleraverant: poſt, ubi aetas tantummodo quaeſtui, neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. per eas ſe Catilina credebat poſſe ſervitia urbana ſollicitare, ur-

6) *ſua — fide.* Quamquam Catil. omnium rerum maxime egenus et aere alienó oppreſſus erat (Cic. Cat. I, 6.), ei tamen aliqua fides erat propter uxorem Oreſtillam. Vid. c. 33.

7) *Faeſulas* oppidum Etruriae ad Apennini radices ſitum (Cic. Cat. I, 2.), quo Sulla coloniam deduxerat. (Cic. Cat. II, 9.)

8) *Mallius*, quemadmodum eum Plutarch., Dio Caſſ. et Appian. et hoc Salluſtii loco aliquot Cdd. vocant (alii *Manlius*) militaverat ſub Sulla (Plut. Cic. c. 14.), et aetate jam affectus erat (Cic. Cat. II, 9.), ſed luxuria profuderat divitias, ſicuti plerique Sullani, eamque ob cauſam Catilinae ſe adjunxerat. Ceterum erat homo *quidam*, i. e. obſcurus, praecipuae tamen audaciae, ut videtur.

9) *princeps.* primus aperte bellum fecit; „*qui depuis leva le premier l'étendard de la révolte.*" de Broſſes. Nam multitudinem paravit ad arma capienda c. 27. et arma ceperat c. 30. et caſtra habebat c. 32. De formula *bellum facere* vid. not. ad c. 26.

10) *adſciviſſe ſibi.* pronomen *ſibi* C. ex aliquot libris abjecit; H. contra retinuit.

11) *toleraverant.* (*beſtritten hatten.*) Terent. Heaut. II, 2. v. 33. „cum *tolerare* hujus ſumtus non queat."

12) *ubi aetas — fecerat.* ubi aetas earum quaeſtum quidem diminuerat, ſed luxuriam non item. Cic. Cat. II., 5. „res eos jampridem, fides deficere nuper coepit, eadem tamen illa, quae erat in abundantia, libido permanet."

13) *conflaverat.* Cf. c. 14. n. 6.

14) *ſervitia.* ſervos.

bem incendere, viros earum vel adjungere ſibi, vel interficere.

Caput XXV.

Sed in his erat Sempronia, quae multa ſaepe virilis audaciae facinora commiſerat. Haec mulier genere atque forma, praeterea viro, liberis ſatis fortunata fuit: literis Graecis atque Latinis docta: pſallere et ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt

15) *urbem incendere.* Memineris, Semproniam, quae in his mulieribus erat, ſaepe virilis audaciae facinora commiſiſſe, ut ſtatim de ea auctor affirmat.

Caput XXV.

Semproniae, quae conjurationis particeps erat, deſcriptio.

1) *ſed*, quod hoc in capite ter occurrit (*ſed* in his Sempronia; *ſed* ei cariora ſemper omnia; *ſed* ea ſaepe ante hac) et alibi ſaepius, (e. c. c. 1.) in tranſitionibus noſter adhibet.

2) *genere.* Fuit itaque, ut videtur, e familia Semproniorum *Atratinorum* patricia; ſiquidem gentis Semproniae erant, quantum ſcimus, familiae tres, quarum una (Atratinorum) patricia erat, reliquae duae (*Gracchorum* et *Ritionum*) plebejae.

3) *atque, praeterea* et *fuit* C. omiſit. B. pro *atque* habet *ac* et verbum *fuit* cum G. delevit.

4) *viro.* (marito) Decimo Junio Bruto, conſule a. 676, quem Cicero in Bruto c. 47. literis graecis et latinis doctum vocat. Fuit pater Decimi Junii Bruti *Albini*, qui cum *Marco* Junio Bruto et C. Caſſio contra Caeſarem conjuravit. Hunc ipſum filium, non patrem, alii h. l. intelligunt. Ceterum Brutus Semproniae hujus maritus, conjurationis Catilinariae particeps non fuit.

5) *pſallere.* repete docta, ut Horat loquitur Od. IV, 13. „docta pſallere Chia." Pſallere proprie ſignificat ad inſtrumentum fidibus obductum, quod pſalterium vocabant, cantare, deinde univerſe cantare ad fidium ſonos. (Cort. et Ern. ad Sueton. Tit. c. 3.) Macro-

probae: multa alia, quae inſtrumenta luxuriae ſunt. Sed ei cariora ſemper omnia, quam decus atque pudicitia fuit. pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; lubidine ſic accenſa,

---

bius Saturn. II, 10. p. 308. ,,taceo, quod matronae etiam ſaltationem non inhoneſtam putabant: ſed inter *probas* quoque earum erat ſaltandi cura, dummodo non curioſa usque ad artis perfectionem. Quid enim ait Salluſtius: *pſallere, ſaltare elegantius, quam neceſſe eſt probae.* Adeo et ipſe Semproniam reprehendit, non quod ſaltare, ſed quod optime ſcierit." Ceterum C. copulam *et* cum Macrobio et Cdd. aliquot expunxit.

6) *probae.* caſtae.

7) *multa alia.* repete *docta*, a quo pendent etiam *pſallere* et *ſaltare*. Nam diverſos caſus (*litteris et multa alia*) noſtrum conjungere ſatis notum eſt, C.

8) *inſtrumenta* ,,artes, quae miniſtrae ſunt voluptatum." Cic. de Off. I, 42, Verbum *ſunt* C, ut ſolet, omiſſit.

9) *decus.* exiſtimatio, ſive quod decebat matronam ejus loci. C.

10) *Pro fuit.* nonnulli libri *fuere*; ſed major eorum pars tuetur *fuit*, non adverſante uſu loquendi. Nam duo plurave ſubſtantiva (vel ejusdem numeri vel diverſi) verbum plurale vel ſingulare promiſcue adſciſcunt. C. 37. ,,quorum parentes proſcripti, bona erepta, jus libertatis imminutum *erat*." C. 12. ,,gloria, potentia, imperium *ſequebatur*." Cic. ,,caſus et natura in nobis *dominatur*." Idem Epiſt. ad Q. Fr. I, 1. ,,Etſi non dubitabam, quin hanc epiſtolam *multi nuncii*, fama denique *eſſet* ipſa ſua celeritate ſuperatura." Quibus in exemplis verbi numerum ſemper ad ſubſtantivum proxime antecedens relatum vides. Cf. c. 20. n. 6.

11) *discerneres* C. et B. contra libros *decerneres*, Gronovii (Obſervatt. III, 15. p. 417.) auctoritate commoti. Etſi autem Gronovio concedam, *discernere* eſſe ſeparare, dirimere, diſtinguere, dividere; *decernere* autem vel decertare vel judicare et certum ſtatuere, tamen utrumque hoc noſtro aliisque, quos citat Gronov. locis et quos ex praecepto ſuo corrigit, eodem redire contendo, et hoc discrimen citius fieri poſſe, quam uſu probari.

ut ſaepius peteret viros, quam peteretur. Sed ea ſaepe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, caedis conſcia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat. Verum ingenium ejus haud abſurdum; poſſe verſus facere, jocum movere, ſermone uti vel modeſto, vel molli, vel procaci. prorſus multae facetiae multusque lepos inerat.

Caput XXVI.

His rebus comparatis, Catilina nihilo minus in proxumum annum conſulatum petebat; ſperans, ſi

---

12) *lubid. ſic accenſa.* eamque lubido ita inflammaverat. Utrum vero *accenſa* pro nominativo habeas conveniente cum Sempronia an ut ablativum ad *lubidine trahas* (*war von ſo entflammter Wolluſt*) id ad ſenſum nil prorſus facit. Cdd. quidem nonnulli *lubido* habent, (i. e. lubido illius ſic accenſa erat), quos ſecutus eſt C. et D., ſed vulgata tamen optime ſe habens non eſt mutanda.

13) *fidem prodid.* non ſerv[illegible]erat. Cic. Acad. II, 8. ,,ut officium *prodat et fidem*."

14) *abjuraverat* juraverat ſibi non creditum eſſe, quod revera creditum fuerat.

15) *praeceps abierat.* praecipitem ſeſe dederat.

16) *haud abſurd.* ceterum animi ejus dotes haud vulgares erant, nec contemnendae. cf. Tacit. Ann. XIII, 45.

17) *modeſto.* (ut matrona); *molli* ſ. dulci (ut puella), vel *procaci* (ut meretrix).

18) *prorſus*, in ſumma, uno verbo. Cf. c. 15. ,,*prorſus* in facie vultuque vecordia inerat." i. q. *poſtremo* c. 23. Jug. 76. ,,*prorſus* ab utrisque nihil reliquum fieri."

19) *facetiae — lepos* Stromb. ,,*Witz u. Anmuth.*"

Caput XXVI.

Catilina conſulatum in proximum annum petit et Ciceroni inſidias ſtruit; ſed ubi utrumque ſucceſſu caruit, bellum facere conſtituit.

1) *His rebus comp.* explicandum videtur: rebus ſic (ad bellum) praeparatis; *nihilominus* autem, quod ſtatim ſequitur, ad turbarum et conſulutus incongruentiam reſpicere. Alii aliter.

2) *proxim. annum.* intell. annum 691. Sed Catilinae petitio adhuc extremo anno 690, Cicerone et Antonio

deſignatus foret, facile ſe ex voluntate Antonio uſurum. Neque interea quietus erat, ſed omnibus modis inſidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut aſtutiae deerant. Namque a principio conſulatus ſui, multa pollicendo per Fulviam, effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, conſilia Catilinae ſibi proderet. Ad hoc collegam ſuum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempublicam ſentiret. circum ſe praeſidia amicorum atque clientium occulte habebat. Poſtquam dies comitiorum venit, et Catilinae

---

conſulibus fiebat. Prohibuit eum Cicero lege Tullia de ambitu lata 690, in qua exſilium decem annorum additum erat poenis, quae jam lege Calpurnia in ambitum conſtitutae erant. Vid. Cic. pro Mur. c. 32 ſq. Cf. Dio Caſſ. XXXVII, p. 42.

3) *Dolus* vox eſt media. Ulpian. leg. 1. §. 3. D. de dolo malo: „Veteres *dolum* etiam bonum dicebant et pro *ſollertia* hoc nomen accipiebant: maxime ſi adverſus hoſtem latronemve machinetur." — *Aſtutia* (ab ἄστυ) proprie eſt *urbanitas*, oppoſita ruſticae ſimplicitati, deinde idem fere quod *calliditas*.

4) *Namque a princip.* Curius jam anno 689 priusquam Ciceroni conſulatus mandabatur conſilia Catilinae per Fulviam aliis quoque patefecerat. c. 23.

5) *paulo ante.* c. 23.

6) *Ad hoc.* praeterea.

7) *pactione prov.* Cicero *Macedoniam* provinciam meliorem conceſſit Antonio ſibique ſumſit *Galliam.* Plutarch. Cic. c. 12. et Cic. in Piſon c. 2. et alibi. Eumque ut ipſe ait l. c. „patientia et obſequio ſuo mitigavit." Antonius autem tam ſuſpectae fidei fuit, ut ab Appiano, in ipſis conjuratis numeretur. De Anton. cf. c. 21.

8) *amicorum.* Cic. Catil. I, 5. „Cum proximis comitiis conſularibus (vid. not. ſeq.) me conſulem in campo et competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus *amicorum praeſidio et copiis*, nullo tumultu publice concitato." cf. Plutarch l. c. c. 14.

neque petitio, neque inſidiae, quas conſuli in campo fecerat, proſpere ceſſere; conſtituit bellum facere et extrema omnia experiri: quoniam quae occulte tentaverat, aſpera foedaque evenerant.

---

9) *dies comitior.* die 21 menſ. Octob. 690, a. u. quo D. Jun. Silanus et L. Licin. Murena Conſules in annum ſequentem 691 electi ſunt. His comitiis, quibus Cicero, Conſul primo renuntiatus intereſſe debebat, Catilina eum interficere conatus eſt, ſed Cicero amicorum praeſidio incolumis evaſit. Vid. Cic. Cat. I, l. c. et pro Murena c. 26. et pro Sulla c. 18. Cf. not. proxime antecedentem. Ceterum de die non certo conſtat. (Muretus conjicit, haec comitia d. 28. Oct. demum eſſe habita, in hunc diem, ab d. 21 Octobris, quo indicta primum erant dilata. Vid. Otto ad Or. Cat. I, 3.)

10) Pro *conſuli* C. et H. e multis libris receperunt *conſulibus*. Sed quum Salluſtius et antea et poſt c. 27. et 32. de uno tantum Cicerone conſule (is enim Catilinae conſiliis multum officiebat. c. 27. extr.) loquatur, nec fieri poſſit, ut Antonius ſimul peteretur inſidiis, equidem lectionem *conſuli* Salluſtio ipſo ſuadente et ſuffragante Bipontina retinendam eſſe duxi, quamquam non ignoro, Ciceronem dicere (Or. Cat. I, 5.) non ſibi ſolum, ſed Catilinae etiam *competitoribus* inſidias eſſe ſtructas, et hos quoque poſſe poſt deſignationem conſules nominari. Nulla tamen ideo eſt inter Salluſtium et Cic. hac in re diſcrepantia, ſiquidem noſter primariam tantum perſonam nominat. Accedit, quod C. infra c. 27. lectionem vulgatam *conſuli* retinuit, etſi et ibi Codd. aliquot *conſulibus* habent.

11) *in campo*, ſupple Martio, ubi comitia centuriata atque tributa habebantur.

12) *bellum facere.* (Thucyd. πόλεμον ποιεῖσθαι) apud noſtrum non ſolum (c. 24 et 52.), ſed etiam apud Cicer. (Or. Cat. III, 9) Caeſar. (B. G. III, 29. extr.) Nepotem (Dion. c. 4. Ageſil c. 2.) Tacitumque (Ann. III, 18) legitur.

13) *aſpera foedaque*, aſpere foedeque (*übel und ſchimpflich*); nam poſtero die (Octob. 22.) Catilina, a L. Paullo, e lege de vi et armatis hominibus, accuſatus (cujus accuſationis Salluſtius c. 31. mentionem fe-

Caput XXVII.

Igitur C. Mallium Faeſulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimiſit; praeterea alium alio, quem ubique opportunum ſibi fore credebat. Interea Romae multa ſimul moliri; Conſuli inſidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obſidere: ipſe cum telo eſſe, item alios jubere: hortari, uti ſemper intenti paratique eſſent: dies noctesque feſtinare, vigilare, neque inſomniis neque labore fatigari. Poſtremo ubi multa agitanti nihil procedit, rurſus intempeſta nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Laecam: ibique multa de ignavia eorum queſtus, docet, *ſe Mallium praemiſiſſe ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat;*

---

cit) M. Marcello in liberam cuſtodiam ſe tradidiſſe videtur. Vid. Cic. Or. in Cat. I, 8. Foeditas autem in eo potiſſimum quaerenda videtur, quod, quum ſe in cuſtodiam dare vellet, ab omnibus viris bonis repudiaretur. Cic. l. c.

Caput XXVII.

Catilina, quum intra, tum extra urbem bellum parat.

1) *Mallium.* Cum Mallius hoc tempore Faeſulis (vid. c. 24.) jam eſſet, ille putandus eſt, aut aliquamdiu Romam rediiſſe, aut iterum h. l. cum reliquis, quos Catilina dimiſit, nominatus eſt. Ceterum Mallius, quem Cic. audaciae Catilinariae ſatellitem et adminiſtrum vocat, ante diem VI Kalendas Novembres (i. e. die quinto ante Kal. Nov. d. 27. Octob.) in armis fuit; ipſe autem Catilina (quod Salluſt. h. l. praeteriit) ipſis Kalendis Novembribus (d. 1. Novemb.) Praeneſte Latii oppidum occupaturus erat (ut inde urbi immineret), ſed illud, Ciceronis praeſidiis munitum invenit. (Vid. Cic. Or. Cat. I, c. 3. extr.)

2) *in eam part. Etr.* in eum Etr. tractum, ubi Faeſulae ſitae erant. cf. Liv. V, 17.

3) *Septim.* Hic Septimius e Camerino oppido, in Umbriae Picenique confinio oriundus, non amplius notus eſt, non magis quam ſequens C. Julius.

4) *Picenum* in confinio Apuliae, Lucaniae et Samnii. Cf. c. 42.

5) *quem ubique*, i. e. quem et ubi illum opportunum credebat. Gruterus malebat: *ubi quemque*, quod prorſus idem eſt. Nam *ubi quemque* eſſet: *ubi et quem ibi*; quidquid C. contra dicat.

6) Verba *ſibi fore*, quae C. invitis libris expunxit, in quo B. et D. eum ſecuti ſunt, equidem cum H. revocavi.

7) *opport. loca* int. Romae, quae enim extra urbem paraverit antea dicta ſunt.

8) *cum telo* (gladio minore ſive ſica) *eſſe*, ſolennis formula eſt, e legibus XII Tabular. et lege Cornelia, in quibus hoc prohibitum erat, petita, qua et Cic. uſus eſt pro Milone c. 4. (ubi vid. Hottomann.) „ipſa lex, *eſſe cum telo*, hominis occidendi cauſa vetat." Eodemque modo dicitur *eſſe cum imperio*, *cum toga*. Cic. Epiſt. ad Div. I, 1. V, 9.

9) *intenti.* Jug. 49. „intenti paratique eſſent."

10) *procedit.* quamquam multa agitaret, tamen Ciceronis vigilantiâ ſociorumque ignaviâ nihil proceſſit; nam multis Ciceronis firmisque praeſidiis ita obſeſſus erat Catilina, ut contra remp. commovere ſe non poſſet. Vid. Cic. in Cat. I, 2.

11) *rurſus.* Vid. c. 17, ubi primum ſocios convocat.

12) *intempeſta* i. e. media nocte; nam intempeſtum ſ. intempeſtivum eſt proprie, quod ad negotia curanda eſt ineptum, ſ. ubi nullum eſt agendi tempus. Hinc nox quoque, extra tempeſtatem ſ. tempus habebatur, de quo vid. Gronov. ad Senec. Hercul. fur. V, 842. Quae autem haec nox intempeſta fuerit vid. not. 14.

13) *conjurat. principes.* Cic. Or. Cat. I, 4. noſtro conſentiens: „*complures* ejusdem amentiae ſocios" ibi conveniſſe dicit.

14) *Laecam.* in cujus ipſius domo hic conjuratorum conventus fuit. Cic. Cat. I, 4. „nocte ea, quae conſecuta eſt poſterum diem nonarum Novembr." (Cic. pro Sulla c. 18.) i. e nocte inter d. 6. et 7. Novemb. De Laeca vid. c. 17. n. 16.

15) *paraverat.* Bene C. monuit, orationem indefinitam h. l. requirere *paraverit* vel *paraviſſet*; ſed hujus rei

item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent; ſeque ad exercitum proficiſci cupere, ſi prius Ciceronem oppreſſiſſet: eum ſuis conſiliis multum obſicere.

Caput XXVIII.

Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam ſuam pollicitus, et cum eo L. Vargunteius Senator, conſtituere ea nocte paulo poſt, cum armatis hominibus, ſicuti

---

rationem adjicere neglexit; quae ſine dubio in eo eſt quaerenda, quod auctor in oratione alterius referenda interdum ſuo ipſius quoque nomine loqui poteſt, et tanquam ſui oblitus ex conſtructione indirecta incidere in directam. C. 22. extr.: „ficta eſſe ab iis, qui *credebant.*" Jug. 63. „proinde, quae animo *agitabat* fretus diis ageret." Cic. de Off. I, 7. „Atque ut placet Stoicis, quae in terris *gignuntur*, ad hominum uſum omnia creari." Cf. c. 14. n. 20.

16) *oppreſſiſſet.* Cic. Cat. I, 4. „confirmaſti, te ipſum jam eſſe exiturum: dixiſti; paullulum tibi eſſe jam tum morae, quod ego viverem."

17) *obſicere.* obeſſe, contrarium eſſe. Sed Cic. de omnibus, quae in hoc conventu in Laecae domo acta erant, ſtatim per Curium certior factus eſt. Vid. Cic. l. c.

Caput XXVIII.

Poſtero poſt hunc nocturnum conventum die (7. Nov.), *duo conjurati Ciceronem interficere conati ſunt; — Mallius in Etruria plebem ſollicitat.*

1) *dubitantibus.* int. Ciceronem interficere.

2) *Senator.* Diſſentit a Salluſtio Cicero, qui Cat. I, 4. haec habet: „reperti ſunt *duo equites* Romani, qui ſeſe illa ipſa nocte paullo ante lucem, me, meo in lectulo interfecturos pollicerentur." Imo Plutarchus et Appian. hos homines alio nomine appellant; ſed Salluſt., qui nomina eorum affert, hac in re fide ſuperior eſſe videtur. In Varguntejo conſentit Cic. pro Sulla c. 2.

3) *paulo poſt*, primo mane, quo tempore ſalutationes fiebant.

ſalutatum, introire ad Ciceronem, ac de improviſo domi ſuae imparatum confodere. Curius ubi intelligit, quantum periculi Conſuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enunciat. Ita illi janua prohibiti, tantum facinus fruſtra ſusceperant. Interea Mallius in Etruria plebem ſollicitare, egeſtate ſimul, ac dolore injuriae novarum rerum cupidam: quod, Sullae dominatione, agros bonaque omnia amiſerat; praeterea latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Sullanis colonis, quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

---

4) *ſalutatum.* Moris fuit Romae, ut homines principes a clientibus ſuis, primo mane ſalutarentur. Cic. Ep. ad Attic. I, 18. „cum bene completa domus eſt, tempore matutino." adde eund. ad Diverſ. VII, 28. IX, 20.

5) *Ciceroni.* Hanc vocem, quam C. unius Cod. auctoritate delevit, cum H. et B. revocavi.

6) *prohibiti.* Cic. Cat. I, 4. „Haec ego omnia, vix dum etiam coetu veſtro dimiſſo (per Curium) comperi: domum meam majoribus praeſidiis firmavi, excluſi eos, quos tu mane ad me ſalutatum miſeras."

7) *injuriae*, h. e. ſibi illatae (paſſive). cf. Liv. I, 40. — *novar. rerum* i. e. ſeditionis ac turbarum, quae graece quoque νεώτερα vocantur.

8) *Sullae dominat.* Sulla non ſolum eos, qui Mario faverant, male habuerat, in quibus etiam Etruſci (Flor. III, 21.) ſed pleraque etiam municipia, quos agris et civitate ſpoliavit, ut milites ſuos locupletaret. Vid. ad c. 16. et infr. c. 37. Cic pro domo c. 50.

9) *latrones*, qui ipſi orti ſunt e poſſeſſoribus, qui ſedibus ſuis expulſi erant.

10) *Sull. colon.* Sullae militibus, quibus distributi fuerunt agri Etruſcorum, quod hi Marianis partibus faviſſent. B. Cf. c. 17. n. 23.

Caput XXIX.

Ea cum Ciceroni nunciarentur; ancipiti malo permotus, quod neque urbem ab inſidiis privato conſilio longius tueri poterat, neque exercitus Mallii quantus, aut quo conſilio foret, ſatis compertum habebat, rem ad Senatum refert, jam antea volgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio ſolet, Senatus decrevit, *darent ope-*

Caput XXIX.

Cicero rem ad ſenatum refert, qui decrevit: darent operam conſules, ne quid detrimenti reſpublica caperet.

1) *Ea*, ad omnia quae de Catilina antea narrata ſunt, pertinet.

2) *ancipiti.* duplici, intra et extra urbem; intra a Catilinae ſociorumque conſiliis, extra ab exercitu Mallii. Jug. 67. „*anceps* malum." C.

3) *privato conſil.* per amicos et clientes.

4) *quo conſilio.* et quod hujus exercitus conſilium eſſet.

5) *exagitat.*, tractatam, fortaſſe quoque ultra verum auctam. C. mavult *exagitatum*, ut ipſe ſenatus intelligatur agitatus et motus rumoribus de Catilinae conjuratione. Sed nihil aliud his verbis noſter voluiſſe videtur, niſi rem a Cicerone ſero demum ad Senatum eſſe relatam, quum jam diu in vulgus nota eſſet.

6) *atroci negotio.* in re periculoſa, ancipiti. — Liv. III, 4. „quae forma ſenatus conſulti, *ultimae* ſemper *neceſſitatis* habita eſt." Caeſ. de B. Civ. I, 5. „decurritur ad illud *extremum* atque *ultimum* ſenatus conſultum, quo, niſi paene in ipſo urbis incendio atque deſperatione, omnium ſalutis latronum audacia numquam antea diſceſſum eſt; *dent operam conſules*", etc. Cf. Plut. Vid. Cic. Reiske T. IV, p. 777. Ceterum hac formula conſul proxime accedebat dictatori, et haec erat pronunciata die 21. Oct. e ſententia Mureti ad Cic. Cat. I, 2. Non conſentit ergo in die noſter cum Cicerone. Intelligitur enim e reliquis, hoc decretum e Salluſt. ſententia demum poſt 8. Nov. datum eſſe.

7) Ad *ſolet* ſupple decernere, niſi cum nonnullis Cdd. addere velis *fieri*.

ram conſules, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Ea poteſtas per Senatum, more Romano, magiſtratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coërcere omnibus modis ſocios atque civis: domi militiaeque imperium atque judicium ſummum habere; aliter, ſine populi juſſu, nulli earum rerum conſuli jus eſt.

---

8) *Ea.* C. „i. e. eâ formulâ magiſtratui (conſuli) maxima poteſtas permittitur." Alii explicant: ea maxima poteſtas eſt, quae more R. magiſtratui permittitur. Alii *poteſtate* legere malunt, conſtruentes: ea poteſtate maxumâ, permittitur magiſtratui, exercit. parare etc. Sed mutatione locus non eget.

9) *magiſtratui.* conſuli ſ. conſulibus, imo et aliquando Praetoribus, Proconſulibus, Tribunis pleb. Vid. Caeſ. l. c. Cf. Cic. Epiſt. ad Div. XVI, 11. ibiq. C. et ibid. VII, 5 et 16 et 18.

10) *parare*, graeco more, loco gerundii. Vid. c. 4. n. 3.

11) *coërcere.* in officio continere. de Broſſ. *commander abſolument.*

12) *ſummum*, ſine provocatione.

13) *aliter* pro alioquin. C. 44. „*aliter* haud facile eos ad tantum negotium impelli poſſe." Cic. de Off. I, 39. 6. „*aliter* ampla domus dedecori ſaepe domino fit." De Amicit. 20. „aliter amicitiae ſtabiles permanere non poſſunt." Vellej. I, 8. 5. „aliter firmare urbem novam — vix potuerit." Corn. Nep. Themiſtocl. 7 extr. „aliter illos in patriam numquam eſſent recepturi."

14) *ſ. populi juſſu.* populus *jubet*, quod ſenatus *cenſuit.* Liv. XXXI, 7. „quae patres *cenſuerunt*, vos *jubete.*" Idem XXXVII, 15. „ſenatus eam pacem ſervandam *cenſuit*, et paucos poſt dies populus *juſſit.*

15) Pro *nulli* (ſic enim C. et H.) Cdd. aliquot *nullius* legunt. ſed *nulli* (maſc. et neutr.) pro *nullius* antiquum eſt. Vid. Priſcian. VI, p. 678 et 694. Terent. Andr. A. III. ſc. V. v. 2. „tam iners tam *nulli* conſilii ſum." (ubi tamen Cd. Halenſis (a Brunſio editus) *nullius habet*). Plura Muncker ad Hygin. Fab. V. Offendit tamen antiqua terminatio in *i* in feminino, ubi *nullae* exſpectamus. Ceterum *nulli* accipere

Caput XXX.

Poſt paucos dies L. Saenius ſenator in Senatu literas recitavit, quas Faeſulis adlatas ſibi dicebat: in quibus ſcriptum erat, C. Mallium arma cepiſſe, cum magna multitudine, ante diem VI. Kalendas Novembris. Simul, id quod in tali re ſolet, alii portenta atque prodigia nunciabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia ſervile

---

pro dativo et conjungere cum *conſuli*, uſus loquendi vix patitur. Cic. ad Diverſ. XXII, 4. „cum ille earum rerum *nulli* paruiſſet." Si quis vero contendere vellet, *jus nulli earum rerum* dictum eſſe pro: jus ad nullam ear. rerum, (Plaut. Caſ. II, 2, 22.) aut pro: jus *de* nulla earum rer. (Liv. II, 29.) is hujusmodi dativi exemplum apud veteres vix invenerit.

Caput XXX.

Intra et extra urbem apparatus fiunt contra exercitum conjuratorum reliquosque conatus.

1) *L. Saenius* non amplius notus eſt. Vocem *ſenator*, ut ſupervacaneam incluſit D.

2) Poſt *dicebat* aliquis e codice infarſit: *a Q. Fabio*; quod H. recepit.

3) *VI. Kalend. Nov.*, i. e. die 27. Octobr. vid. C. ad Cic. Epiſt. ad Diverſ. II, 17. 1. cf. Cic. Cat. I, 3.

4) *Simul, id quod.* C. poſt *id* ponit comma et explicat: „ſimul id factum eſt, accidit, quod in tali re fieri, accidere ſolet." Melius tamen et ſimplicius *id quod*, pro *quod* accipitur. Ceterum nonnulli libri addunt *fieri*.

5) *portenta.* Cic. Cat. III, 8. „nam ut illa omittam, viſas nocturno tempore ab occidente *faces*, *ardoremque coeli*, ut *fulminum jactus*, ut *terrae motus*, ut, cetera, quae tam multa nobis conſulibus facta ſunt etc." Cf. de divinat. c. 11., ubi haec prodigia et portenta Cicero ipſe verſibus perſecutus eſt.

6) *Capuae*, quae caput Campaniae et Ciceronis tempore altera Roma erat. Vid. Orat. Philipp. XII. c. 3. cf. pro Sext. c. 4.

bellum moveri. Igitur Senati decreto Q. Marcius Rex Faeſulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca miſſi: (Ii utrique ad urbem Imperatores erant: impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum quibus omnia honeſta atque inhoneſta

---

7) *ſervile bell.* ſervos ad bellum concitari B.

8) *Senati.* Cortius poſt Ciacconium ubique hunc antiquum genit. reſcribit loco *ſenatus* auctore Nonio VIII, 10. Quinctil. I, 7. („*ſenatus*, *ſenatus*, *ſenatui*, an *ſenatus*, *ſenati*, *ſenato* faciat incertum eſt") et ſic ipſe Cic. declinaſſe traditur. B. Cortium H. quoque ſecutus eſt, quamquam Cdd. ubique *ſenatus* habent. Priſcianus annotat, nomina, quae ſunt quartae declinationis olim quoque fuiſſe ſecundae. Ceterum mirum videri poſſit, ſenatui h. l. adhuc tribui, quod poſt decretum, cujus mentio facta eſt capite ſuperiori, non amplius ſenatus, ſed conſulum erat.

9) *Marcius Rex.* e gente Marcia, cui cognomen erat Rex, conſul fuerat a. u. 685 et Proconſul in Cilicia bellum contra piratas geſſerat (Dio Caſſ.); vir fortis inprimis ac rei militaris peritus Ciceroniſque familiaris ipſo Cicrone teſte in Piſon. c. 23.

10) *Q. Metellus* cognomine Creticus, quod inſulam Cretam Romanorum imperio (intra triennium 686 — 88) ſubjecerat, cónſul fuerat 684. Vid. Vellej. II, 154. Flor. III, 7. et Eutrop. VI, 9, 13.

11) *in Apuliam.* Vid. c. 27. init.

12) *ea loca.* Vocem *ea* C. cum eoque B. delevit. Retinuerunt eam H. et D.

13) *ad urbem er.* Sic dici ſolet de iis, qui juſto hoſtium numero occiſo cum poteſtate provinciali nuper e provincia reverterant et imperio nondum depoſito exſpectabant, donec ipſis triumphus decerneretur; ſi vero injuſſu ſenatus ingrediebantur, et imperium et ſpem triumphi amittebant.

14) *calumn. paucor.* qui eos triumphum meruiſſe negabant.

15) *honeſta — inhoneſta*, juſta atque injuſta. Jug. c. 31. „quibus fides, decus, pietas, poſtremo *honeſta atque inhoneſta omnia quaeſtui ſunt.*" Cf. ibid. c. 80.

vendere, mos erat.) Sed Praetores Q. Pompejus Rufus Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum; iisque permiſſum, *uti pro tempore atque periculo exercitum compararent: ad hoc decrevere, ſi quis indicaviſſet de conjuratione, quae contra rempublicam facta erat, praemium ſervo libertatem et ſeſtertia centum: libero impunitatem ejus rei, et ſeſtertia ducenta.* itemque decrevere, *uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera municipia distribuerentur, pro cujusque opibus: Romae per totam urbem vigiliae haberentur, iisque minores magiſtratus praeeſſent.*

---

16) *vendere*, pro pretio gratificari. Cic. Philipp. V, 16. „decreta falſa vendebat." De infinitiv. poſt ſubſtantiv. vid. c. 4. n. 5.

17) *Q. Pomp. Rufus.* Sullae dictatoris ex filia nepos, tribunus plebis a. u. 701 et 702 fuit, in eoque magiſtratu ob caedem Clodii, quo familiariſſime uſus eſt, inimiciſſimas conciones habuit et Ciceroni etiam, qui Milonem Clodii occiſorem defenderat invidiam fecit. Deinde cum multis, e Clodiana factione, exilio eſt multatus. Vid. Manut. ad Ciceron. Epiſt. ad Div. VIII, 1.

18) *Q. Met. Celer.* is ipſe eſt, quem Cicero anno ſequenti 691 in locum ipſius in Galliam Cisalpinam nomine proconſulis (quamquam conſulatum nondum geſſerat) miſit, quique demum a. u. 695 cum Afranio conſulatum egregie geſſit; homo, de quo Cic. pro Coelio c. 14. „ſimulac pedem limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloria, dignitate ſuperabat." Exſtinctus eſt veneno uxoris Clodiae, P. Clodii ſororis, ſcelere, ut eadem Ciceronis oratio c. 24. ſignificat. Cf. Cic. Cat. II, 5.

19) *in agr. Picenum.* Cic. Cat. II, 5. Q. Metellum non ſolum in agro Piceno, ſed etiam Gallico delectum habuiſſe dicit, ubi notandum, agrum Gallicanum Piceno confinem fuiſſe ideoque fortaſſe eodem nomine h. l. comprehendi.

20) *pro temp. atq. periculo*, quantum (exercitum) tempus et periculum poſtularet.

21) Verbum *decrevere* alii ponunt poſt *praemium*, alii poſt voculam *item*, alii denique loco utroque. C. illud poſt *item* poſitum incluſit.

22) *facta erat.* De hoc indicativo vid. c. 27. n. 15.

23) *ſeſtertia.* Seſtertius erat numus Romanus argenteus, quarta denarii pars, qui valebat ſecundum rationes Rome de l'Isle, tempore, de quo nunc ſermo eſt, 1⅕ groſſos, pecuniae quam dicunt graviſſimae; ita ut decem ſeſtertii efficerent noſtro valore 12 groſſos. Ab hoc autem ſeſtertio (generis maſcul.) valde discrepabat *ſeſtertium* generis neutr., qui numus erat fictitius efficiens mille ſeſtertios, i. e. noſtro valore 50 thaleros philippeos. Hinc centum ſeſtertia, 5000 thaleros conficiebant. Aliter computat C., qui cum Gronovio de pecunia Veter., ſeſtertium, novem vulgaribus numis (9 ₰) et denarium tribus groſſis aeſtimans, centum ſeſtertia aequalia habet 5125 thaleris.

24) *gladiatoriae fam.* Gladiatores in familias ſ. ſodalitia distributi erant, et a laniſtis, ipſorum praefectis alebantur. Erant autem homines viliſſimi aut bello capti, laniſtae venditi, aut propter egeſtatem et malos mores ſemet ipſi vendentes aut aliter in ludum detruſi, ut Romanis ſpectaculo eſſent ſatis crudeli. Emebantur alebanturque quoque a civibus opulentis, qui eos quaeſtui habebant et tanquam in corporis cuſtodiam. Wieland ad Cic. Epiſt. Vol. II. p. 264. Itaque quoniam verendum erat, ne Catilina hoc tempore ancipiti, hos ſibi adſciſceret, Cicero eos in municipia diſtribuit. Cic. Cat. II, 12. „gladiatores, quam ſibi ille (Catilina) maximam manum et certiſſimam fore putavit, quamquam meliore animo ſunt, quam pars patriciorum, poteſtate tamen noſtra continebantur."

25) *pro cujusque opib.* prout mancipium quodque gladiatores capere, tenere et cuſtodire poſſet. C.

26) *minores magiſtrat.* Aediles, Quaeſtores, Tribuni, Triumviri nocturni etc. Gellius XIII, 12. 13.

Caput XXXI.

Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies erat: ex ſumma laetitia atque laſcivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis triſtitia invaſit. feſtinare, trepidare; neque loco, nec homini cuiquam ſatis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere: ſuo quisque metu pericula metiri. Ad hoc mulieres, quibus, reipublicae magnitudine, belli timor inſolitus inceſſerat,

---

Caput XXXI.

Interea dum civitas omnis hoc belli apparatu perturbata eſt et anxia, Catilina diſſimulandi cauſa in ſenatum venit, ſed vehementi Ciceronis oratione commotus furibundusque eum relinquit.

1) Verbum *erat* C. cum eoque B. omiſit. Recte retinuit H.

2) Pro *quae* dicere quoque potuiſſet *quam;* ſi ad proximum tantum ſubſtantivum referre voluiſſet pronomen, ut Cic. ſolet. Et ſic quoque aliquot Cdd. h. l. legunt. Eodem modo c. 10, 2. „otium, divitiae optandae aliis." c. 11, 3. „corpus animumque virilem." Sed Jug c. 38, 8. „nox atque praeda hoſtes remorata ſunt. Cat. c. 5. „inopia rei familiaris et conſcientia ſcelerum, *quae utraque* his artibus auxerat c. 20. ni virtus fidesque veſtra *ſpectata* mihi *forent.* Plura exempla ſuppedidat Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 10. cf. not. c. 20. n. 6. Quod autem ad rem ipſam attinet, ea interna quies, a Sullae inde dictatura, i. e. per viginti fere annos duraverat.

3) *trepidare* eſt anxie huc et illuc curſitare, idem fere, quod nos dicimus *trippeln.*

4) *pericula metiri.* prout quisque timebat, ita periculi magnitudinem metiebatur. D.

5) *reip. magnit.* quia respubl. tam magna pollensque erat. Eſt ergo reipubl. magnitudine i. q. *pro* reipubl. magnitudine, quam praepoſitionem quoque aliquot Cdd., tuentur. C. corrigi cupit: quibus *in* reipubl. magnitudine belli timor inſolitus ſe erat.

6) Verbum *inceſſerat* C. contra Cdd. fidem cum eoque B. abjecit. Sed formula timor inceſſit ſaepius abſolute occurrit. Caeſ. B. C. II, 29.

adflictare ſeſe, manus ſupplices ad coelum tendere; miſerari parvos liberos; rogitare, omnia pavere; ſuperbia atque deliciis omiſſis, ſibi patriaeque diffidere. At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat: tametſi praeſidia parabantur; et ipſe lege Plautia interrogatus erat ab L. Paullo. Poſtremo diſſimulandi cauſa, et quaſi ſui expurgandi, ſicuti jurgio laceſſitus foret, in Senatum venit. Tum M. Tullius Conſul, ſive praeſentiam ejus timens, ſeu ira

---

7) *adflictare*, crines lacerabant et pectus fundebant.

8) *rogitare.* alios atque alios de conjuratione rogitabant. Libri nonnulli addunt *deos.*

9) *ſibi — diffidere.* de ſua ac reipublicae ſalute deſperabant.

10) *movebat.* deturbari ſe ab inceptis ſuis non paſſus eſt.

11) *lege Plautia.* Lex Plautia ſ. Plotia, lata erat a tribuno M. Plautio Silvano a. u. 664 contra eos, qui reipublicae aut privatis hominibus vim inferrent. — L. autem Paullus ſine dubio eſt L. Aemil. Paullus, qui conſul fuit a. u. 703, quemque Cic. in Vatin. c. 10. hominem dicit ad conſervandam rempubl. natum, qui duos nefarios patriae proditores, domeſticos hoſtes, legibus exterminarat. Ceterum haec Paulli interrogatio ſtatim poſt comitia (d. 22. Oct.) facta videtur.

12) *quaſi ſui.* Alii et ſcripti et editi *aut ſui*, alii *et ſui*, alii *ac ſui*, alii *et ut ſui;* C. *atque ſui.* Nos cum Aldina *et quaſi ſui.*

13) *jurgio.* jurgium i. e. criminationem, circumſpecte dixit interrogationem L. Paulli, cujus famam ut refutaret — ſeque ſenatoribus purgaret in ſenatum venit. C. *ſicuti* apud noſtrum idem, quod *quaſi.* Infra c. 58. extr. „*ſicuti* jurgia defenderent."

14) *in Senatum* quem Cicero in templum Jovis ſtatoris ad montis Palatini radices ſitum, die octavo Novembris vocaverat. Cic. Cat. I, 4. et II, 6. et pro Sulla c. 18. „Eſt autem ſuperior ſ. prior nox, quam dicit Cic. Cat. c. 4., nox ea, quae diem heſternam proxime anteceſſit, quod clarum eſt etiam ex eo, quod eodem capite dicit, *illa* nocte.

commotus orationem habuit luculentam atque utilem reipublicae: quam poſtea ſcriptam edidit. Sed, ubi ille adſedit, Catilina, ut erat paratus ad diſſimulanda omnia, demiſſo voltu, voce ſupplici poſtulare a Patribus conſcriptis, *ne quid de ſe temere crederent: ea familia ortum, ita ab adoleſcen-*

---

15) *ira commotus.* Cauſam reddere vult Salluſt., quare Cicero, qui nullo modo orationis in Catilinam habendae cauſa in ſenatum venerat, eam tamen habuerit. Haec autem oratio ita comparata eſt, ut ira potius, quam timor expreſſiſſe eam videatur: quamquam negari non poſſit, Ciceronis conſilium, quod in hac oratione Catilinae dat, urbem relinquendi, a timore quoque eſſe profectum; ita, ut utrumque et iram et timorem hujus orationis cauſam fuiſſe dicere poſſis.

16) *orationem* quae prima eſt Catilinaria in ſenatu habita, die octavo Novembris. Ea dicitur h. l. *luculenta*, quod alii quidem exponunt *praeclaram*, (quod ſententias lucidam et quoad verba ſplendidam) ſed ſignificare quoque poteſt *liberam, apertam* (*freymüthige*), quippe quum omnia in hac oratione, tam aperte et clare Catilinae dicantur, ut liberius quis loqui vix poſſit, atque Cicero ipſe Cat. c. 4. his verbis utatur: „*non agam obſcure*: ſeu denique vehementiae plenam. cf. Cic, Ep. ad Famil. VII, 10. „camino *luculento* utendum cenſeo."

17) *ſcriptam edid.* Cic., Brut. c. 24. „pleraeque enim ſcribuntur orationes habitae jam, non ut habeantur. Cf. Wolfius in praefat. ad Orat. pro Marcello p. XVI ſqq. Ceterum D. h. l. bene adnotat, hoc additamentum ideo non eſſe otioſum, quod Salluſt. ſe excuſare voluerit, quod hanc Ciceronis orationem, ſaltem in anguſtius contractam non adjecerit, ſicuti in Caeſaris Catonisque fecerit oratione.

18) *adſedit;* ſteterat nempe erectus, ex more, dum loquebatur.

19) *poſtulare a Patrib. conſcriptis.* Sic vulgo et bene. C. vero cum eoque B. *poſtulare, Patres Conſcripti* e conject. Gruteri. Alii *poſtulare patres coepit*, alii *poſtulare coepit*.

20) *ea familia.* Vid. c. 5. n. 1.

tia vitam inſtituiſſe, ut omnia bona in ſpe haberet: ne aeſtumarent, ſibi patricio homini, cujus ipſius atque majorum plurima beneficia in plebem Romanam eſſent, perdita republica opus eſſe, cum eam ſervaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. Ad hoc maledicta alia cum adderet; obſtrepere omnes, hoſtem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus: *Quoniam quidem circumventus*, inquit, *ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina reſtinguam.*

---

21) *ita* i. e. ſe iis artibus ſ. ſtudiis operam dediſſe, ut omnia bona, i. e. honores atque dignitates ſperare certo poſſet. Nonnulli *ita ſe* etc., alii *et ita ſe.* At C. et H. et B. *ſe* omiſerunt.

22) *patricio homini.* Patricii erant, qui a primis *patribus* ſ. ſenatoribus a Romulo, aut Tarquinio Priſco, aut denique a Bruto conſule inſtitutis, genus derivare poterant; et priores quidem *majorum* gentium, poſteriores *minorum* dicebantur. Liv. I, 25. C.

23) *pleb. Roman.* Gruterus mavult: in *populum Romanum* et vulgatam lectionem ortam ſuſpicatur e literis P. R. C. contra, *in rempublicam* legendum eſſe conjicit. Sed fortaſſe Catilina *plebem* opponere voluit ſibi *patricio.*

24) *inquilinus*, proprie eſt, qui in alieno habitat, vel peregrinus ſ. novus homo. Cicero autem Arpini, Latii mancipio, non Romae natus erat. Verba *urbis Romae* ſuſpecta ſunt Grutero, Cortio etiam *civis.* cf. Vellej. Paterc. II, 128.

25) *Ad hoc.* H. et gr. e Cdd. dederunt *Ad haec.*

26) *parricidam* qui patriae interitum quaerit (*Hochverräther*) c. 51. „parricidas reipubl." Cic. Cat. I, 7. „te patria odit atque metuit, et jam diu te nihil judicat, niſi de *parricidio* ſuo cogitare." D. Adde c. 12.

27) *praceps agor* i. q. in praecipitium ſeu extrema quaequae agor. cf. c. 25. „*praeceps abierat.*"

28) *incend. m. ruina* etc. meam ſalutem reipublicae interitu quaeram. Metaphora ſumta ab incendiis, quae, ne longius graſſarentur, ruinâ intermediorum impediri ſolebant. Cicero pro Muren. c. 25. extr. Catilinam ait (plures dies ante) *Catoni* judicium mini-

Caput XXXII.

Dein ſe ex Curia domum proripuit. ibi multa ſecum ipſe volvens, quod neque inſidiae conſuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam, optumum factum credens, exercitum augere, ac prius, quam legiones ſcriberentur, an-

---

tanti, ita reſpondiſſe: *ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, id ſe non aqua ſed ruina reſtincturum.* Val. Maxim. cum Salluſt. conſentit, lib. IX. c. 11. „L. vero Catilina, in ſenatu M. *Cicerone* incendium ab ipſo excitatum dicente, *ſentio, inquit, et quidem illud, ſi aqua non potuero, ruina exſtinguam.*"

Caput XXXII.

Nocte ſequente Catilina in Malliana caſtra cum paucis profectus eſt, relictis, qui Romae neceſſaria ad bellum pararent.

1) *ex Curia* i. e. templo Jovis ſtatoris (quod hic curia vocatur. Vid. c. 31.), celeriter egreſſus domum ſe contulit. In quibusdam eſt: *e templo proripuit.*

2) *volvens.* Jug. c. 6. „multa cum animo ſuo *volvebat.*" c. 108. extr. „multumque cum animo ſuo *volvere* ſolitum."

3) *Neque* ſequente *et*, ſaepius occurrit. Vid. Jug. c. 1. extr. Cic. Epiſt. ad Div. X, 1. extr. „*nec* miror, *et* gaudeo." C.

4) *conſuli*, ſupple paratae. Vid. c. 28.

5) *munitam.* Cic. Cat. I, 1. „nihil urbis vigiliae — te moverunt."

6) *factum.* c. 55. et 57. „optimum factum ratus." Jug. 107. „quare optimum factum videri." Alii h. l. *factu.*

7) *exercitum* int. ſuum, cui praeerat Mallius c. 24. 27.

8) *legiones ſcrib.* a Q. Pomp. Rufo et Q. Metello Celere. vid. c. 30. Legio ſic dicta, quod *leguntur* milites in delectu, conſtabat e decem cohortibus, a Romulo inſtituta, hominum erat 3000; regibus ejectis 4000; bello Annibalis ad 5000 eſcendit: a Scipione denique in Africam trajecturo facta eſt 6000. *Lipſ.* Cf. c. 58. n. 17.

tecapere, quae bello uſui forent; nocte intempeſta cum paucis in Malliana caſtra profectus eſt. Sed Cethego atque Lentulo, ceteriſque, quorum cognoverat promtam audaciam, mandat, quibus rebus poſſent, opes factionis confirment, inſidias conſuli maturent, caedem, incendia, aliaque belli facinora parent: ſeſe propediem cum magno exercitu ad urbem acceſſurum.

Caput XXXIII.

Dum haec Romae geruntur, C. Mallius ex ſuo numero legatos ad Q. Marcium regem mittit, cum

---

9) *antecapere*, prius parare. Alii *multa* antecap., alii *multo* antecap. Utrumque illatum cenſet C.

10) *nocte intemp.* (Vid. ad c. 27. n. 12.) quae interjecta erat intra octavum et nonum Novembr.

11) *Malliana* vid. ad c. 24. in Etruriae faucibus, prope Faeſulas collocata. Vid. c. 27. init. et Cic. Cat. I, 2. Teſte Plutarcho in Cicer. c. 16. trecenti erant armati, quibuscum Catilina ad Mallium eſt profectus, ductis quoque ſecum lictoribus aliisque imperii inſignibus.

12) *Lentulo* Vid. c. 17.

13) *promtam*, ſemper paratam. Abt: *„die er als fertige Waghälſe kannte."*

14) *opes — confirm.* conjuratorum numerum augeant.

15) *aliaque belli facin.* aliaque quae ad bellum facerent, parata habeant (c. 42 et 45.), cum ipſe ad urbem accederet. Hinc non opus eſt *parent* mutare in *patrent*, ut Ciacconius conjecit.

Caput XXXIII.

Mallius ad Marcium Regem literas dat, in quibus ſcribit, ſe non aliam ob cauſam cum ſuis arma cepiſſe, niſi ut ne a creditoribus ſuis libertate privaretur, ejusque rei levamen ab eo ſenatuque Romano poſtulat.

1) *Ex ſuo numero*, quosdam de ſuis. Vocem *legatos*, quam C. cum eoque B. omiſit, e Haverc. revocavi. Eſt enim vulgata et proba lectio.

2) *Q. Marc.* Quum hic vir eodem hoc praenomine ſupra quoque c. 30. nominetur, non video, cur prae-

mandatis hujuscemodi: *Deos hominesque teſtamur, Imperator, nos arma neque contra patriam cepiſſe, neque quo periculum aliis faceremus, ſed uti corpora noſtra ab injuria tuta forent; qui miſeri, egentes, violentia atque crudelitate foeneratorum plerique patriae, ſed omnes fama atque fortunis expertes ſumus: neque cuiquam noſtrum licuit, more majorum, lege uti, neque, amiſſo patrimonio, liberum corpus ha-*

---

nomen Q., quod vulgo legitur h. l. e Cort. Cdd. delendum ſit, praeſertim cum apud Haverc. ſine ulla lectionis varietate appareat.

3) *Imperator.* Hoc titulo Q. M. Rex duplici de cauſa appellatur, et quod hoſtibus fuſis triumphum petebat (vid. c. 30.); et quod in praeſentia cum imperio erat. Nam quicunque dux aut vicerat aut cum imperio erat, imperator dictus eſt.

4) *aliis.* Sic vulgo et bene; ſ d C. pro *aliis* recepit *homini.*

5) *injuria*, a vinculis.

6) *patriae.* Sic C., H. et B. e melioribus libris, loco vulgatae *patria*; ob elegantem (ut Cort. ait) atque uſitatam noſtro caſuum varietatem; quamquam omnia, quae C. h. l. e noſtro affert exempla, non ſatis accurate huc quadrare videantur. Siquidem talia potius erant exempla afferenda, ubi unum idemque adjectivum diverſis cum caſibus eodem loco conſtructum eſt, idque e locis non antea pro conſilio mutatis. Attamen res ipſa negari non poteſt, adjectivum *expers* aliaque ejusmodi compoſita dupliciter conſtrui poſſe, ſiquidem caſus diverſus a diverſis adjectivi partibus pendere poteſt. Genitivus a *pars* pendet; ablativus, a praepoſitione *ex.* cf. Nepos Datam. c. 3, 1.

7) *lege* i. e. praeſidio legis, (cf. hoc cap. extr.) quae debitores a foeneratorum crudelitate defendebat, in quibus fuit lex Papiria, lata a. u. 427, qua cautum erat, ne corpora eorum, qui debitores eſſent pecuniae creditae, in poſterum necterentur. Vid. Liv. VIII, 28. Nam priſcis Romae temporibus crudeliſſima quaeque debitoribus licebant in debitores, qui ſolvendo non erant. Gell. N. A. XX, 1. et Flor. I, 23. et Freinshemii ſupplem. in Liv. XI, 24.

bere: tanta ſaevitia foeneratorum atque Praetoris fuit. Saepe majores veſtrûm miſeriti plebis Romanae, decretis ſuis inopiae ejus opitulati ſunt: ac noviſſume memoria noſtra, propter magnitudinem aeris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum aere ſolutum eſt. Saepe ipſa plebes aut dominandi ſtudio permota, aut ſuperbia magiſtratuum, armata a patri-

---

8) *Foeneratorum*, qui ſub uſuris pecunias aliis mutuas dabant. Sed quoniam foeneris magnitudine oppreſſos crudeliter tractabant, factum eſt, ut Catoni *foenerari* et *hominem occidere* paene idem eſſet. Vid. Cic. de Off. II, 25. C.

9) *Praetoris*, qui judiciis praeerat et modo ſeveriores, modo mitiores leges obſervaſſe videtur in jure dicundo, prout vel debitoribus vel creditoribus faveret.

10) *veſtrûm.* Sic legendum eſſe h. l., non *noſtri*, neque *veſtri* docet Gell. XX, 5.

11) *opitulati ſunt.* Veluti lege, cujus mentionem facit Freinshem. in Supplem. Livian. XI, 24. qua omnes per totam urbem, quotquot aeris alieni cauſa nexi (vincti) erant, liberati ſunt; et illa, ad quam ſtatim poſtea provocat Mallius, qua creditoribus quadrans ſolutus eſt. Vid. Vellej. Paterc. II, 23. Ceterum vocem *ejus* odioſam ſibi h. l., C. delevit.

12) *memoria noſtra* i. q. eo tempore, cujus nos meminimus noſtra aetate a. u. 668, quo Conſul Valerius Flaccus juſſerat, creditoribus quadrantem ſolvi. Vid. Vellej. Paterc. l. c. Veroſimile enim eſt, Mallium ad hanc legem reſpicere.

13) *volentibus*, conſentientibus omnibus, qui reipublicae favebant.

14) *Argentum* (h. e. denarius ſ. ſeſtertius) ſolutum eſt *aere* (h. e. aſſe) quarta parte denarii; ita ut pro omni debito quadrans ſolveretur. B.

15) *ſeceſſit.* Jug. c. 31. „Majores veſtri, parandi juris et majeſtatis conſtituendae gratia, bis per ſeceſſionem *armati* Aventinum occupavere." Florus I, 23—26. et Ampelius c. 25. quatuor enumerant plebis ſeceſſiones ſ. ſeditiones. Prima, ob foeneratorum iniquitatem incidit in annum 260 a. u. (Liv. II, 32.) ſecunda

bus ſeceſſit. *At nos non imperium neque divitias petimus; quarum rerum cauſa bella atque certamina omnia inter mortalis ſunt; ſed libertatem, quam nemo bonus, niſi cum anima ſimul, amittit. Te atque Senatum obteſtamur, conſulatis miſeris civibus; legis praeſidium, quod iniquitas Praetoris eripuit, reſtituatis, neve eam neceſſitudinem imponatis, ut quaeramus, quonam modo, ulti maxume ſanguinem noſtrum, pereamus.*

Caput XXXIV.

Ad haec Q. Marcius reſpondit: *Si quid ab Senatu petere vellent, ab armis diſcedant, Romam*

---

propter ſtuprum ab Appio Claudio decemviro, Virginii filiae illatum 305 a. u. (Liv. III, 50 ſqq. cf. Eutrop. I, 16.) Tertia ob matrimonia plebejorum cum patriciis ſive (ut Freinsh. vult Suppl. Liv. XI, 25.), ob aes alienum. Quarta diſcordia potius eſt ſeditio vocanda, ut plebeji quoque magiſtratus crearentur a. u. 310. Liv. IV, 1 ſqq. Reliquum eſt, ut moneamus, adjectivum *armata* pertinere ad *ſeceſſit*, quippe cui emphaſis ineſt, ne quid novi Mallius feciſſe videatur, dum *armatae* plebi praeeſt. Aliter C., H. et D., qui *armata* ad ſuperiora trahunt.

16) *At nos* etc. Eſt ergo, Mallius his verbis ait, noſtrae ſeceſſionis cauſa, melior quam majorum; nos nihil, niſi libertatem petimus.

17) *neceſſitudinem*, neceſſitatem.

18) *maxume*, ſummis viribus, ſumma ope.

Caput XXXIV.

Marcius reſpondet, ſenatus Romani miſericordiam precibus eſſe eliciendam, non armis extorquendam. — Catilina ex itinere ſcribit, ſe falſis criminibus circumventum, in exilium profectum, ut reſpublica quieta foret.

1) Verb. *reſpondit*, quod in Cdd. eſt, C. delevit.

2) *diſcedant — proficiſcantur.* Haec praeſentia, poſt antecedens praeterit. *reſpondit* eum non offendent, qui obſervaverit, *reſpondit* h. l. idem eſſe quod *re-*

ſupplices proficiſcantur: ea manſuetudine atque miſericordia Senatum Populumque Romanum ſemper fuiſſe, ut nemo umquam ab eo fruſtra auxilium petiverit. At Catilina ex itinere pleriſque Conſularibus, praeterea optumo cuique literas mittit: *Se falſis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiverit, fortunae cedere, Maſ-*

ſpondet, ita, ut vel praeſens vel praeteritum ſequi poſſit. cf. c. 20. 4. Infra c. 41. *praecepit*, ut ſtudium conjurationis — *ſimulent*. c. 44. „Lentulus *mittit* — ut *confirmarent* (ubi C.: „haeret hodieque imperitis quibusdam, quod poſt tempus praeſens (*mittit*), particulae etiam *ut* idem tempus ſit aptandum, qui oppido falluntur.") c. 47. extr. ſenatus *decernit*, uti — *haberentur*. Jug. c. 32. „Memmius populo *perſuadet*, uti Caſſius — *mitteretur*." Caeſar de B. G. V, 41. „Cicero *reſpondit*: ſi ab armis diſcedere *velint*, ſe adjutore *utantur*, legatosque ad Caeſarem *mittant*." Idem de B. G. I, 3. „*perſuadet* Caſtico *ut* regnum *occuparet*." Cic. de Offic. I, 11, 11. „Cato ad Popillium *ſcripſit* — ut filium ſuum *obliget*;" Idem Ep. ad Div. XIII, 47. „ſed tamen ut *ſcires* — haec *ſcribo*. Idem quoque fit poſt praeteritum paſſivi e participio praeteriti et praeſente *eſt* compoſitum; ubi verbum in ſequente enunciatione vel antecedenti participio praeteriti, vel praeſenti *eſt* eodem jure accommodatur. Cic. Cat. IV, 8. „Nulli *ſunt* inventi, qui non —— ſalvum eſſe *velint*." Pro Deiot. c. 1. „exortus *eſt* ſervus — qui eum *accuſet*."

3) *ab eo*, ſenatu et populo Romano. Sic frequenter S. P. Q. R. *vult*, *jubet*, *decernit*, quia unum quaſi corpus repraeſentabat. C.

4) *ex itinere*, dum in via erat ad Mallium.

5) *Conſularib.*, Senatoribus, qui conſulatu functi erant; ſicut *Praetorii*, *Aedilicii*, *Quaeſtorii*, qui Praeturam, Aedilitatem, Quaeſturam geſſerunt. Vide Eutrop. V, c. 6. C.

6) *optumo cuique*, Optimatibus.

7) *fort. cedere*, id pati, quod hoc tempore neceſſe ſit.

ſiliam in exilium proficiſci: non quo ſibi tanti ſceleris conſcius eſſet; ſed uti reſpublica quieta foret; neve ex ſua contentione ſeditio oriretur. Ab his longe diverſas literas Q. Catulus in Senatu recitavit, quas ſibi nomine Catilinae redditas dicebat. earum exemplum infra ſcriptum.

---

8) *Maſſiliam.* Hanc nobiliſſimam Galliae Narbonenſis urbem, a Phocaeis, Tarquinii Priſci tempore (Liv. V, 34.) conditam, quae hodie *Marſeille* vocatur (Strabo IV, 4.), elegerunt ſibi multi praeclari viri, quum ſolum verterent. Cic. Cat. II, 6. „et ille (Catilina) ejectus in exſilium ſe *Maſſiliam*, ut ajunt, — conferet."

9) *in exilium*, voluntarium. Cic. Cat. I, 5. „Exire ex urbe conſul hoſtem jubet. interrogas me, num in exſilium? non jubeo: ſed ſi me conſulis, ſuadeo." cf. ibid. II, 6 et 7.

10) *non quo* i. e. non *eo quod.* Nam pronomen *quo* etiamſi *eo* non addatur, tamen per ſe, et vi ſexti caſus notat *propter quod*, h. e. *quia*, qua notione quoque *quod*, per ellipſin praepoſitionis *propter* ſaepiſſime ponitur. Suſtinet autem *quo* caſum abſentis *eo*, ut docet Perizon. ad Sanct. Minerv. IV, 12.

11) *eſſet*, C. ut ſolet omiſit.

12) *diverſas.* In ſuperioribus enim literis, Catilina in exſilium ſe contuliſſe dixerat; in ſequentibus vero miſerorum cauſam ſuſcepiſſe ſe profitetur.

13) *Q. Catulus*, erat vir probus, conſul a. u. 675 et cenſor 688. Eſt idem, qui interceſſit legi Gabiniae, qua in bello piratico 686, traditum eſt Pompejo ſummum imperium. Vid. Cic. pro leg. Manil. c. 20. et Vellej. Paterc. II. 31, 32.

14) *exemplum.* ἀπόγραφον, ſive quod barbare dicunt *copia* hic infra poſita eſt. Cic. ad Attic. V, 11. „cujus epiſtolae miſi ad te *exemplum.*" Cf. Epiſt. ad Div. III, 3. IV, 4.

Caput XXXV.

L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi meae tribuit. Quamobrem defenſionem in novo conſilio non ſtatui parare: ſatis-

---

Caput XXXV.

Catilina Q. Catulo Oreſtillam conjugem ſuam, quam Romae reliquerat commendat, ſuique purgandi cauſa adjicit, ſe miſerorum cauſam ſuſcepiſſe, non quin aes alienum ſolvere non potuerit, ſed quod falſa ſuſpicione a conſulatu ſit repulſus.

1) *S.* (ſalutem). Notandum eſt, Romanos literas ſcite incepiſſe a nomine auctoris. Nam quod noſtra, prae reliquis omnibus ſcire intereſt, cum literae afferuntur, nomen eſt auctoris; quod nos falſa quadam urbanitate ſeducti, in literis extremis apponimus. Sed lectoris commoditas praeferenda videtur urbanitati perverſae. Quis enim eſt, qui reverentia ductus e tam longinquo ſpatio colloquatur cum aliquo, ut vix conſpici poſſit, ut nos facere videmur, dum nomen noſtrum in extremis demum literis apponimus?

2) *Egregia* etc. i. e. egregia tua amicitia quam re cognovi, quaeque gratiſſima mihi eſt. Catilina autem hanc cum Catulo amicitiam ſimulaſſe tantum videtur. Ceterum locus hic in omnibus libris ſic legitur, ſed C. eum ita ex ingenio mutavit: *gratam in magnis periculis fiduciam commendationi meae tribuit.* Eum ſecutus eſt B. A melioribus partibus ſtat D.

3) *commendationi* i. e. mihi uxorem meam tibi commendanti.

4) *defenſionem* etc. Propterea, quod fides (amicitia) tua mihi ſatis cognita eſt, equidem novum meum conſilium non tam apud te, tanquam apud judicem defendam, quam apud amicum excuſabo, ſiquidem nullius culpae mihi ſum conſcius. Ita hic locus, quem, ut quidam opinantur, ſcelerata ac perturbata Catilinae ſeu fortaſſe quoque callida mens obſcurum reddidit, interpretandus videtur. *Defenſio* igitur a. *ſatisfactione* ita differre videtur, ut illa verae culpae ſit diminutio, coram judice, haec innocentiae, coram amicis, brevis expoſitio. Porro opponuntur ſibi h. l. *pa-*

factionem ex nulla conſcientia de culpa proponere decrevi: quam me Dius fidius veram licet cognoſcas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris induſtriaeque meae privatus, ſtatum dignitatis non obtinebam, publicam miſerorum cauſam, pro mea conſuetudine ſuſcepi: non quin aes alienum meis nominibus ex poſſeſſionibus ſolvere poſſem; cum alienis nominibus liberalitas Oreſtillae ſuis filiaeque copiis perſolveret: ſed quod non dignos homines honore honeſtatos videbam, meque falſa ſuſpicione aliena-

---

rare et *proponere*, quorum illud ad majorem defenſionis operam, hoc ad ſatisfactionis leviorem cauſam quae ex tempore fit ſpectare videtur. — Deinde *novum conſilium* vocare videtur, conſilium ſuum mutatum, quo nunc publicam miſerorum cauſam ſuſcepit, quum antea ſe Maſſiliam in exſilium iturum dixiſſet. Denique *de culpa* cum voce *ſatisfactionem* conjunge.

5) *me Dius fid.* Dius fidius i. q. *deus fidei*, Hercules, quem propterea fidei praeſidem fuiſſe arbitror, quod Herculis temporibus antiqua fides regnaſſe et ipſe ſincerus fuiſſe dicitur. Varro de L. L. c. 10. C. Hinc me Dius fidius idem erit, quod me Hercle ſ. me Hercles (perdat). Ceterum haec jurandi formula ſcribitur quoque: *medius fidius*. Cic. Ep. ad Div. VIII, 16. „Quod porro tuum conſilium ſit, ad deſperatos accedere non *medius fidius* reperio."

6) *licet cognoſc.* i. q. velim cognoſcas. Sic *facias licet* pro f. *velim*, Cic. Ep. ad Div. XVI, 21. 4.

7) *ſtatum dignitatis*, conſulatum, quem pro dignitate mea exſpectare poteram.

8) *miſerorum.* aere alieno oppreſſorum.

9) *non quin* i. e. non qui non, ſ. non quod ego non. Cdd. nonnulli: *non quia — ſolvere non poſſem.*

10) *meis nominibus*, meo nomine ſ. mea fide contractum.

11) *alienis nominib.* repete aes alienum i. e. aliorum.

12) *non dignos*, qualis Cicero fuit, homo novus.

15) *alienatum.* repulſum a reipublicae gubernaculis.

tum ſentiebam. Hoc nomine ſatis honeſtas pro meo caſu ſpes reliquae dignitatis conſervandae ſum ſecutus. Plura cum ſcribere vellem, nunciatum eſt, vim mihi parari. Nunc Oreſtillam Tibi commendo tuaeque fidei trado. eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. haveto.

Caput XXXVI.

Sed ipſe paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino, dum vicinita-

---

14. *ſatis honeſt. — ſpes*, viam ſatis honeſtam, qua dignitatem mihi reliquam conſervare poſſem.

15) *caſu*, pro fortuna mea adverſa.

16) *Tibi* a pluribus Cdd. abeſt; hinc C. abjecit.

17) *per liberos.* Valida eſt obteſtatio per liberos. Cic. Ep. ad Div. VIII, 16. „Per fortunas tuas, Cicero, *per liberos*, oro, obſecro." *Per* autem in his obteſtationibus eſt *propter*. Cf. Jug. 10. et 14.

18) *haveto* eſt verbum valedicendi et ſalutandi. Cic. Ep. ad Div. VII, 16. „Caeſar — ſimulatque *have* mihi dixit, ſtatim, quid de te audiſſet, expoſuit." Alii h. l. legunt *habeto* (ubi b cum v commutatum eſt antique) alii iique plurimi *aveto.*

Caput XXXVI.

Catilina cum faſcibus aliisque imperii inſignibus in caſtra Mallii contendit. Utrumque ſenatus hoſtes judicat, eorumque ſociis impunitatem promittit, ſi certo tempore ab armis diſcedant. Conſulibus mandatur dilectum habere, Antonio cum exercitu Catilinam perſequi, Ciceroni, urbi praeſidio eſſe.

1) *C. Flam. Flamin.* non amplius notus eſt.

2) *Arretino.* Arretium erat Etruriae oppidum, in via a Roma Faeſulas ferente ſitum. Sic enim e nonnullis Cdd. recepit C.; quum plurimi tueantur vulgatam *Reatino*, huc ideo minus quadrantem, quod *Reate* oppidum eſt in Sabinis, a recta via nimium recedens. Accedit, quod Cic. Cat. II, 4. Catilinam „*Aurelia*

tem, antea follicitatam, armis exornat, cum fafcibus atque aliis imperii infignibus in caftra ad Mallium contendit. Haec ubi Romae comperta funt; fenatus *Catilinam et Mallium hoftes judicat; ceterae multitudini diem ftatuit. ante quam fine fraude liceret ab armis discedere, praeter rerum capitalium con-*

---

via profectum dicit, quae a Roma per Etruriae maritima ducebat verfus Pifas."

3) *vicinitatem*, vicinos. cf. c. 24. *fervitia* et Cic. de Off. II, 18.

4) *exornat*, inftruit.

5) *infignibus*. Infignia confulum praeter fafces cum lictoribus, fuerunt fella curulis, et toga praetexta. Plutarch. Vit. Cic. c. 16. p. 778. ed. Reisk. „Catilina confeftim trecentis armatis comitatus urbem reliquit, ac *quafi cum imperio effet, cum lictoribus fafcibusque ac fignis correptis* ad Mallium contendit."

6) *ad Mallium*. Vid. c. 27. et 30.

7) *funt* C. ex uno Cd. pro more omifit.

8) *hoftes* i. e. perduelles, quam vocem fingulatim de iis ufurpant, qui patriae aut principi bellum inferunt. C. Cic. Ep. ad Div. XII, 10. „Lepidus — fententiis omnibus *hoftis judicatus* eft, ceterique, qui una cum illo a republ. defecerant; quibus tamen ad fanitatem redeundi ante Kal. Sept. poteftas facta eft."

9) *fine fraude*, fine periculo, fine poena, impune. Liv. XXVI, 12. „ut qui civis Campanus ante certam diem transiffet *fine fraude* effet. Caef. de B. G. V, 51. „feu quis Gallus, feu quis Romanus velit ante horam tertiam ad fe transire, *fine periculo* licere." Alias *fine fraude* fignificat *vere, ex animo*. Caef. de B. Civ. II, 22. „Maffilienfes — fefe dedere *fine fraude* conftituunt." Cf. ejusd. libri c. 14.

10) *praeter* h. l. adverbialiter pofitum eft pro *praeterquam*, ita, ut *condemnatis* a verbo *liceret* pendeat. Simili modo Juftin. XIII, 5. „omnium civitatium exules, *praeter* caedis *damnati*, reftituebantur." Male igitur Cledonius grammatic., in collectione Putfchii p. 1933. *condemnatis* pro ablativo habet, dicens: praepofitio „*praeter*, lecta eft et *ablativo* juncta, ut Salluftius. *praeter rerum capitalium condemnatis*. Vide

demnatis. Praeterea decernit, *uti Confules dilectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam perfequi maturet; Cicero urbi praefidio fit.* Ea tempeftate mihi imperium populi Romani multo maxume miferabile vifum eft: cui, cum ad occafum ab ortu folis omnia domita armis parerent; domi otium atque divitiae, quae prima mortales putant, adfluerent; fuere tamen cives, qui feque remque publicam obftinatis animis perditum irent. Namque duobus Senati decretis ex tanta multitudine, neque praemio

---

contra Prifcian l. XVII, p. 1101, ubi de cafuum permutatione agens hunc locum affert.

11) *dilectum*. Vulgo *delectum*, uti et H. habet. Sed C. *dilectum* e libris fuis recepit, adjiciens: „Veteres maluiffe *dilectum* tot viri docti monuerunt, ut fruftra multa hic adderemus." Verofimile tamen effe videtur, veteres *delectum et dilectum* promifcue dixiffe. Eligebantur autem milites ex tribubus et claffibus, ducta forte, praefidentibus confulibus et adfidentibus tribunis.

12) *Ea tempeftate*. Hic D. non male caput 37. incipit.

13) *Multo* fuperlativis faepius additur, aeque ac *longe*. C. 52. in oratione Catonis: „Si res ita effet, *multo pulcherrumam* eam nos haberemus." Jug. c. 9. „*longe maxuma* virtus." Liv. I, 11. „Noviffimum ab Sabinis bellum ortum, multoque id *maximum* fuit."

14) *eft* poft *vifum* C. delevit.

15) *parerent*. Sic vulgo et bene. At C. e nonnullis libris fcripfit *paterent*; Cf. c. 10. n. 5.

16) *prima — putant*, praecipua habent. Jug. 41. „otio atque abundantia, quae *prima* mortales ducunt."

17) *obftinat. animis*. Cic. ad. Attic. I, 11. voluntas *obftinatior*, et — obfirmatior.

18) *perdit. irent*, ad rempublicam perdendam irent. Cic. Cat. II, 5. „nulla eft enim natio, quam pertimefcamus: nullus rex, qui bellum populo Romano facere poffit: omnia funt externa unius virtute terra marique pacata: *domefticum bellum manet, intus inclufum periculum eft, intus hoftis*."

19) *duobus — decretis* i. e. licet duo fenatus decreta data effent; quorum altero, cujus mentio fit c. 30., ho-

inductus conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. tanta vis morbi, uti tabes, plerosque civium animos invaserat.

Caput XXXVII.

Neque solum illis aliena mens erat, qui conscii conjurationis fuerant; sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat.

mines invitabantur praemiis ad conjurationem indicandam; altero, quod hujus ipsius capitis initio inest, ut ab armis discederent. De forma *senati* (plures Cdd. *senatus* legunt) vid. ad c. 30. n. 8.

20) Pro *discesserat*. H. decesserat. Sed nulla est in his fingenda differentia.

21) *vis morbi*, tanta insania, s. studium insanum. cf. c. 10. extr.

22) *uti tab*. Sic C. e Cdd. aliquot; Vulgo *atque uti t.*, quod H. retinuit. Grut.: „forsan tres illae voces *atque uti tabes* sunt a glossa, arcessita huc aliunde."

23) *invaserat*. Cic. Cat. IV, 3. „Quantum facinus ad vos (patres conscripti) delatum sit, videtis: huic si paucos putatis affines esse, vehementer erratis: latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transscendit Alpes et obscure serpens multas jam provincias occupavit."

Caput XXXVII.

Catilinariae conjurationi cuncta plebes favebat multis de causis, quae hic enumerantur.

1) *aliena*, supple a republica.

2) *fuerant* C. delevit. Videtur mutandum in *erant*, ut unus et alter liber habet, vel in *fuerunt*.

3) *plebes* est forma antiquior (cujus genitiv. *plebei*), qua Liv. et Tacit. aliique utuntur, quamque C. et H. reliquique omnes receperunt, licet in omnibus libris legatur *plebs*. Sic *grues* antique dicitur pro *grus*; *neces* pro *nex*; *sepes* pro *seps* etc.

4) *nov. rerum studio*. Liv. XXXV, 34. „Optimus quisque praesenti statu gaudet: multitudo et quorum res non ex sententia ipsorum sunt, omnia *novari* volunt."

Id adeo more suo videbatur facere. Nam semper in civitate, quibus opes nullae sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur: quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis. Primum om-

5) *Id adeo* noster saepe adhibet, veluti extremo hoc cap. „*id adeo* malum multos post annos in civitatem reverterat." Jug. c. 65. „*id adeo* mature posse evenire, si ipse consul ad bellum missus foret." Ibid. c. 110. „*id adeo* experiri licet." c. 111. „*id adeo* in promtu esse." Cic. in Verr. VI, 64. „*Id adeo* ex ipso SCto cognoscite; quibus locis inter se comparatis videmus, huic *adeo* inesse notionem." fere *τοῦ et* s. *et quidem* cum emphasi quadam; et *id adeo* esse in nostri deliciis, vario sensu.

6) Pro *quibus* C. e conject. *quîs;* utrumque pro *ii*, *quibus*.

7) *bonis*, optimatibus, divitibusque, cf. c. 19. n. 4.

8) *malos* i. e. seditionis auctores.

9) *suar. rerum* supple afflictarum, i. q. conditionis miserae. Tacit. Ann. III, 44. „*odio praesentium*."

10) *habetur s. damno* C. explicat: quoniam egenus quilibet esse potest sine metu damni. D.: quoniam in egestate sua non multum damni accipere possunt. Si verba haec genuina sunt, *habetur* accipiendum erit, pro *alitur*, *sustentatur*, ita ut hic fere sensus exeat: quoniam egeni in turbis lucrum facere possint, nec habeant, quod perdere possint. cf. c. 1. n. 11.

11) *Sed urb. plebes*. sed quod ad urbanam plebem attinet, ea etc. Nempe hactenus de cuncta plebe noster locutus erat, jam ad *urbanam* his verbis transit.

12) *praeceps ierat* „temere, sine consilio et ratione in partes Catilinae transierat." K. Aliter D.: „ad miseram conditionem redacta erat." Sed perperam, credo; nam non de miserae conditionis plebis Romanae causis sermo est, sed de eo, quid fuerit, quare Catilinae faverit, i. e. praecipitem se dederit; quae causae omnes eo redeunt, quod Romae, nimis magna erat eo tempore perditissimorum hominum copia.

nium, qui ubique probro atque petulantia maxume praeſtabant; item alii per dedecora patrimoniis amiſſis; poſtremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, ſicuti in ſentinam, confluxerant. Deinde multi memores Sullanae victoriae, quod ex gregariis miltibus alios Senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu aetatem agerent, ſibi quisque, ſi in armis foret,

---

13) *omnium* additur ad praeſtantiam ejus cauſae. C. (*erſtlich und vornehmlich.*) Ceterum hoc *primum omnium* referendum eſt ad *deinde* in periodo ſequenti, ut bene adnotavit Kuhnh. et voculae *item* et *poſtremo*, ad homines non tam genere, quam ſpecie diverſos, qui quum ejusdem fere farinae ſint, hac periodo ſimul notantur.

14) *probro — praeſtabant.* quorum quisque in patria ſua, probroſa et petulante vita inſignis fuerat.

15) *per dedecora* etc. pro: qui per luxuriam et diſſolutum vivendi genus patrimonia profuderant.

16) *quos flagitium* etc. qui ob levius aut gravius peccatum, patria pulſi erant aut ipſi metu poenae exceſſerant. Cf. c. 14.

17) *ſicuti in ſent.* ſicuti in ſentinae receptaculum, ita, ut res ipſa poſita ſit pro loco, in quo eſt. Cic. Cat. I, 5. et II, 4. Catilinae ſocios ipſos *ſentinam* (*Unflath*) vocat.

18) *ex gregar. militib.* „Sulla in ſenatum, ob ſeditiones ac bella, ad magnam paucitatem redactum, circiter trecentos e praecipuis equitum allegit." Appian. de B. civ. I, 100. Sed in eo numero fortaſſe aliquot quoque gregarii milites fuerunt.

19) *victu atque cultu. Victus* proprie ſignificat, quaecunque ad corporis alimenta — *cultus*, quae ad veſtitum et reliquas res externas pertinent. Alias victus ad vitae neceſſitates, cultus ad commoditates, referri poteſt. Jug. c. 5. extr. *cultus*, omnem educationem victum atque amictum comprehendit. Utrumque vero et ſeparatum et conjunctum morem vivendi omnem denotat. Cic. de Off. II, 4, 6. „qui (eſſet)

ex victoria talia ſperabat. Praeterea juventus, quae in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori praetulerat: eos atque alios omnes malum publicum alebat. Quo minus mirandum, homines egentis, malis moribus, maxuma ſpe, reipublicae juxta ac ſibi conſuluiſſe. Praeterea, quorum, victoria Sullae, parentes proſcripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud

---

victus, aut *cultus*, niſi tam multae nobis artes miniſtrarent, quibus rebus exculta hominum vita, tantum diſtat a *victu et cultu* beſtiarum?

20) *foret — ſperabat.* Sic H. et bene quidem. C. contra, e duobus MSS. induxit *forent* et *ſperabant*.

21) *inop. tolerav.* vitam inopem aegre ſuſtentaverat.

22) *largitionib.* Largitiones erant annonae, olei, carnis, pecuniae aliarumque rerum distributiones, a priſcis temporibus uſitatae, vel publicis ſumtibus vel privatis, ad multitudinis animos vel conciliandos vel ſedandos.

23) *excita*, ſollicitata.

24) pro *praetulerat* C., Salluſtii conſuetudine inductus, e MS. *praetulerunt*, quod D. retinuit.

25) *malum publ.* C. explicat damna reipubl. ex turbis et conjuratione. D. intelligit largitiones.

26) *egentis.* Sic C. et H., ſed B. *egentes.* Vid. ad c. 1. n. 1.

27) *juxta ac ſibi conſ.* i. e. conſilia ſibi ac reipublicae pariter noxia cepiſſe, ſ. ſocietatem cum Catil. iniiſſe.

28) *jus libertatis.* Libertatis jure cuivis honores petere licebat, ſed Sulla proſcriptorum filios ſenatu et honoribus excluſit. Vellej. Paterc. II, 28. „Primus ille (Sulla) (et utinam ultimus!) exemplum proſcriptionis invenit. — Nec tamen (tantum?) in eos, qui contra arma tulerant, ſed in multos inſontes ſaevitum; adjectum etiam, *ut bona proſcriptorum venirent; excluſique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur.*" Cf. Cic. in Piſon. 2. Plutarch. Sull. c. 31. ὁ δὲ πάντων ἀδικώτατον ἔδοξε, τῶν γὰρ προγεγραμμένων ἠτίμωσε καὶ υἱοὺς καὶ υἱωνούς.

ſane alio animo belli eventum exſpectabant. Ad hoc, quicumque aliarum atque Senati partium erant conturbari rempublicam, quam minus valere ipſi malebant. Id adeo malum multos poſt annos in civitatem reverterat.

Caput XXXVIII.

Nam poſtquam Cn. Pompejo et M. Craſſo Conſulibus tribunicia poteſtas reſtituta eſt; homines adoleſcentes ſummam poteſtatem nacti quibus aetas

---

29) *haud alio animo*, eadem ſpe (juris recuperandi) belli eruptionem exſpectabant.

30) De voce *adeo* vid. n. 5. Malum autem vocat turbas tribunicias, quae ab anno 672, ubi Sulla tribunorum poteſtatem valde reſtrinxerat iisque, nil niſi imaginem ſine re, reliquerat, usque ad conjurationem Catilin. ceſſaverant, ubi tribuni, opes plebis, per Pompeji (qui, ut populo placeret, tribuniciam poteſtatem a. 683 reſtituerat, Vellej. Paterc. II, 30.) abſentiam imminutas (cf. c. 39) reficere ſunt conati. Sed Salluſt. h. l. inde a Gracchorum ſeditionibus computare videtur, inter quas et Catilinarios motus ſexaginta circiter anni. (630 — 690) intercedunt. Hinc *multos poſt annos* ait.

Caput XXXVIII.

***Huc accedebat**, quod tribuni plebis contra ſenatus potentiam plebem incendebant, non quo jura ejus defenderent, ſed ipſi clari potenteſque fierent.*

1) *Pompejo et Craſſo Conſ.* i. e. 683 a. u. Vid. Vellej. Paterc. II, 30. Cf. Caeſ. de B. C. I, 5. et 7. Cic. Verr. I, 15.

2) *eſt* C. pro more omiſit.

3) *homines adol.*, tribuni plebis. Varro adoleſcentiam extendit ad annum aetatis trigeſimum. Cenſorin. (de die nat. c. 14.) Gr.: „ſi quis verba: *homines adoleſcentes* abjicienda putaret, non nimis ab eo diſſentirem." conſtruens: (ii) quibus aetas — ferox erat, coepere etc. C. eadem tanquam ſpuria incluſit, omiſſo *erat* poſt vocem *ferox*.

animusque ferox erat, coepere, Senatum criminando, plebem exagitare; dein largiundo, atque pollicitando magis incendere; ita ipſi clari potentesque fieri. Contra eos ſumma ope nitebatur pleraque nobilitas, Senati ſpecie, pro ſua magnitudine. Namque, uti paucis verum abſolvam, per illa tempora quicumque Rempublicam agitavere, honeſtis nominibus, alii, ſicuti populi jura defenderent, pars, quo Senati auctoritas maxuma foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quisque potentia certabant. neque modeſtia, neque modus

---

4) *exagitare*, concitare, ſtimulare, quod minus eſt, quam ſequens incendere.

5) *ſumma ope nitebatur*, c. 1. „*ſumma ope niti* decet." Jug. c. 14. „quos ego audio *maxuma ope niti*." Ibid. c. 25. „Sed ab iisdem regis fautoribus *ſumma ope* eniſum."

6) *pleraque nobilitas*, plerique ſenatores et conſulares, quamquam non omnes ſenatores nobiles erant. Cf. Jug. 54. n. 13.

7) *Senati ſpecie* etc. „i. e. ſpecie pro auctoritate juribusque ſenatus, revera pro ſua ipſius auctoritate ac potentia." D.

8) Vocem *verum*, uno Codice praeeunte, C. delevit.

9) *agitavere*, turbaverunt, vexaverunt. Jug. 37. „ea tempeſtate Romae ſeditionibus Tribuniciis atrociter resp. *agitabatur*. Ceterum obiter notandum, hac tota periodo usque ad verbum *certabant* nil contineri, niſi quod aliis verbis jam dictum eſt.

10) *honeſt. nominib.* honeſta ſpecie, honeſto praetextu.

11) *alii — pars.* Vid. c. 2. n. 4.

12) *ſicuti* i. q. quaſi, vid. not. ad c. 37. extr.

13) *bonum publ.* reipublicae ſalutem. Tacit. Hiſt. IV, 73. extr. „libertas et ſpecioſa nomina praetexuntur: nec quisquam alienum ſervitium et dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet."

14) *modeſtia — modus*, cf. c. 11. n. 14.

contentionis erat; utrique victoriam crudeliter exercebant.

Caput XXXIX.

Sed postquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est; plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magi-

---

15) *victor. exercebant.*, victoriae parum temperabant. Jug. c. 16. „acerrume victoriam nobilitatis *exercuerat.*" Cat. c. 49. „nam uterque cum illo graves inimicitias *exercebant.*" Ceterum contentiones inter senatum ac tribunos, saepe cruentissimas fuisse constat. Vid. Liv. II, 34. III, 64. Cic. de Leg. III, 8.

Caput XXXIX.

Plebs opes per Pompeji absentiam imminutas reficere conatur, oblata opportunitate conjurationis Catilinariae, quae in dies novos socios adscivit.

1) *bellum marit.*, quod dicitur quoque *piraticum*, gestum inde ab anno 683 contra piratas e Cilicia et aliquot insulis, qui a Mithridate adjuti, Graeciae atque Italiae oras infestabant Romanorumque navigationem ita turbabant, ut Italiae annona deesset. Q. Metellus (684) eos quidem aliquoties vicerat, sed non fregerat, donec Cn. Pompejus, lege Gabinia (686), imperium in eos accepisset bellumque hoc omne intra quinquaginta dies feliciter finivisset. Vid. Plutarch. vit. Pompej. c. 25 — 28. Cf. Cic. pro leg. Man. c. 11. 12.

2) *Mithridatic.* est bellum secundum, quod Mithridates Ponti et Chersonesi Tauricae rex, Romanis intulit, socio Tigrane, Armeniae rege, genero suo a. u. 678. Id Lucullus, per septem fere annos (679—685.) satis bene administraverat, quum ei succederet in imperio Pompejus (687) ex lege Manilia, quam Cicero (pro leg. Manil.) suaserat, pari felicitate hoc bellum conficiens. a. 690. Vid. Vellej. Paterc. II, 33. et 37.

3) *imminutae.* Vid. c. 37. n. 30.

4) *paucorum*, nobilium.

stratus; provincias, aliaque omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceteros judiciis terrere; quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo praelio Catilina superior, aut aequa manu discessisset: profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset; neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset, quin

---

5) *innoxii* h. l. securi, non lacessiti. Nam innoxius proprie is est, qui alteri non nocet ideoque ipse noxae s. poenae expers est. Hinc activa ejus passivaque potestas.

6) *florentes*, supple opibus.

7) *ceteros — terrere.* Ciacconius ita interpretatur: „terrebant judiciis *tribunos plebis*, ne plebem in potentes exagitarent, atque in senatum, criminando accenderent." Cum eo consentit C. D. particulam *quo*, cepit pro *ne* (*damit sie nicht den gemeinen Mann zu gelinde behandelten*). K., *ceteros* ad patricios referens ita explicat: „nam, quo plebem placidius tractantes (isti pauci) suam firmarent augerentque potestatem, ceteros patricii generis homines judiciis terrebant." Quae explicatio reliquis praeferenda videtur.

8) *dubiis reb. novand.* Hanc vulgatam, quam et H. retinuit, defendit C., ita ut hic dativus explicandus sit: *ad dubias res novandas s. rerum dubiarum novandarum.* Gr. contra voluit *novandi*, quod Wassius in duobus Cdd. invenit et B. recepit, i. e. ubi res dubiae factae erant et spes suppetebat reipublicae statum mutandi.

9) *eorum* referendum enim est ad *plebis*, ut c. 5. *civitas, quos.*

10) *aequa manu*, aequo Marte, aequa belli fortuna.

11) *forent* C. delevit. Brevius dixisset: neque victoriam adeptis, diutius ea uti licuisset.

12) *uti licuisset* eam imprimis ob causam, quod ex uno bello civili, alterum sine dubio exortum esset, siquidem Pompejus, Crassus et Caesar, qui tum principes civitatis erant, vix Catilinae permissuri fuissent civitatis imperium.

13) *quin*, *ohne dass.* Vid. Horat. Turselin. sub h. v.

defeſſis et exſanguibus, qui plus poſſet, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti ſunt. in his erat A. Fulvius, ſenatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari juſſit. Iisdem temporibus Romae Lentulus, ſicuti Catilina praeceperat quoscumque moribus aut fortuna, novis rebus idoneos credebat, aut per ſe, aut per alios ſollicitabat; neque ſolum cives, ſed cujusquemodi genus hominum, quod modo bello uſui foret.

---

14) *exſanguibus*, iis, quorum vires exhauſtae erant. Cic. pro Sext. 10. „hominibus enervatis atque *exſanguibus*."
15) *poſſet — extorqueret* pro potuiſſet — extorſiſſet. Notari videntur Pompejus, Caeſar aut Craſſus.
16) *Fuere tamen* etc. Tranſitus, quem particula *tamen* indicat, hic eſt: ſed quamquam Catilina nondum erat ſuperior, neque ſperari poterat, ut ſuperior maneret, tamen complures fuere etc.
17) Verbum *erat* C. delevit.
18) *Aul. Fulv.*, quem Valer. Maxim. V, 5. nominat: juvenem et ingenio et literis et forma inter aequales nitentem, cujus ante ſupplicium pater dixiſſe fertur: „non ſe Catilinae illum adverſus patriam, ſed patriae, adverſus Catilinam genuiſſe."
19) *retractum ex itin.* Vid ad c. 47. n. 23.
20) *necari juſſit.* Reipublicae temporibus, penes patres fuit jus vitae ac necis in liberos, qui iis adverſarentur; et huic ſimile exemplum diu ante praebuerat L. Jun. Brutus, qui duos filios, in conjuratione deprehenſos, necari juſſit. Liv. II, 5. Id jus inferioribus temporibus patribus eſt ademtum.
21) *Iisd. temporib.* Hic novum caput bene incepit D.
22) *praeceperat.* Vid. c. 32.
23) *moribus — fortuna*, ob mores malos aut fortunam adverſam.
24) *per ſe* i. e. ipſe, cui oppoſitum *per alios.*
25) Vox *bello*, quam C. incluſit, omitti quidem poſſet, ſed quoniam in omnibus libris, etſi varia ſede invenitur, minime eſt delenda. H. eam retinuit, Bo i ſit

Caput XL.

Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat; eosque, ſi poſſit, impellat ad ſocietatem belli: exiſtumans publice privatimque aere alieno oppreſſos; praeterea, quod na-

---

Caput XL.

Umbrenus, cui mandatum id erat a Lentulo, Allobrogum legatos, tum Romae praeſentes, in conjurationis ſocietatem allicere tentat.

1) *Umbreno.* Hunc Cic. Cat. III, 6. hominem libertinum, i. e. e ſervo liberum factum vocat, a quo primum Gallos ad Gabinium perductos eſſe conſtabat. Socios ejus fuiſſe in ſollicitandis Allobrogibus Q. Manl. Chilonem et P. Furium, Cicero eodem loco narrat.
2) *Allobrogum.* Allobroges, gens Galliae Narbonenſis, cuius caput Geneva, inter Alpes, Rhodanum et lacum Lemanum, (nulla Gallica gente opibus aut fama inferior Liv. XXI, 31.). Eam quidem pacaverat Q. Fab. Maximus (628), qui inde cognomen Allobrogicus traxit (Vellej. Paterc. II, 10. Flor. III, 2.); nihilo minus tamen Cic. Cat. III, 9. eorum civitatem vocat *male pacatam, quae populo Romano bellum facere et non nolle videretur*, quorumque legati (Plutarch. vit. Cic. c. 18. *duos* fuiſſe narrat) nunc Romae aderant, ut de magiſtratuum Romanorum avaritia et expilatione quererentur, ſed fruſtra. Vid. paullo inferius.
3) *oppreſſos*, onuſtos, ob memoratam magiſtratuum Rom. expilationem.
4) *praeterea* etc. brevius ſano dixiſſet: praeterea natura bellicoſos, facile etc. Sic ego ſcripſiſſem, Gr. inquit, qui Salluſtius non ſum, cui tamen nihil praeſcribo. cf. C. ad c. 9, 3. De Gallorum belli amore infra c. 53. „ſciebam — gloria belli Gallos ante Romanos fuiſſe." Caeſ. B. G. III, 19. „ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promtus eſt animus." Et ibid. c. 24. „ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute ſuperarent." Juſtin. XXV, 3. „tantus terror Gallici nominis et armorum invicta felicitas erat."

tura gens Gallica bellicoſa eſſet, facile eos ad tale conſilium adduci poſſe. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, pleriſque principibus civitatium notus erat, atque eos noverat: itaque ſine mora, ubi primum legatos in foro conſpexit, percunctatus pauca de ſtatu civitatis, et quaſi dolens ejus caſum requirere coepit, *quem exitum tantis malis ſperarent?* Poſtquam illos videt *queri de avaritia magiſtratuum, accuſare ſenatum, quod in eo auxilii nihil eſſet; miſeriis ſuis remedium mortem exſpectare: At ego*, inquit, *vobis, ſi modo viri eſſe voltis, rationem oſtendam, qua tanta iſta mala effugiatis.* Haec ubi dixit, Allobroges in maxumam ſpem adducti, Umbrenum orare, uti ſui miſereretur: nihil tam aſperum, neque tam difficile eſſe, quod non cupidiſſume facturi eſſent, dum ea res civitatem aere alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit; quod

ſoro propinqua, neque aliena conſilii, propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma aberat. Praeterea Gabinium arceſſit, quo major auctoritas ſermoni ineſſet: eo praeſente conjurationem aperit: nominat ſocios, praeterea multos cujusque generis

---

5) *negotiatus erat*, negotia pecuniaria et frumentaria habuerat. Vid. Erneſti Clav. Cic. V. *negotiator* et ejusd. opuſc. philolog. critica commentat. I. de Negotiatorib. Romanis. Verbum *erat* C. omiſit.

6) Vocem *civitatium* C. ideo expunxit, quod difficile ſit demonſtratu, P. Umbrenum omnem Galliam peragraſſe negotiantem, et certum ſit, eum in Gallia Allobrogum fuiſſe.

7) *notus erat — noverat*, parum inter ſe differunt. c. 44. „data et accepta fide." Jug. c. 70. „ſuſpectus regi et ipſe eum ſuſpiciens." Liv. XXXIX, 40. „ſimultates exercuerunt eum et ipſe exercuit."

8) *videt*. Verba ſenſuum, videre et audire, ſaepius inter ſe permutantur. Liv. XXXIV, 31. „Tum me regem appellari a vobis memini: nunc tyrannum vocari *video*. Cic. pro Arch. c. 8. „quoties ego hunc Archiam *vidi* — dicere ex tempore."

9) *quod non*. Sic vulgo legitur et ſic omnes libri C. et H. habent. Nihilo minus tamen Gr., Pareus, Waſſe, C., H., B. receperunt *quin*, quod e Cod. Veneto, protulit Rivius.

10) *D. Bruti*. Intelligendus videtur Dec. Jun. Brutus, qui conſul fuit a. u. 676, et quem Cic. laudat in Bruto c. 47. Nam c. 25. Sempronia haec dicitur *viro ſatis fortunata*, et e noſtro hoc loco patet, eum Brutum conjurationis ignarum fuiſſe, ſiquidem Allobroges ideo in ejus domum introducti ſunt, quod ipſe tum a Roma aberat. Ceterum Cicero, Cat. III, 6., non in Bruti, ſed Gabinii domum legatos perductos dicit.

11) *aliena conſilii* i. e. conjurationi accommodata, opportuna. *Alienus* autem cum genitivo etiam alibi occurrit, nec mirum, cum in iis ſit adjectivis, quae relativa appellari poſſint quaeque modo cum genitivo, modo cum ablativo inveniantur. Cic. de Finib. I, 4. „quis *alienum* putet *ejus dignitatis*." Ovid. Faſt. I, 596. „et quicunque *joci* non *alienus* erat." Vid. c. 7. n. 12.

12) *Sempron.* Vid. c. 25.

13) *ab Roma*. In MSS. eſt, *Roma aberat*, omiſſa praepoſitione; ſed Priſcianus (ed. Putſch. p. 1008.) haec habet: „Inveniuntur tamen et cum praepoſitionibus nomina civitatum ſaepe prolata et maxime apud hiſtoricos. Liv. XLII, 18. Legati eo *ab Roma* — venerunt. Salluſtius in Cat., nam tum Brutus *ab Roma* aberat."

14) *Gabinium*. Vid. c. 17. n. 21.

15) *arceſſit*. Cdd. plerique *accerſit*, ſed melior aetas ubique ſcripſit *arceſſit* (Vid. Graevius ad Sueton. Tiber. c. 53.), ab *ar* i. q. *ad* et *ceſſo* a *cio*, ut a *capio*, *capeſſo*, *facio*, *faceſſo*; nam ficta eſt veterum grammaticorum inter verba *arceſſo* et *accerſo*, ratione ſignificationis, diſtinctio, ſicuti aliae plures.

16) *ineſſet*. De hac temporum conſecutione vid. ad c. 34. n. 2.

innoxios, quo legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitos operam suam, domum dimittit.

CAPUT XLI.

Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent. In altera parte erat aes alienum, studium belli, magna merces in spe victoriae: at in altera majores opes, tuta consilia, pro incerta

---

17) *innoxios*, conjurationis inscios. Vid. ad c. 39.

18) *amplior* i. q. major. C. 59. „quo militibus *animus amplior* esset."

19) *pollicitos operam*. Cic. Cat. III, 4. „ut equitatum in Italiam quam primum mitterent." ibid. c. 2. „et bellum Transalpinum et tumultum Gallicum excitarent.

20) C. *domum* delevit, e paucis Cdd. Vulgo autem et in H. adest.

CAPUT XLI.

Cicero, qui rem omnem per Sangam, cui Allobroges eam aperuerant, cognoverat, Allobrogibus praecipit, ut studium conjurationis simulent et hac re conjuratos quam plurimos cognoscant.

1) *in incerto habuere*, phrasis est e Graeco desumta (ἐν ἀπόρῳ εἴχοντο Thucyd. I, 25.). Jug. c. 46. extr. „nam in Jugurtha tantus dolus — ut pacem an bellum gerens perniciosior esset, *in incerto haberetur*." Tacit. Ann. XV, 17. „quando *in incerto habeantur* Parthorum conatus."

2) *in altera p. erat* supple incitamentum ineundae conjurationis.

3) *magna merces*, magnum praemium a conjuratis sibi promissum, si vicissent.

4) *in altera* (parte) ad fidem reipublicae servandam et conjurationem patefaciundam. D

5) *majores opes* i. e. vires reipublicae, ad obsistendum conjuratis, majores.

6) *tuta consilia*, incepta tutiora, si a partibus reipublicae starent.

spe, certa praemia. Haec illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicae. Itaque Q. Fabio Sangae, cujus patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis praecepit, ut studium conjurationis vehementer simulent, ceteros

---

7) *praemia*, quae senatus pollicitus erat, si quis de conjuratione indicasset. Vid. c. 30.

8) *volventibus*, perpendentibus, secum considerantibus. Jug. c. 6. multa cum animo suo *volvebat*; ibid. c. 108. extr. „comperior Bocchum — multum cum animo suo *volvere* solitum."

9) *fortuna reipubl.* Cic. Cat. III, 9. „Quid vero, ut homines Galli, e civitate male pacata — vestram salutem suis opibus anteponerent, id non *divinitus* factum esse putatis?"

10) *Sangae* Senatori, de gente Fabia, cujus meminit Cic. in Pison. c. 51. cujusque patrocinio utebatur Allobrogum civitas. (Appian de B. C. II. p. 430. Ἀλλόβριγες ἐνδοιάσαντες, ἐκοινώσαντο Φαβίῳ Σάγγᾳ, ὃς ἦν τῶν Ἀλλοβρίγων προστάτης, ὥσπερ ἁπάσαις πόλεσιν ἐστί τις ἐν Ῥώμῃ προστάτης.") Nam reges populique externi Romanis subditi, eligebant sibi Romae patronum, cujus opera uterentur, si quid ibi curandum haberent, maxime e familia ejus, qui eos in fidem receperat. Vid. Cic. de Off. I, 11. Allobroges autem imperio Rom. subjecerat Q. Fab. Max. Vid. c. 40. n. 2.

11) *consilio cogn.* i. q. re cognita. Sed C. vehementer displicet vox *consilio*, ideoque eam inclusit; supplet *negotio*, more Taciti et aliorum. Nam Tacit. Ann. I, 46. ita; „At Romae nondum *cognito*, qui fuisset exitus." et praeterea Priscian. l. XVIII, p. 1130. praecipit *comperto*, et *audito* absolute occurrere apud Sallust. in V. Hist., e qua duo in hanc rem exempla affert.

12) Praeteritum *praecepit*, quod omnes fere MSS. C. et H. tuentur, vulgo mutatum est in praesens *praecipit* propter sequentia praesentia; qua de re vid. c. 34. n. 12. Praeterea notandum, C. voculam *ut*, unius libri scripti monitu, delevisse.

adeant, bene polliceantur; dentque operam, uti eos quam maxume manifeſtos habeant.

CAPUT XLII.

Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat. Namque illi, quos antea Catilina dimiſerat, inconſulte ac veluti per dementiam cuncta ſimul agebant: nocturnis conſiliis, armorum atque

---

13) *bene* i. e. bona quaeque, ſ. multa. Cicero: *prolixe, benigne, liberaliter* polliceri.

14) *manifeſtos habeant*, certo ſcirent, qui in numero conjuratorum eſſent.

CAPUT XLII.

Eodem fere tempore in pluribus Italiae Galliaeque locis, motus concitantur per eos, quos Catilina dimiſerat, quorum tamen complures in vincula conjiciuntur.

1) *In Gallia citeriore.* Gallia Togata ſ. citerior, ſ. Ciſalpina, ratione ſitus urbis Romae ſic dicta, complectebatur totam Italiam ſuperiorem, intra Alpes et fluvios Macram et Rubiconem. Gallia autem ulterior ſ. Transalpina ſ. Narbonenſis, erat provincia Romana in Gallia propria, quae ab Alpibus usque ad Pyrenaeos ad mare internum patebat, donec J. Caeſar, omnino omnem Galliam Romanis ſubjiceret.

2) *Piceno.* Vid. c. 50. n. 19.

3) *Bruttio.* Ager Bruttius erat Italiae pars maxime meridionalis, usque ad fretum Siculum, ideoque hodierni temporis Calabria.

4) *Apulia.* (vid. c. 27. et 50.) in Calabriae (veteris) confinio.

5) *quos — dimiſerat.* Intelligendi videntur Septimius et C. Julius, quorum mentio facta eſt c. 27.

6) *cuncta ſ. agebant* omnia eodem tempore agebant, ideoque ob feſtinationem in ſuſpicionem inciderunt. Ita quem locum recte cepit Dahl (paullo aliter Kuhnh.), C., contra omnium librorum auctoritatem ita mutare

telorum portationibus, feſtinando, agitando omnia plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer Praetor, ex Senati conſulto, cauſa cognita, in vincula conjecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciae legatus praeerat.

---

voluit, ut voces *cuncta ſimul* tanquam ſpuria includeret. Porro pro *agebant* C. ex aliquot Edd. ſcripſit *agere.*

7) *armorum atque tel.* Has voces, noſter fere ubique conjungere ſolet. Vid. c. 51. Jug. 43. et 51. et alibi. Quod iterum indicat, eum in verbis non eſſe parcum. Nam etſi *arma* a *telis* differunt, tamen *arma* pro utrisque poni ſolent.

8) *portationib.* portatio vox eſt rariſſima, quae ne in Gesn. quidem theſauro invenitur.

9) *quam periculi.* Nam quo manifeſtiores erant illorum belli apparatus, eo minus periculoſi erant, quoniam anteveniri iis facile poterat, etſi timorem hominibus injicerent.

10) *Q. Met. Celer.* Vid. c. 50. n. 18.

11) *ex S. conſulto*, ſecundum decretum ſenatus, qui praeſidibus provinciarum, in conjurationis ſocios eam poteſtatem permiſerat. In plerisque libris MSS. eſt: ex SC. quod H. retinuit. In aliis: *ex Senatus conſulto.* C. *ex ſenati conſultu*; B. *ex ſenati conſulto.*

12) *item.* ſupple ex eo numero in vincula conjecerat complures C. Murena. C.

13) *ulteriore.* Sic locum emendavit C., quum antea ubique legeretur in *citeriore* Gallia. Nam C. Murena praeerat Galliae Transalpinae, ut Cic. pro Murena c. 41. teſtatur, et hujusmodi errorem Salluſtio adſcribere abſurdum foret. H. *citeriore* retinuit.

14) *legatus.* Legati praefectis provinciarum vel addebantur, ut eorum opera conſilioque uterentur, quique ipſis abſentibus provinciae praeeſſent; vel ſoli mittebantur in provinciam, ſive a praeſidibus ſive a ſenatu. E poſtremo numero fuiſſe videtur hic C. Murena.

CAPUT XLIII.

At Romae Lentulus, cum ceteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbatur, magnis copiis, constituerat, uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actio-

---

CAPUT XLIII.

Interea Romae conjurationis principes, inter quos negotia erant divisa, eruptionem proxime futuram parant et de illius signo inter se conveniunt.

1) *Lentulus.* Vid. c. 17. n. 9.

2) Loco *videbatur* alii cum C. *videbantur*, e libris aliquot; qua in sectione supplendum erit *copiae*, et verbum trahendum ad objectum quod videtur, non ad subjectum cui videtur. Cic. Ep. ad Div. XVI, 4. „teque, ut mihi *visus* est, diligit."

3) Pro *constituerat*; C. *constituerant*; B., nescio unde, *constituerunt*. Pluralis defendi potest simili loco Jug. c. 101. „Bocchus cum peditibus — *invadunt.*" ubi libri nonnulli *invadit*. Nepos Phoc. c. 2. „Demosthenes cum ceteris — *erant expulsi.*" Unde patet, verbum aliquod si ad singularem et pluralem (*Lentulus — ceteri*) simul, pertinet, ad utrumque adaptari posse; quamquam ad grammaticam rationem sequente *cum*, accuratius conveniat cum subjecto proprio: *Lentulus* cum ceteris *invadit.*

4) *cum exercitu.* Si verba haec genuina sunt, exercitus h. l. vocatur paucorum numerus, quem Catilina ex urbe secum duxerat (c. 32.) et manus quam in itinere collectam (c. 36. init. Appian. B. Civ. lib. II, 429. ἐς τὸν Μάλλιον ἐχώρει στρατολογῶν et „ὅτε Κατιλίναν ἐν Φαισούλαις πυνθάνοιντο γεγενῆσθαι.") ad Mallium adduxerat (c. 56. init.); quod C. negans hunc locum e conjectura sic mutavit: *Catilina in agrum Faesulanum cum venisset*, omissis verbis *cum exercitu*. Eum secuti sunt B. et D. Vulgatam contra retinuit H. et Grut.

5) *L. Bestia.* Vid. c. 17. n. 17.

nibus Ciceronis, bellique gravissumi invidiam optumo consuli imponeret; eo signo, proxuma nocte cetera multitudo conjurationis, suum quisque negotium exsequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna

---

6) *de actionib. Ciceronis*; quod (oratione prima) Catilinam in exsilium ejecisset (vid. Cic. Cat. II, 6. init.) eumque ad arma confugere invitum coëgisset.

7) *bellique — invidiam*, bellique civilis nefandissimi culpam imputaret. Appian. de B. C. II, 3. extr. „Λεντούλῳ δὲ καὶ τοῖς συνωμόταις ἔδοξεν, — Λούκιον Δήστιαν (lege Βηστίαν) ἐκκλησίαν εὐθὺς — συνάγειν καὶ κατηγορεῖν τοῦ Κικέρωνος, ὡς ἀεὶ δειλοῦ καὶ πολεμοποιοῦ καὶ τὴν πόλιν ἐν οὐδενὶ δεινῷ διαταράττοντος."

8) *optumo.* Cic. ad Attic. XIII, 21. „hic autem (M. Brutus) se etiam tribuere multum mihi putat, quod scripserit (in laudatione Catonis) *optimum consulem.* quis enim *jejunius* dixit inimicus? cf. summarium cap. 53.

9) *signo*, supple dato.

10) *proxuma nocte.* Cic. Cat. III, 4 extr. „Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt (Allobrogum legati), quod Lentulo et aliis caedem *Saturnalibus* fieri atque urbem incendi placeret; Cethego id longum videri." Haec autem Saturnalia celebrabantur per quinque vel septem dies mense Decembri inde ab a. d. XVI Kal. Jan. (17. Decembr.). Plutarch. vit Cic. c. 18. „καὶ νὺξ μὲν ὥριστο πρὸς τὴν ἐπίθεσιν μία τῶν Κρονιάδων." Sed Sallustius h. l. nihil definit, sed noctem intelligit proximam concioni Bestiae.

11) *quisque*, ad vocem *multitudo* pertinens, vel positum est per *synthesin*, *synesin* vel *syllepsin*, ubi ad sensum, non ad voces respicitur, vel *cetera multitudo* explicandum per nominativ. absolutum *quod attinet ad*. Jug. 58. „magna *pars vulnerati* aut *occisi*." Liv. XXXVIII, 46. „prope *attoniti* erant tantae corporum *moles*."

12) Pro *exsequerentur* alii *exsequeretur*; prius ob collectivum *quisque* praetulit C.

13) Copulam *et* C. omisit. Praeterea Grut. ab initio periodi *Sed* deleri cupit. At saepe est particula *ince-*

manu duodecim ſimul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad conſulem, ceterosque quibus inſidiae parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obſideret, eum vi adgrederetur, alius autem alium; ſed filii familiarum, quorum ex nobilitate maxuma pars erat, parentes interficerent; ſimul, caede et incendio perculſis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter haec parata atque decreta Cethegus ſemper querebatur de ignavia ſociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non conſulto, in tali periculo opus eſſe: ſeque, ſi pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promtus erat, maxumum bonum in celeritate putabat.

---

ptiva et *continuativa,* ut C. recte h. l. monuit. Paullo inferius: „*ſed* filii familiarum." Cf. c. 1. „*ſed* noſtra omnis vis" et c. 25. n. 1.

14) *duodecim.* Plutarch vit. Cic. c. 18. urbem in centum partes deſcriptam narrat iisque centum viros praefectos — ut momento urbs undique conflagraret; et Cicero pro Sulla c. 19. incendium Caſſio, non Statilio et Gabinio, caedem Cethego tribuit.

15) *ceterosque*, C. *ceteros*, omiſſo *que*. De indicativo *parabantur* in hac conſtructione indirecta vid. c. 27. n. 15.

16) *quorum ex nobilitate* etc. Hos Cic. Cat. II, 3. depingit: „quos video volitare in foro, quos ſtare ad curiam — qui nitent unguentis, qui fulgent purpura." Verbum *erat* C. delevit.

17) *Inter haec parata* etc., interea, cum haec pararentur, ſed parata tantum eſſent neque efficerentur, quia aliquoties diſtulerant. C.

18) *corrumpere*, optimas occaſiones praetermittere, perdere.

19) *facto, non conſulto.* Vid. c. 1. n. 16.

20) *languentibus*, remiſſis, torpentibus, per ſocordiam agentibus. C.

21) *manu promt.* manu ſtrenuus, bonus bello ac pugnando. C. Jug. c. 7. „erat Jugurtha *manu promtus.*" ibid.

CAPUT XLIV.

Sed Allobroges ex praecepto Ciceronis per Gabinium ceteros conveniunt; ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Caſſio poſtulant jusjurandum, quod ſignatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli poſſe. Ceteri nihil ſuſpicantes dant: Caſſius ſemet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiſcitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotonienſem mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, ſocietatem confirmarent. Ipſe Volturcio literas ad Catilinam dat, quarum exemplum infra ſcriptum eſt:

---

c. 44. „lingua quam *manu promtior.*" Verb. *erat* C. omiſit.

CAPUT XLIV.

Lentulus Allobrogibus, qui a conjuratorum principibus jusjurandum ſcriptum et ſignatum acceperant, comitem dat Volturcium, qui eos ad Catilinam ducat et eodem literas perferat cum mandatis verbo datis.

1) *ex praecepto Cic.* cujus mentionem fecit c. 41 extr.

2) *jusjurandum,* int. ſcriptum et ſignatum, quo obligarent ſeſe facturos eſſe Allobrogum ſenatui ac populo, quae legatis confirmaſſent. Cic. Cat. III, 5. init.

3) *aliter*, alio modo, alia conditione. Hinc C.: „barbare *alias.*" i. e. alio tempore. Eodem modo c. 29 extr. „aliter — nulli earum rerum conſuli jus eſt."

4) *cum his* i. e. non cum Caſſio. Has voces C. tanquam ſupervacaneas incluſit.

5) *T. Volturcium.* Hic homo obſcurus, (*quidam,*) ortus erat Crotone, urbe Bruttiorum ad ſinum Tarentinum, cujus incolae tam *Crotonienſes*, quam *Crotoniatae* latine dicuntur. Plutarch. vit. C. c. 18. et Appian. II. p. 430. eundem vocant *Κροτωνιάτην.*

6) *data et acc. fide.* Formula conſueta, qua Livius aliique ſaepius utuntur. Xenophon Anabaſ. I, 6, 6.: „*καὶ δεξιὰν ἔλαβον καὶ ἔδωκα.*"

7) *confirmarent.* De hac temporum conſecutione vid. c. 34. n. 2.

8) *infra ſcriptum.* Vid. ad c. 34. extr. Verb. *eſt* C. delevit.

Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites, in quanta calamitate sis, et memineris te virum esse; consideres, quid tuae rationes postulent: auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.

---

9) *Quis sim* etc. Has easdem Lentuli literas, sine nomine scriptas, Cic. Cat. III, 5. sic refert: „*Qui sim, ex eo, quem ad te misi cognosces. Cura, ut vir sis, et cogita, quem in locum sis progressus; et vide, quid jam tibi sit necesse. Cura, ut omnium tibi auxilia adjunges, etiam infimorum.*" Qua in re, primum vero haud absimile est, Ciceronem has literas, hoc loco, ubi ipsis Lentuli verbis uti haud intererat, memoriter tantum recitasse (quamquam dicat: l. cit. ita scriptae erant), Sallustium contra, qui se ipsarum literarum exemplum dare affirmat: ipsa Lentuli verba retinuisse; deinde, credibile est, (quod Plutarch. in Vit. Catonis minoris c. 22. narrat), Lentulum aliosque conjuratos timiditate et nimis anxia cura coeptorum Catilinae exprobrata, ipsos statuisse totam urbem inflammare imperiumque nationum rebellionibus externisque bellis evertere. Ceterum *quis*, quo utitur Sallust. h. l. et *qui*, quod Cic. adhibuit, ita differre dicuntur, ut illud *praepositivum* sit, hoc *subjunctivum*. Sed vid. Charis. ed. Putsch. p. 70.

10) Praeteritum *misi* positum est, ut saepius, ratione ejus, qui literas *scripsit*, non ejus qui *accipit*. Illius enim ratione, res est *praeterita*, hujus contra *praesens*. Nos in tali causa praesente utimur.

11) *esse* C. omisit.

12) *rationes*. rerum tuarum status. Cap. 45. „alienum suis *rationib.* existumans." Cic. Ep. ad Div. III, 2. „prospicias *rationibus* meis."

13) *ab infimis* i. e. intelligit quodcunque genus viliorum hominum, maxime servorum. Cic. de Offic. I, 13. „Meminerimus autem etiam adversus *infimos* justitiam esse servandam. Est autem *infima* conditio servorum." C.

Ad hoc mandata verbis dat: *Cum ab Senatu hostis judicatus sit, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quae jusserit: ne cunctetur ipse propius accedere.*

Caput XLV.

His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pomtino Praetoribus imperat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum co-

---

14) *Ad hoc*, praeter has literas.

15) *verbis*. Cic. Ep. ad Div. X, 8. „plura etiam *verbo*, quam *scriptura* mandata dedimus."

16) *hostis* Vid. c. 36. init.

17) *servitia*, servos.

Caput XLV.

Cicero per legatos cuncta edoctus, comites eorum cum ipsis legatis nocte, qua profecturi erant, in ponte Mulvio per insidias comprehendendos curat.

1) *Flacco — Pomtino* Utrumque Cic., III, 2. vocat praetores fortissimos atque amantissimos reipublicae viros — qui omnia de republica praeclara atque egregia sentirent; prior accusatus est repetundarum (695) et defensus a Cicerone (Pro Flacco), qua in oratione hujus quoque negotii ejus mentionem facit honorificentissimam c. 40. et 41. Alter autem, cujus nomen varie scribitur (*Pontinius*, *Promptinius* etc.), Allobroges iterum perdomuit et triumphavit (693). Vid. Cic. de Prov. Cons. c. 15. et Ciceronis legatus fuit in Cilicia. Vid. Ep. ad Div. III, 3.

2) *imperat.* Aliter Cic. pro Flacco c. 40. „ego te Flacce, caelum noctemque contestans, *flens flentem obtestabar.*"

3) Pro *Mulvio* alii *Milvio*. Fuit pons Tiberinus, quo in Etruriam itum fuit, in via Flaminia. *Muret.* hodie *ponte molle.*

mitatus deprehendant: rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur: cetera, uti facto opus ſit, ita agant permittit. Homines militares, ſine tumultu praeſidiis collocatis, ſicuti praeceptum erat, occulte pontem obſidunt. Poſtquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et ſimul utrimque clamor exortus eſt; Galli, cito cognito conſilio, ſine mora Praetoribus ſe tradunt. Volturcius primo, cohortatus ceteros, gladio ſe a multitudine defendit; dein, ubi

---

4) *comitatum*, comites.

5) *mittebantur* pro *mitterentur*. Vid. c. 27. n. 15.

6) *ita agant.* etc. Locus hic varie interpungitur, et legitur, vario ſenſu. Alii enim: *ita agant. permittit illis homines* etc. Alii verba *permittit illis* prorſus omittunt. C.: *ita agant permittit. Homines militares* etc. omiſſo *illis*. Sed melior eſt ſine dubio lectio recepta, quam Cd. Roſt. firmat et Teller. Dahliusque probant. Quid ſi legeretur: *ita agant ipſis permittit. Illi homines* etc., cui lectioni favet ſimilis ſtructura in Jug. c. 103. ubi vulgo ſic legitur: agendarum rerum et quocunque modo belli componendi *ipſis* permittit. *Illi* mature ad hiberna Romanorum proficiſcuntur."

7) *militares* h. e. magnum militiae uſum habentes, exercitati in rebus bellicis. C. Cap. 59. extr. „*Homo militaris*, quod amplius annos triginta tribunus — fuerat etc."

8) *praeſidiis colloc.* Cic. Cat. III, 2. „Illi autem (praetores) — cum adveſperaſceret, occulte ad pontem Mulvium pervenerunt, atque ibi in proximis villis ita bipartito fuerunt, ut Tiberis inter eos et pons interesſet. Eodem autem et ipſi ſine cujusquam ſuſpicione multos fortes viros eduxerant, et ego ex praefectura Reatina complures delectos adoleſcentes — praeſidio cum gladiis miſeram."

9) Pro *obſidunt* (militum praeſidio occupant) alii legunt *obſident*.

10) *cogn. conſilio* Cic. Cat. III, 2. extr. „res erat praetoribus nota ſolis; ignorabatur a ceteris." Voculam *cito* Bipont. omiſit; at continet cauſam, quare ſe *ſine mora* traderent.

a legatis deſertus eſt, multa prius de ſalute ſua Pomtinum obteſtatus, quod ei notus erat; poſtremo timidus, ac vitae diffidens, veluti hoſtibus, ſeſe Praetoribus dedit.

Caput XLVI.

Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios Conſuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia ſimul occupavere. nam laetabatur intelligens, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam eſſe: porro autem anxius erat, dubitans in maxumo ſcelere tantis civibus deprehenſis, quid facto opus eſſet; poenam illorum ſibi oneri, impu-

---

11) *de ſalute*, de vita.

12) *poſtremo* int. ubi Pomtinus eum de vita confirmaſſet; tamen (Volturcius) diffidens ejus verbis etc.

14) *vitae diffid.* non credens, vitam fore ſalvam.

Caput XLVI.

Allobrogum comitibus eorumque literis comprehenſis Cicero Senatum convocat eoque conjurationis principes cum cuſtodibus venire jubet. Quae facta ſunt tertio nonas Decembr. (3. Dec.)

1) Voc. *intelligens* C. tamquam manifeſtam gloſſam delevit. At quamvis negandum non eſt, melius fuiſſe ab auctore omiſſum, tamen, cum Salluſtii ſit, ponere ſubinde, quod alii omittere ſoleant, et omittere quod ponant, cumque huic *intelligens* reſpondeat in ſequentibus *dubitans*, equidem ob trium librorum et antiquae editionis auctoritatem, quos in verſione Hiſpanica Don Gabriel conſuluit, illud ejiciendum non cenſui.

2) C. *dubitans* eadem de cauſa, qua *intelligens*, quod huic reſpondet, omiſit. „Verbum anxius erat, inquit, involvit illud *dubitare*, ut ſupra *τὸ laetari* comprehendit *intelligere*."

3) *tantis civib.*, quorum nempe nonnulli patricio ac equeſtri loco nati erant et potentia pollebant. D.

4) *facto — opus*. Vid. c. 1. n. 16. *eſſet* C. delevit.

nitatem perdundae reipublicae fore credebat. Igitur confirmato animo vocari ad ſeſe jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q. Coeparium quemdam Terracinenſem, qui in Apuliam ad concitanda ſervitia proficiſci parabat. Ceteri ſine mora veniunt: Coeparius paulo ante domo egreſſus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Conſul Len-

---

5) *perdund. reipublicae* eſt caſus tertius, ſicuti *oneri*, pendens a verbo *fore*; quamquam C. eum pro ſecundo habere cupiat, quod noſter diverſos caſus conjungere amet. Vid. c. 6. n. 17.

6) C. *fore* B. *credebat* omiſit. Utrumque retinuit H.

7) *confirmato animo* firmo conſilio capto, cum antea dubitaſſet, quid facto opus eſſet.

8) *vocari — jubet.* Grammaticorum regula de infinitivo activo vel paſſivo, poſt verbum *jubere*, ita optime concipi poſſe videtur: quotiescunque perſona, quae aliquid jubetur, vel expreſſe, vel pronomine aliquo indicatur, poſt jubere ponitur activum, ſi tacetur illa, paſſivum. Itaque dicendum eſt: jubeo *te* (vel *fratrem* tuum) hoc *facere*, ſed contra: jubeo hoc *fieri*. Huic obſtare quidem videtur, quod dicit Cic. de Off. I, 15, 5.: „quodſi ea, quae utenda acceperis majore menſura — jubet *reddere* Heſiodus etc., ubi nulla perſona indicatur, et tamen ſequitur activum; ſed ibi pronomen *te*, in verbo *acceperis* latens, commode omittitur. Attamen non dubium eſt, quin plures exceptiones occurrant. Vid. Cic. Cat. III, 8.

9) *Terracinenſem.* Cic. Cat. III, 6. eum *Marcum* appellat: quae differentia etiam in aliis nominibus inter Salluſtium et Ciceronem obſervatur. Ceterum Cic. cum noſtro de ipſo homine conſentit adjiciens: „cui ad ſollicitandos paſtores Apuliam eſſe attributam erat indicatum." — *Terracina* erat perantiquum Volſcorum oppidum in Latio, olim Anxur dictum. C.

10) *Ceteri — veniunt*; ſcil. nihildum ſuſpicantes. D.

11) *cogn. indicio* i. e. intellecta conjurationis manifeſtatione.

12) *ex urbe.* Has duas voculas ſuſpectas ſibi C. incluſit. Sed copioſe ac bene demonſtravit Tellerus, eas abeſſe h. l. non poſſe, ſiquidem intererat indicare, Coepa-

tulum, quod Praetor erat, ipſe manu tenens in ſenatum perducit; reliquos cum cuſtodibus in aedem Concordiae venire jubet. Eo Senatum advocat, magnaque frequentia ejus ordinis, Volturcium cum legatis introducit: Flaccum Praetorem, ſcrinium cum literis, quas a legatis acceperat, eodem adferre jubet.

---

rium, qui jam ante *domo* egreſſus fuiſſet, (profectionem parans) poſtea etiam, cognito indicio *ex urbe* profugiſſe. Jug. c. 13. „victus *ex proelio* profugit," ubi quoque *ex proelio* non eſt otioſum, voluit enim dicere auctor, Adherbalem durante adhuc proelio, aut certe eo vix finito profugiſſe.

13) *Lentulum*, a ſe cum reliquis arceſſitum tardiſſime veniſſe narrat Cic. Cat. III, 3. adjiciens: „credo, quod literis dandis, praeter conſuetudinem, proxima nocte vigilarat."

14) Verba *in ſenatum* C. ob ſequentia *in aedem Concordiae* delevit. M. conjicit in *ſenaculum* cf. Varro L. L. IV, 32. Feſt. et Liv. XLI, 27.

15) *aed. Concordiae.* Senatum in templis habitum fuiſſe notum eſt. Inter plura autem Concordiae templa h. l. illud intelligendum videtur Cortio, quod Furius Camillus dictator vovit ad Capitolii adſcenſum ſitum, forum comitiumque ſpectans.

16) *cum legatis.* Paullo aliter Cic. Cat. III, 4. „introduxi Volturcium ſine Gallis," et deinde: „introducti Galli."

17) *ſcrinium*, receptaculum literarum, quibus tabellarii utuntur, ut literas ſine damno perferant. C.

Caput XLVII.

Volturcius interrogatus *de itinere, de literis, poſtremo quid, aut qua de cauſa conſilii habuiſſet?* primo fingere alia, diſſimulare de conjuratione; poſt ubi fide publica dicere juſſus eſt, omnia, uti geſta erant, aperit docetque: *ſe paucis ante diebus a Gabinio et Coepario ſocium adſcitum, nihil amplius ſcire, quam legatos: tantummodo audire ſolitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Sullam, L. Varguntejum, multos praeterea in ea conjuratione eſſe.* Eadem Galli fatentur: ac Lentulum diſſimulantem coarguunt, praeter literas, ſermonibus, quos ille habere ſolitus erat: *Ex libris Sibyllinis regnum Romae*

tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea: ſe tertium, cui fatum foret urbis potiri; praeterea ab incenſo Capitolio illum eſſe vigeſimum annum, quem ſaepe ex prodigiis haruſpices reſpondiſſent bello

---

Caput XLVII.

Volturcio Gallisque interrogatis ac literis perlectis, quarum ſigna ſua eſſe prius cognoverant, Senatus decernit, ut Lentulus cum ceteris in liberis cuſtodiis haberentur.

1) *interrogatus.* Omnem hanc conjuratorum interrogationem copioſius narrat Cic. Cat. III, c. 4. et 5. D.

2) *quid, aut* etc. Expone: quid conſilii, aut qua de cauſa *id* conſilii habuiſſet. C. „quae cauſa fuiſſet itineris ſui, et qui eum ad illud excitaſſet."

3) *fide publica*, ſupple *data*, (quod Cdd. aliquot addunt.) i. e. impunitate et ſalute Volturcio, nomine populi et ſenatus a conſule promiſſa, ſi verum haud celaret. Cic. Cat. III, 4. ab init. „fidem ei publicam, juſſu ſenatus dedi; hortatus ſum, ut ea, quae ſciret, ſine timore indicaret."

4) *docetque* C. delevit, quoniam *aperit* iſtud jam involvat. Eum ſecutus eſt B. et D.

5) Pronomen *ſe* C. delevit.

6) *adſcitum* et *aſcitum* ſ. *accitum*, ut alii legunt, ejusdem participii variae formae ſunt.

7) *Serv. Sullam.* Vid. c. 17, n. 13.

8) *Ille* et *erat* C. abjecit.

9) *libr. Sibyllinis* etc. Cic. Cat. III, 4. „Lentulum autem ſibi confirmaſſe, (Galli dixerunt) ex *fatis Sibyllinis* aruſpicumque reſponſis, ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis atque imperium pervenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe et Sullam fuiſſe: eundemque dixiſſe, fatalem hunc eſſe annum ad interitum hujus urbis atque imperii, qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem viceſimus." — *Libros Sibyllinos* tanquam ſacrarium imperii ſervabant modo duumviri, modo decemviri, modo denique quindecimviri et difficili reipublicae tempore eos conſulebant Liv. V, 13. et XXI, 62. Hiſtoriam eorum narrat Gellius N. A. I, 19 — *Corneliorum* gens celeberrima fuit atque ampliſſima, cujus partes fuerunt familiae Lentulorum, Sullarum, aliorumque.

10) *Sullam.* Vid. c. 5. n. 13.

11) *fatum* i. e. oraculis praedictum, divinitus conſtitutum; a *fari*, cujus particip. ut aliorum deponentium paſſive uſurpatur. Cic. de Fato c. 12. „ſi *fatum* tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere." Gell. N. A. XV, 20. „reſponſum eſt a Chaldaeis — id ei puero *fatum* eſſe."

12) *urbis potiri.* Jug. c. 25. „ut *Adherbalis potiretur.*" *ibid.* c. 74. extr. „Romani *ſignorum et armorum hoſtium paucorum* potiti."

13) *vigeſimum.* L. Corn. Scipione Aſiatico et Caj. Junio Norbano CSS. (a. u. 671), cuſtodum negligentia, Capitolium quod ſaepius fulmine ictum, ſaepius etiam bellis civilibus privata fraude incenſum eſt, conflagravit, cujus templum (Jovis) poſtea a Q. Catulo reſtitutum eſt 685 a. u. Q. Hortenſio et Q. Caecil. Metello Cretico CSS. Plin. III, 13. et XIX, 1. Tacit. Hiſt. III, 72.

14) *ex prodigiis.* Vid. c. 30.

15) *reſpondiſſent.* Haruſpicum (alii ſcribunt *aruſpicum*) erat proprium, *reſpondere* de prodigiis. Cic. de Div. I, 36. „Pater ad haruſpices retulit, qui *reſponderunt.*" Liv. XXIV, 10. „Haec prodigia hoſtiis majoribus procurata ſunt ex haruſpicum *reſponſo.*"

civili cruentum fore. Igitur perlectis literis, cum prius omnes signa sua cognovissent, Senatus decernit, *uti abdicato magistratu Lentulus, item ceteri in liberis custodiis haberentur.* Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum aedilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Caesari, Gabinius M. Crasso, Coeparius (nam is paulo ante ex fuga retractus erat) Cn. Terentio senatori traduntur.

---

16) *cognovissent.* Veteres tabellas sive literas suas *signis*, annulo insculptis obsignabant, quae cerae impressa proprie *sigilla* vocantur; ea *cognoscere* idem est ac sua agnoscere. Cic. Cat. III, 5. „Primum ostendimus Cethego signum: *cognovit.*" ibid. „Introductus Statilius, *cognovit* signum et manum suam."

17) *abdicato magistratu.* C. et Cdd. aliquot recepit: *abdicatus magistratu*; negans latinum esse *abdicare magistratum* pro *abdicare se a magistratu.* Sed contra est Liv. VI, 18. „abdicando dictaturam." Rem ipsam, quae h. l. respicitur, explicat Cic. Cat. III, 6. extr. „P. Lentulus, quamquam patefactus indiciis et confessionibus suis, judicio senatus, non modo praetoris jus, verum etiam civis amiserat, tamen *magistratu se abdicavit.*"

18) *liberis cust. Libera custodia* dicta, quando rei illustriores, consulibus, praetoribus, aedilibus aut senatori tradebantur custodiendi, vel fidejussori committebantur. C. Cf. Lipsius ad Tacit. Annal. VI, 3. ed. Ern. T. I. p. 418.

19) *Lent. Spintheri.* Hic Lentulus, qui pleno nomine P. Cornelius Lentulus *Spinther* vocatur, affinis erat Lentuli Surae conjurati, et pater filii nominis ejusdem. Idem est qui, Cicerone consule aedilis, omnes superiores magnificentia aedilicia superavit (Cic. de Offic. II, 16, 12.) et consul factus a. 696. Ciceronem ab exsilio revocavit. Hinc Cic. post red. ad Quir. c. 5. eum vocat: parentem, deum, salutem vitae suae etc., qui nihil humanarum rerum prius, quam de se (revocando) agendum putaverit. Ad eundem postea Ciliciae proconsulem scriptae sunt Ciceronis literae libri I. ad Divers. 1 — 9.

20) Q. *Cornificio.* Idem videtur, qui cum Galba et Antonio competitor Ciceronis in Consulatu fuit. Vid. Cic. Ep. ad Attic. I, 1.

21) *C. Caesari.* Est C. Jul. Caesar, eo tempore praetor designatus. Vid. Suet. Caes. c. 14.

22) *M. Crasso.* Vid. c. 17. n. 27.

23) *retractus.* c. 39. extr. „quem *retractum* ex itinere parens necari jussit." c. 48. „quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere *retractum* ajebant." Sueton. Aug. c. 17. „*retractum* e fuga supplicio adfecit."

24) *Cn. Terentio*, qui amplius ignotus est. De reliquis rebus eodem die in senatu et foro actis, quas Sallustius silentio transiisse videtur, vel quod Ciceroni in primis honori erant, vel potius quod transiri commode poterant, lege Cic. Catil. III, 6. et Plutarch. in Cic. c. 19.

CAPUT XLVIII.

Interea plebes, conjuratione patefacta, quae primo cupida rerum novarum, nimis bello favebat, mutata mente, Catilinae consilia exsecrari, Ciceronem ad coelum tollere; veluti ex servitute erepta

---

CAPUT XLVIII.

Plebes conjuratione patefacta exsultat, siquidem sibi quoque eam detrimento futuram fuisse comperit. L. Tarquinius quidam, qui Crassum conjurationis suspectum reddit, senatus decreto in vincula conjicitur.

1) *primo cupida.* c. 37. init. „*omnino cuncta* plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat."

2) *mutata mente.* Hoc factum est sine dubio Ciceronis oratione Catilinaria *tertia*, quam ille senatu dimisso eodem die, quo conjurati deprehensi erant, in foro ad populum habuit.

gaudium atque laetitiam agitabat. Namque alia belli facinora praedae magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac ſibi maxume calamitoſum putabat; quippe cui omnes copiae in uſu quotidiano et cultu corporis erant. Poſt eum

3) *gaudium atque laet.* Cic. Tuſcul. IV, 6, 13. „quum ratione animus movetur *placide* atque *conſtanter*, tum illud *gaudium* dicitur; quum autem *inaniter* et *effuſe* animus exſultat, tum illa *laetitia* geſtiens vel nimia dici poteſt. Noſter c. 61. extr. „Ita varie per omnem exercitum *laetitia*, moeror, luctus atque *gaudia* agitabantur."

4) *agitabat.* Crederes quidem, poſt infinitivos *exſecrari, tollere*, legendum eſſe *agitare*, ſed Criſpus et tempora et modos miſcuit. C. 16. init. „juventutem *edocebat*. Ex illis teſtes ſignatoresque falſos *commodare*; fidem, fortunas, pericula vilia *habere*." C. 42. „namque illi — cuncta ſimul *agere*: — plus timoris, quam periculi *effecerant*." et ſic alibi. Numerum, modo ex aliquot libris mutavit C., legens *agitabant*. Sed ſtatim ſequitur *putabat*, quod ad idem ſubjectum (plebes) refertur.

5) *fore.* ſupple *ſibi putabat*. Sed C. *fore* quoque omiſit.

6) *immoderatum*, modum omnem excedens et plebi quoque detrimentoſum.

7) *cui omnes copiae* etc. cujus omnes divitiae in manuum mercede (uſu corporis) et finito labore in cibo potuque ac ſomno capiendo (cultu corporis) ſitae erant. Cic. Cat. IV, 8. „auditum eſt, lenonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas, pretio ſperantem ſollicitari poſſe animos egentium atque imperitorum; eſt id quidem coeptum atque tentatum: ſed nulli ſunt inventi — qui non ipſum illum ſellae atque operis quotidiani locum, qui non cubile ac lectum ſuum, qui denique non curſum hunc otioſum (quietum) vitae ſuae velint. — „Etenim omne eorum inſtrumentum, omnis opera et quaeſtus, frequentia civium ſuſtinetur, alitur otio (pace et quiete) quorum ſi quaeſtus, occluſis tabernis minui ſolet, quid tandem incenſis futurum eſt?"

diem quidam L. Tarquinius ad Senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiſcentem ex itinere retractum ajebant. Is cum ſe diceret indicaturum de conjuratione, ſi fides publica data eſſet; juſſus a Conſule, quae ſciret, edicere, eadem fere, quae Volturcius, de paratis incendiis, de caede bonorum, de itinere hoſtium Senatum edocet: praeterea *ſe miſſum a M. Craſſo, qui Catilinae nunciaret, ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehenſi terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et ceterorum animos reficeret, et illi facilius e periculo eriperentur.* Sed ubi Tarquinius Craſſum nominavit, hominem nobilem, maxumis divitiis, ſumma potentia; alii, rem incredibilem rati; pars, tametſi verum exiſtumabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis leniunda magis, quam

8) *L. Tarquinius* homo obſcurus (*quidam*). Plutarch. Craſſ. c. 13. „*καὶ προςῆλθεν ἄνθρωπος ὀνομάζων ἀπὸ τῆς συνωμοσίας.*"

9) *retractum.* cf. c. 47. n. 23.

10) *fides publ.* Vid. c. 47. n. 3.

11) *edicere* eſt non tantum edicto jubere, ſed etiam *enunciare, indicare*. Cic. de Amic. c. 16. „Si prius, quae maxime reprehendere ſolitus ſit Scipio, *edixero*."

12) *edocet* c. 10. „avaritia — omnia venalia habere *edocuit*." c. 16. init. „juventutem multis modis — *edocebat*." Jug. c. 53. „acta *edocent* atque audiunt."

13) *terrerent.* int. eum (Catilinam).

14) *nobilem.* Vid. ad c. 17. n. 27., ubi quoque indicatur, fuiſſe eo tempore, qui crederent, M. L. Craſſum non ignarum conjurationis fuiſſe. Cf. Plutarch. Craſſ. c. 13.

15) *incredibilem*, quia divitum maxime refert, rempubl. ſalvam eſſe.

16) *alii — pars.* Vid. c. 2, n. 4.

17) *tanta vis homin.* homo tanta poteſtate.

18) „*magis* C. omittit, quod initio cap. tulerat." B.

exagitanda videbatur; plerique Craſſo ex negotiis privatis obnoxii conclamant, *indicem falſum*, deque ea re poſtulant uti referatur. Itaque conſulente Cicerone frequens Senatus decernit: *Tarquinii indicium falſum videri; eumque in vinculis retinendum; neque amplius poteſtatem faciundam, niſi de eo indicaret, cujus conſilio tantam rem mentitus eſſet.* Erant eo tempore, qui exiſtumarent, indicium illud a P. Autronio machinatum, quo facilius, adpellato Craſſo, per ſocietatem periculi reliquos illius poten-

---

19) *plerique.* i. e. maxima vero Senatorum pars; quoniam obnoxii erant.

20) *obnoxii*, ob debita Craſſo obligati. Vid. c. 14. n. 13.

21) *conclamant* i. e. una voce clamant, referendum eſt ad omnes tres: *rati*, *exiſtumantes*, *plerique.* Aliter K.

22) *referatur.* ut conſul rem ſenatui proponeret ejusque ſententias exquireret. C. 29. „rem ad ſenatum refert."

23) *conſulente* i. q. ad ſenatum referente ejusque ſententias hac de re colligente. Unde Conſules nomen traxerunt. vid. Jug. c. 15. n. 2.

24) *frequens Senatus* dicitur, quum major ſenatorum pars adeſt.

25) *poteſtat. faciund.* intell. indicandi.

26) *de eo indicaret.* C. 30. „ſi quis indicaviſſet *de* conjuratione." et alibi.

27) *mentitus.* Gellius N. A. II, 11. ex verbis P. Nigidii, inter *mendacium dicere* et *mentiri* hanc differentiam ponit: Qui *mentitur*, inquit, ipſe non fallitur, ſed alterum fallere conatur: qui *mendacium dicit* ipſe fallitur.

28) *exiſtumarent.* C. e libr. aliquot *aeſtumarent.* Vid. c. 14. n. 15.

29) Vocem *indicium* C. contra Cdd. ejecit.

30) *machinatum*, paſſive, ut notat Priſcian. VIII, p. 791. hoc verbum communibus adnumerans. Vid. c. 7. n. 5.

31) *adpellato*, inter ſocios nominato. C.

tia tegeret. Alii Tarquinium a Cicerone immiſſum ajebant, ne Craſſus, more ſuo, ſuſcepto malorum patrocinio rempublicam conturbaret. Ipſum Craſſum ego poſtea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam ſibi ab Cicerone impoſitam.

Caput XLIX.

Sed iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piſo neque gratia, neque precibus, neque pretio Cicero-

---

32) *tegeret*, tutos redderet.

33) *immiſſum*, proprie de canibus, (*aufgehetzt*), i. q. ſubornatum.

34) *malorum*, conjuratorum.

35) *praedicantem*, palam dicentem, Jug. c. 14. §. 12. „ut *praedicantem* audiveram patrem meum." Plin. Ep. I, 12, 4. „ut ipſum *praedicantem* audiebam." Str. *behaupten hören.*

36) *impoſitam* (*angethan worden.*) Liv. IV, 32. *labem imponere.* Sed Ciceronem hoc non feciſſe, Craſſumque non omni culpa vacaſſe, ex antecedentibus et ſequentib. manifeſtum videtur.

Caput XLIX.

Eodem tempore, Q. Catulus et C. Piſo Caeſarem, cui infeſti erant, conjurationis ſuſpectum reddere ſumma ope nitebantur, eique magnam conflaverant invidiam.

1) *Sed.* Huic particulae hanc fere vim ineſſe judicat D.: „ſed tantum abfuiſſe videtur, ut Cicero hujus calumniae inſimulandus ſit, ut etiam impelli non potuerit, ut Caeſarem redderet ſuſpectum." Sed vid. c. 25. n. 1.

2) *Q. Catulus.* Vid. c. 34. n. 13.

3) C. Calpurnius *Piſo* conſul fuerat cum M. Acilio Glabrione a. u. 686. et poſtea Galliam adminiſtravit. Is cum Catulo poſtea Ciceronem incuſavit, quod Caeſari, hac occaſione oppreſſu opportuno pepercerit. Plut. Caeſ. c. 7. C.

4) *gratia*, auctoritate, quae horum hominum apud omnes magna erat.

5) *pretio*, promiſſa quadam mercede. cf. Jug. 29, 3.

nem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Caeſar falſo nominaretur. Nam uterque cum illo gravis inimicitias exercebant: Piſo oppugnatus in judicio repetundarum, propter cujusdam Transpadani ſupplicium injuſtum: Catulus ex petitione Pontificatus odio incenſus, quod extrema aetate, maxumis honoribus uſus, ab adoleſcentulo Caeſare victus diſceſſerat. Res autem opportuna videbatur; quod privatim egregia liberalitate, pu-

6) *falſo*. Sic noſter de Caeſare amico loquitur. cf. c. 53. extr. Non enim omuis culpae expers fuiſſe videtur, ut colligi poteſt e Sueton. Caeſ. c. 17., qui eum inter ſocios Catilinae a L. Vettio et a Q. Curio nominatum narrat. Cf. Plutarch. Cic. c. 20. et Appiau. B. Civ. II. p. 430. extr.

7) *oppugnatus* ſc. a Caeſare, qui Transpadanorum patronus erat. Transpadani vero, Galliae cisalpinae, in cispadanam et transpadanam diviſae, alteram partem incolebant.

8) *repetundarum*. Vid. c. 18. n. 8. Piſonem defenderat Cicero. Vid. pro Flacc. c. 39.

9) *Pontificatus* int. maxumi; quo qui fungebantur apud Romanos, omnium ſacerdotiorum inſpectionem habebant, curam religionis et caeremoniarum gerebant, leges de ſacris condebant omniaque alia hujus generis ordinabant. Vid. Liv. I, 20. Plutarch. Numa c. 16. Dionyſ. Halicarn. II, 75.

10) *maxum. honorib.* Conſul et Cenſor fuerat. Vid. c. 34. n. 15.

11) *Adoleſcentulo.* Sic Caeſar vocatur h. l. ratione Catuli aetatis, quamquam Caeſar eo tempore circiter triginta quinque annos habebat; natus a. u. 655. Cf. c. 5. n. 5. Vicerat autem Caeſar profuſiſſima largitione, ut Plutarch. Caeſ. c. 7. et Sueton. Caeſ. c. 15. teſtantur.

12) *Res autem* etc. i. e. conjuratio Catilinaria autem ideo Caeſari opportuna et criminatio ejus vero haud abſimilis videbatur, quod etc. Aliter K.

13) *liberalitate.* quod, quum erga privatos homines eximie liberalis fuerat, tum plebi univerſae maxima munera dederat. Nam in aedilitate Caeſar gladiatorum paria trecenta et viginti dederat, ſumtibusque aliis et profuſionibus in ludos, pompas, epulasque factis, omnium priorum ſuperaverat munificentiam. Vid. Plutarch Caeſ. c. 5. extr. et Sueton. c. 10.

blice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi Conſulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipſi ſingulatim circumeundo, atque ementiundo, quae ſe ex Volturcio, aut Allobrogibus audiſſe dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui praeſidii cauſa cum telis erant circum aedem Concordiae, ſeu periculi magnitudine, ſeu animi nobilitate impulſi, quo ſtudium ſuum in rempublicam cla-

14) *grandem pecuniam.* Priusquam ullum magiſtratum eſſet adeptus, ad mille trecenta ($1\frac{1}{2}$ Million) aeris alieni habuiſſe dicitur. Plutarch. c. 5. extr., et cum ex praetura in Hiſpaniam provinciam iturus eſſet, et a creditoribus retineretur, opus ſibi eſſe dixit bis millies et quingenties centenis millibus (*διςχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων*), ut nihil haberet. Appian. de B. Civ. p. 432.

15) Pro *ſingulatim*, quod propius eſt origini (*ſingulus*) alii *ſingillatim*.

16) *ementiundo. Ementiri* (*erlügen*) notare ſimul quamdam in mentiendo jactantiam et confidentiam obſervat Torrentius ad Sueton. Caeſ. c. 66. e. C.

17) *invidiam* (Haſs); maxime ut videtur, apud equites, qui Ciceroni valde favebant.

18) *ut nonnulli equites* etc. Hoc factum eſſe demum poſtea nonis Decembr., cum in *aede Jovis Statoris* de poena conjuratorum conſultaretur, ubi Caeſar, ſupplicio de comprehenſis ſumendo ſeſe in oratione, quae ſequitur c. 51., oppoſuit, eoque ſe valde ſuſpectum reddidit, auctores ſunt Plutarch. in Caeſ. c. 8. et Sueton. c. 14.

19) Vocem *aedem* C. ob unius libri auctoritatem delevit.

20) *nobilitate* legeudum eſſe, non *mobilitate*, ut plurimi Cdd. habent, res ipſa declarat. Nam nulla erat in equitibus, ratione Caeſaris, qui ſemper plebis, non bonorum, (divitum) favorem captabat, mobilitas; et ſi quis mobilitatem h. l. accipere vellet pro animi ardore, ſ. ira, is optime refellitur verbis ſe-

rius esset, egredienti ex Senatu Caesari gladio minitarentur.

Caput L.

Dum haec in Senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, praemia decernuntur: liberti, et pauci ex

---

quentibus: *quo studium suum in rempublicam clarius esset*; quae verba animum tranquillum, non perturbatum significant.

21) *minitarentur*. Hoc in exitu e templo factum esse cum nostro consentit Plutarch. Caes. c. 8. Suetonius autem c. 14. in ipso templo a circumstante equitum manu, Caesarem esse gladiis petitum narrat. Itidem auctores in eo quoque paullum inter se discrepant, quod Plutarch. l. c. dicit, Caesarem esse a Curione toga tectum eoque modo adversariorum manibus ereptum, dum Cicero equites, a Caesaris caede, oculis dehortaretur, Suetonius contra l. c. Caesarem esse a paucis complexu togaque objecta protectum.

Caput L.

Quum periculum in mora esset, ne Lentuli Cethegique clientes, patronos suos e vinculis eriperent, senatu postero die iterum convocato Cicero refert: quid de comprehensis fieri placeat: ubi D. Silanus primus sententiam rogatus supplicium sumendum censet, sed paullo post, Caesaris oratione permotus, de sententia sua desistit.

1) *dum legatis* etc. Volturcius publica fide poena erat solutus (c. 47. init.) praemiaque indici conjurationis constituta (vid. c. 30. extr.) una cum Allobrogum legatis accepit pridie nonas Decembr. (d. 4. Dec.), ut Cic. docet Cat. IV, 3. habita in senatu ipsis nonis Decembr.: „postremo *hesterno die* praemia legatis Allobrogum Titoque Volturcio dedistis amplissima."

2) *comprobato — indicio*, postquam laudati erant ob indicium de conjuratione.

3) *liberti*, quos Lentulus manu miserat, quique ob maximum hoc beneficium, patronis plerumque favebant,

clientibus Lentuli, diversis itineribus, opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti erant. Cethegus autem per nuncios familiam atque libertos suos, electos et exercitatos in audaciam, orabat, ut grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato Senatu refert, *quid*

---

atque ratione patroni (relative) *liberti*, aliter (absolute s. patrono non adjecto) *libertini* quoque vocantur e. C.

4) *clientibus*. Nullus Romae vir dignitate aut divitiis conspicuus erat, qui non haberet magnum clientium numerum, idque magnae laudi ducebatur. C.

5) *divers: itinerib.* alius alio per urbem discurrentes. cf. Cic. in Cat. IV, 8.

6) *multitudinum* pluralis rarior. C. dubius est, utrum ad alios nebulones, an ad Tribunos respiciat.

7) *pretio*, mercede conducti.

8) *erant* C. pro more delevit.

9) *familiam* servos suos, qui proprie familia. C.

10) *electos et*. C., qui nimis in amputando crudelis, ne sinceris quidem partibus parcit, voces *electos* (alii *lectos*) *et*, cum duobus libris abjecit; quoniam Cethego non eligendus, sed quemcunque posset, arripiendus fuerit. Quid vero, si Cethegus in servis suis eligendis, audaciam in primis spectasset eosque in audacia exercuisset? Ceterum *exercere in* s. *ad aliquid* occurrit quoque in Cic. Epist. ad Div. I, 9 *ad haec te exerceas*; et Tacit. Ann. XIV, 2. *exercita ad flagitium*.

11) *grege facto* stipato s. denso agmine. Jug. 58. „non amplius quadraginta, *grege facto*, locum cepere — editiorem. Particulam *ut* (ante haec verba) C. omisit.

12) *ad sese irrump.* Tacit. I, 79. „*ad* Moesiam *irruperant*."

13) *convocato Senatu*. Hoc factum est in templo Jovis Statoris, (vid. Manut. ad Cic. Cat. IV, 1) ipsis nonis Decembrib. (d. 5. Dec.), quo die Cicero quar-

de his fieri placeat, qui in cuſtodiam traditi erant. Sed eos paulo ante frequens Senatus judicaverat: *contra rempublicam feciſſe.* Tum D. Junius Silanus, primus ſententiam rogatus, quod eo tempore Conſul deſignatus erat, de his, qui in cuſtodiis tenebantur, praeterea de L. Caſſio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, ſi depre-

---

tam ſuam Catilinariam de puniendis conjuratis habuit. Priedie nonas (4. Dec.) indicibus praemia decreta ſunt; tertio (5. Dec.) conjurati deprehenſi, ipſis nonis ſupplicio affecti.

14) *erant*, in oratione indirecta pro *eſſent.* Vid c. 27. n. 5.

15) *paulo ante;* in eodem conſeſſu, vel heſterno jam die, quo qui in cuſtodiam dati ſint, a Senatu, damnatos judicat Cic. Cat. IV, 5. Catilina et Mallius diu ante hoſtes judicati erant. Vid. c. 36. init.

16) *contra rempubl. feciſſe*, perduelles eſſe. Romani autem moris fuit, ut civis, ante civium exceptus numero, patriae hoſtis pronunciaretur, quam capitale de eo ſupplicium ſumi potuerit. C.

17) *D.—Silanus.* Decimus ſ., ut alii habent, Decius Silanus ſ. Sillanus conſul erat anno ſequente (691) cum L. Licinio Murena, et Serviliam, Catonis ſororem in matrimonium duxerat.

18) *primus* etc. Primi dicebant ſententias (exeunte anno eo, qui conſulatum ſuum anteivit) deſignati conſules. Appian. de B. Civ. II. p. 430. Inter conſules autem deſignatos is primus erat, qui primus et plurimis ſuffragiis declaratus erat. Comitiis autem nondum habitis (i. e. ineunte anno) conſul quemcunque vellet primum rogare poterat, cui ſingularem eo habuit honorem; quamquam ſuperioribus temporibus illi, qui princeps in ſenatum lectus eſſet, hic honor ſit habitus. At ſecundo et proximis locis, auctoritatis et dignitatis rationem habere debebant conſules. Gellius N. A. XIV, 7. C.

19) *tenebantur.* Hi numero quinque erant, Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, Coeparius; vid. c. 47. extr. reliqui nondum comprehenſi.

20) *L. Caſſio.* de Caſſio et Annio ad c. 17. n. 11. et 15. De Umbreno vid. ad c. 40. n. 1. P. Furius vero ſocius

henſi forent, ſupplicium ſumendum decreverat. isque poſtea, permotus oratione C. Caeſaris, pedibus in ſententiam Tiberii Neronis iturum ſe dixerat;

---

fuit Catilinae e colonia Faeſulana, qui una cum Manlio Chilone in Allobrogum ſollicitatione ſemper verſatus erat. Vid. Cic. Cat. III, 6.

21) *decreverat.* Cic. Cat. IV, 4. init. „Video duas adhuc eſſe ſententias, unam Silani, qui cenſet eos, qui haec delere conati ſunt, morte eſſe multandos etc." Plutarch. Cic. c. 20. „*εἶπε τὴν ἐσχάτην δίκην δοῦναι προσήκειν.*" Sed Silanus poſtea hanc ſententiam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenivit, velut gravius atque ipſe ſenſiſſet exceptam. Sueton. Caeſ. c. 14.

22) *C. Caeſaris;* qui tum Praetor, oratione ſua oſtentans, quanta eos in poſterum a plebe Romana maneret invidia, tantum metum injecit aſperiora (ſupplicium ſ. ultimam poenam) ſuadentibus, ut obtinuiſſet, transductis ad ſe pluribus, — niſi labantem ordinem confirmaſſet M. Catonis oratio. Sueton. l. c. Cf. Plutarch. Cic. c. 21.

23) *pedibus — iturum.* Non omnes ſenatores longa oratione ſententias dicebant, ſed huic vel alteri adſentiebantur. Adſenſus autem tribus maxime modis fiebat: 1) *verbis*, vel paucis vel uno *aſſentio;* 2) *nutu et ſublata manu;* 3) *pedibus*, h. e. ubi ſententiae diverſae erant, diſceſſio fiebat, ut cui quisque ſententiae faveret, illi parti accederet. C.

24) *T. Neronis.* Tiberius Claudius Nero avus imperatoris Romani ejusdem nominis. Is cenſuit comprehenſos in cuſtodiis habendos eſſe, donec Catilina bello profligatus foret: ut tum tota res accuratius cognoſceretur. Vid. Appian. de B. Civ. II. p. 430. extr.

25) *praeſidiis additis* i. e. aucto novis militibus reipublicae exercitu. Verebatur enim Nero aliique ſenatores, ne e conjuratorum ſupplicio tumultus in urbe oriretur; ad quem comprimendum, Cicero non ſatis praeſidii haberet. Similiter M. Marcellus apud Caeſ. de B. C. I, 2. „non oportere, cenſet, ante de ea re ad Senatum referri, quam dilectus tota Italia habiti,

quod de ea re, praeſidiis additis, referundum cenſuerat. Sed Caeſar, ubi ad eum ventum, rogatus ſententiam a Conſule, hujuscemodi verba locutus eſt.

Caput LI.

Omnis homines, Patres conſcripti, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa obſiciunt. neque quisquam

---

et exercitus conſcripti eſſent; *quo praeſidio tuto et libere Senatus, quae vellet, decernere auderet.* Cic. Cat. IV, 7. init. „jaciuntur voces, quae ad aures meas perveniunt eorum, qui vereri videntur, ut habeam *ſatis praeſidii* ad ea, quae vos ſtatueritis hodierno die transigunda."

26) *referundum* int. a conſule.

27) *rogatus ſentent.* Haec verba B. pro gloſſemate habens incluſit. Nam aut priora (*ubi ad eum vent.*), aut haec otioſa cenſet.

28) Voce *hujuscemodi* Salluſt. ſignificat, Caeſarem non iisdem verbis uſum fuiſſe, ſed in hanc ſententiam locutum. Cf. c. 20. n. 5.

Caput LI.

In hac artificioſa et ſatis captioſa oratione, Caeſar Senatores de comprehenſorum ſupplicio dehortatur, terrificans eos, ne invidiam aequalium ſibi conflantes poſteris malum exemplum relinquant. Ipſe cenſet, conjuratorum pecunias publicandas, ipſos in vinculis per municipia retinendos, neve quis de iis poſtea ad Senatum referat, neve cum populo agat.

1) *Omnis.* Vid. c. 1. n. 1.

2) *vacuos.* c, 14. „a culpa vacuos."

5) *providet* i. q. videt ſ. agnoſcit.

4) *obficiunt*, impedimento ſunt, animumque conturbant. Epicharmus, apud Stobaeum Serm. XXII. „*Οὐδεὶς μετ᾽ ὀργῆς οὐδὲν εὖ βουλεύεται.*"

omnium lubidini ſimul et uſui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: ſi lubido poſſidet, ea dominatur, animus nihil valet. Magna mihi copia eſt memorandi, P. C. qui reges atque populi, ira, aut miſericordia impulſi, male conſuluerint: ſed ea malo dicere, quae majores noſtri, contra lubidinem animi, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perſe geſſimus, Rhodiorum civitas, magna

---

5) *lubidini — et uſui* cupiditati ſ. affectibus et ſimul commodis ſuis. Lubido (*Leidenſchaft*) enim commodis noſtris obſtat.

6) *intenderis ing.* i. e. a perturbationibus liberum ſervas. Si attenderis vacuo animo. Cic. de Senect. c. 11. „Intentum enim animum tamquam arcum habebat."

7) *valet* verum videt et recte decernit. Str. *ſo iſt er kraftvoll.*

8) *poſſidet*, occupat, tenet (animum) et regit.

9) *Magna cop. eſt memorandi*, multa exempla regum atque populorum memorare (narrare) poſſem Verb. *eſt* C. omiſit.

10) *majores noſtri.* Hos Caeſar ideo laudat, quamquam exempla ejus non optime quadrant, quod maxima erat majorum apud Romanos auctoritas.

11) *recte — ordine*, juſte, conſilio. C. *ὀρθῶς τε καὶ κατὰ λόγον.*

12) *bello Maced.* int. ſecundo, quod geſtum ab anno 583, L. Aemilius Paullus victoria ad Pydnam finivit 586, unde Macedonia facta eſt provincia Romana. Primum autem Macedonicum bellum geſtum erat cum Philippo, Perſei patre, ſtatim poſt Punicum ſecundum ab. u. 554. De ſecundo adi Juſtin. lib. XXXIII. Flor. II, 12. Eutrop. IV, 7.

13) *Rhod. civitas.* Rhodi, inſulae, quae in mari Aegeo ad Cariae littus meridionale ſita erat, incolae navigationibus et militia navali opulenti atque potentes. De eorum poſt bellum Macedonicum ſecundum conconſiliis cf. Liv. XLIV, 14 et 15, nec non XLV, 3.

atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida atque adverſa nobis fuit: ſed poſtquam, bello confecto, de Rhodiis conſultum eſt, majores noſtri, ne quis divitiarum magis, quam injuriae cauſa bellum inceptum diceret, impunitos dimiſere. Item bellis Punicis omnibus, cum ſaepe Carthaginien-

---

14) *creverat* in bello Romanorum contra Antiochum, Syriae regem, quem Corn. Scipio Aſiaticus ad Magneſiam vicerat, in quo Rhodii Romanis auxilium tulerant et in praemium acceperant Cariam et Lyciam, provincias Antiocho ereptas. Vid. Gellius N. A. VII, 3.

15) *infida atque adverſa.* Vellej. Paterc. I, 9. „Rhodii fidiſſimi antea Romanis, tum (in bello cum Perſeo) dubia fide, ſpeculati fortunam, proniores regis partibus viſi ſunt." Quae dubia fides atque in regem inclinatio, auctore Gellio l. c. in eo tantum conſiſtebat, quod Rhodii, ubi Romanos cum Perſeo reconciliare fruſtra tentaverant, in concione dixerant (non publice decreverant) ſe, niſi Romani a bello deſiſterent, Perſeo eſſe opem laturos.

16) *injuriae* int. Romanis a Rhodiis illatae, quae re vera tam levis erat, ut quisque facile dixiſſet, Romanos ob divitias ſolum, cum Rhodiis bellum incipere.

17) *impunitos.* Rhodiorum legatis, pacem Romae, poſt Perſen victum captumque petentibus, adjuvante inprimis cauſam eorum M. Porcio Catone, ita reſponſum eſt in ſenatu: ut nec hoſtes fierent, nec ſocii permanerent. Tamen iis Lyciam Cariamque eripuerunt. Liv. XLV., 25. et Gell. l. c. Impunitas igitur in eo tantum fuit, ut Rhodiorum civitas non deleretur, ſed ereptis provinciis, quas praemii loco antea acceperant, vires eorum frangerentur.

18) *bell. Punicis omnib.* Vid. c. 10. n. 4.

19) *Carthaginienſes* eſſe ſcribendum, non Carthagin*enſes* docet Priſcian. lib. IV. p. 633. „ſi nomina ſunt tertiae declinationis, abjiciunt *s* genitivi et aſſumunt *enſis*, ut piſtor, piſtori*enſis*; Carthago, *Carthaginis*, Carthagini*enſis*." Cdd. longe plurimi Carthagi*nenſes* tuentur.

ſes et in pace, et per inducias multa nefaria facinora feciſſent, numquam ipſi per occaſionem talia fecere: magis, quid ſe dignum foret, quam quid in illos jure fieri poſſet, quaerebant. Hoc idem vobis providendum eſt, Patres conſcripti, ne plus valeat apud vos P. Lentuli et ceterorum ſcelus, quam veſtra dignitas; neu magis irae, quam famae conſulatis. Nam ſi digna poena pro factis eorum reperitur, novum conſilium adprobo: ſin magnitudo ſceleris omnium ingenia exſuperat; iis utendum cenſeo, quae legibus comparata ſunt. Plerique eorum, qui ante me ſententias dixerunt, compoſite atque magnifice caſum reipubli-

---

20) *per inducias*, cum eſſent induciae. Conjungit h. l. *in pace* et *per inducias*, ut Jug. c. 7. init. „neque *per vim*, neque *inſidiis*." e. C.

21) *nefaria.* quidquid contra *fas* et *aequum* agitur, *nefarium* dicitur, ut fuit perfidia Carthaginienſium. C.

22) *numquam — talia fec.* Quam verum hoc ſit de Romanis, belli cauſas undique arceſſentibus, doceant Juſtin. XXX, 3. et Flor. II, 2. et 8. C.

23) Loco *in illos* C. ex uno libro in *illis*.

24) *vobis*, quod oppoſitum eſt *majoribus*, C. ex uno Cd. delevit.

25) *irae — conſulatis*, quae ira ſuadeat faciatis. Tacit. Ann. II, 26. „quando Romanae ultioni *conſultum* eſſet."

26) *novum conſilium* i. e. novum poenae genus. Nam ultimam poenam Caeſar in omni hac oratione tanquam nimis levem legibusque contrariam diſſuadet.

27) *ingenia exſuperat*, nemo vel ingenioſiſſimus poenam dignam excogitare poteſt.

28) *comparata ſunt*, legib. conveniunt. Negat enim Caeſar legibus convenire, civem Romanum poena mortis affici. Cic. pro Roſc. Am. c. 53. „Ne quid acrius, quam more majorum *comparatum* eſt, publico conſilio factum videretur."

29) *compoſ. atque magnifice.* verbis artificioſis et magnificis.

cae miserati sunt: quae belli saevitia esset, quae victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentium complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent: fana atque domos exspoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per Deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet. Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriae suae parvae videntur: multi eas gravius aequo habuere. Sed aliis alia licentia, Patres conscripti. qui demissi in obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama at-

---

30) *esset* C. omisit et *saevitia* pro casu sexto habens ita explicat: quae per belli civilis saevitiam et finito illo, victoriae jure victis acciderent. Sed hoc duriusculum; nam tum noster melius dixisset: quae belli saevitia victis accidissent. Equidem H. et D. secutus vulgatam retinui.

31) *quo — pertinuit*, quid respexit, quid valuit, cur prolata sunt ista? Cic. pro Domo: „quorsum igitur haec oratio pertinet?" C.

32) *scilicet — accendet.* Caesar auditores fallere et trahere in suas partes conatur. Non enim dubium est, quin oratio, quae rem depingit et ante oculos ponit, plus valeat ad animos accendendos, quam res ipsa, quae nondum adest, sine oratione. Hinc Cicero vel post hanc Caesaris reprehensionem conjurationis atrocitatem et saevitiam depingere non dubitat in oratione Cat. IV, c. 6.

33) *injuriae suae*, quae sibi inferuntur. cf. Jug. 14. „in mea injuria."

34) *habuerunt*, tulerunt.

35) *Sed* (h. l. transitioni inservit) non omnibus eadem facere licet.

36) *demissi* humili loco nati; quibus oppositi sunt magno imperio praediti.

que fortuna eorum pares sunt: qui magno imperio praediti in excelso aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxuma fortuna; minuma licentia est; neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas adpellatur. Equidem ego sic existumo, Patres conscripti, omnis cruciatus minores, quam facinora illorum esse. sed plerique mortales postrema meminere, et in hominibus impiis sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paullo severior fuit. D. Silanum virum fortem atque strenuum, certe scio, quae dixerit, studio reipublicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere. eos mores, eam mo-

---

37) *fortuna — pares sunt* facta eorum aeque obscura sunt ac fortuna; C. et B. *eorum* deleverunt.

38) *eorum — novere.* Plin Paneg. c. 83. „habet hoc primum magna fortuna, quod *nihil tectum, nihil occultum* esse patitur." Cf. Cic. de Off. II, 13, 3 sqq.

39) *studere*, favere s. amicum esse iis, de quibus judicium nobis ferendum est.

40) *quae — iracundia* pro *quod* iracunda dicitur, *id* — superbia appellatur. Ovid. Heroid. III, 7. „quamvis *hoc* quoque tua *culpa* est." Quinctil. Declamat. IV, 2. „*quod* vos constantiam putatis, infirmitas est. cf. c. 7. n. 11. C. *ea* omisit.

41) *Equidem ego.* cf. Jug. c. 10. extr. „equidem ego vobis regnum trado." — Pro *existumo*, quod longe plurimi libri tuentur C. *aestumo*. Vid. c. 8. n. 4.

42) *postrema* (*was zuletzt geschah*) i. e. poenam; priora i. e. scelera obliviscuntur.

43) *eorum* C. delevit.

44) *severior fuit.* Bene adnotat D., haec ideo non quadrare, quod Caesar paullo ante dixerat: omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse.

45) *Silanum.* Vid. c. 50. n. 16.

46) *fortem atque stren.* Cf. Nep. Dat. 7. Epam. 7. Liv. XXVIII, 14.

47) *eos mores* etc. tales sunt hujus viri mores, talis moderatio.

deſtiam viri cognovi. Verum ſententia ejus non mihi crudelis, quid enim in talis homines crudele fieri poteſt? ſed aliena a republica noſtra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te ſubegit, Silane, Conſulem deſignatum, genus poenae novum decernere. De timore ſupervacaneum eſt diſſerere, cum praeſenti diligentia clariſſumi viri Conſulis, tanta praeſidia ſint in armis. De poena poſſumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miſeriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum eſſe; eam cuncta mortalium mala diſſolvere; ultra neque curae neque gaudio locum eſſe. Sed per Deos immortalis, quamobrem in ſententiam non addidiſti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an,

48) *ejus* C. cum aliquot libris omiſit.

49) *aliena*, reipublicae commodis et legibus contraria.

50) *metus* int. a conjuratis. — *injuria*, h. l. eſſe videtur juſtae poenae ignorantia.

51) *genus p. novum*, i. e. ultimum ſupplicium cf. n. 26. quod Caeſar ſimulat ſe juſto lenius habere.

52) *praeſenti.* Ita Putſchius dedit e cod. vet., quam lectionem C. vulgatae *praeſertim* recte praefert, neque tamen recepit. Meliora ſecuti ſunt B. et D. Eſt autem *praeſens* h. l. praeſtans, adjuvans.

53) *poſſumus equidem.* Cic. pro Sent. 37. „equidem audiebamus."

54) *quod res habet.* ita loqui hac de re, ut ſe revera habet; quibus verbis Caeſar reſpicere videtur hominum politorum praeſentiam, ſiquidem ſententia ipſius de morte, a vulgata multum abhorret.

55) *verberibus.* Iſte enim ordo erat in ſummo ſupplicio apud Romanos, ut prius virgis caederentur, qui ſecuri eſſent percutiendi. Vid. Liv. XXVIII, 29. et Jug. c. 69. C.

56) *lex Porcia*, lata a Porcio Laeca (556) vetuit, ne quis civem Romanum vinciret aut verberaret aut necaret. Liv. X, 9. Cic. in Verr. V, 63. Nihilominus tamen perduellio morte vindicabatur etiam poſt legem

quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus animam non eripi, ſed exſilium permitti jubent. An, quia gravius eſt verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? Sin, quia levius eſt; quî convenit in minore negotio legem timere, cum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit? tempus, dies, fortuna, cujus lubido gentibus mode-

Porciam, nec tamen tam conſtanter, quo minus aut hominum potentia aut tempora impunitatem facerent, nec ubique cum verberatione. Vid. Heyne Opuſc. Vol. III. p. 194. Cicero Cat. I, 11. „nunquam in hac urbe ii, qui a republ. defecerunt, civium jura tenuerunt." Idem Catil. IV, 5. „at vero C. Caeſar intelligit, legem Semproniam eſſe de *civibus Romanis* conſtitutam, qui autem reipubl. ſit hoſtis, eum *civem eſſe* nullo modo poſſe." Conjurati autem hoſtes patriae judicati erant ſ. contra rempublicam feciſſe c. 50. ideoque, non amplius cives erant.

57) *aliae leges*, veluti lex Sempronia C. Gracchi: „ne quis de capite civis Rom. injuſſu populi judicaret." lata circa 630. Vid. Erneſti clav.

58) *exſil. permitti.* Paullo infra: „tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus *exſilium damnatis permiſſum.*" Sed C. dedit *in exſilium*, ex aliquot libris, ubi *permitti* idem eſſet, quod *mitti;* credit enim aptius dici *in exſilium permitti* de iis, quibus exſilium poenae nomine irrogatum ſit et aqua et igni interdictum, quam *permitti iis exſilium.*

59) *levius eſt.* Hoc ſophisma eſt. Nam ſermo eſt de verberibus *cum nece conjunctis*, non de verberibus *ſine nece.* Hinc verbera a nece disjungi non poſſunt, nec dici: „ſin quia levius eſt verberari. *eſt* C. omiſit.

60) *in minore negotio.* i. e. in verberatione, — *in majore*, in ultimo ſupplicio. D.

61) *At enim* inſervit objectioni, cui ſtatim reſpondetur. B.

62) *tempus* etc. Reſpondet Caeſar objectioni: tempore etiam optima in pejus mutari et tunc auctores etiam exemplorum reprehendi C. *Tempus* autem et *dies*

ratur. Illis merito accidet, quidquid evenerit: ceterum vos, Patres conſcripti, quid in alios ſtatuatis, conſiderate. Omnia mala exempla ex bonis orta ſunt: ſed ubi imperium ad ignaros, aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedaemonii, devictis Athenienſibus, triginta viros impoſuere,

---

pro tempore et quidem futuro in univerſum dictum videtur. cf. Liv. XXII, 39.

63) *Illis*, i. e. conjuratis, poena dignis, opponuntur *alii*, cives inſontes.

64) *Omnia* etc. i. e. omnes poenae (novae), quae ad alios a ſimili ſcelere deterrendos adhibitae ſunt, a principio bonae ſ. ſalutares reipublicae fuerunt. Sed mox malae ſ. damnoſae factae ſunt. Vellej. Pat. II, 3. Non enim ibi conſiſtunt exempla, unde coeperunt; ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime evagandi ſibi viam faciunt, et ubi ſemel recto deerratum eſt, in praeceps pervenitur, nec quisquam ſibi putat turpe, quod alii fuit fructuoſum." Falſus autem eſt et rem exaggerat Caeſar, dum dicit: *omnia mala exempla*. Melius dixiſſet *multa* mala exempla. Ceterum alii pro *ex bonis* legunt: *ex bonis initiis*, alii: *ex rebus domeſticis* alii denique: *ex rebus bonis*. Receptam probant Gruterus, Waſſius, Cortiusque. Dahlius praefert: *ex bonis initiis*.

65) *ad ignaros*. „In MSS. fere omnibus, quos adhibuimus additur *cives*, quod Rivius, Carrio, Gruterus, auctoritate membranarum ſuarum expunxere." C.

66) *exemplum*. Hanc vocem C. incluſit.

67) *dignis*. *Digni* ſunt, qui poenam meruerunt; *idonei*, qui apti ſunt ad poenam et reipublicae commodo puniuntur. C.

68) *triginta — impoſuere*. Hoc factum eſt poſt victos ad Aegos Potamos Athenienſes, finito bello Peloponneſiaco, ex quo Lacedaemonii victores diſceſſerunt, Ol. 93, 4. ant. C. 405. Triginta autem viri, qui et triginta tyranni (Juſtin. V, 8.) et Triginta ſimpliciter vocantur, et a quibus oppreſſam patriam Thraſybulus liberavit (vid. Nepos Thraſybul., Juſtin. l. c.),

qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo coepere peſſumum quemque et omnibus inviſum indemnatum necare. ea populus laetari et merito dicere fieri. poſt, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos et malos lubidinoſe interficere, ceteros metu terrere. Ita civitas, ſervitute oppreſſa, ſtultae laetitiae gravis poenas dedit. Noſtra memoria, victor Sulla cum Damaſippum et alios hujusmodi, qui malo reipublicae creverant, jugulari juſſit, quis non factum ejus laudabat? homines ſceleſtos, factioſos, qui ſeditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit.

---

octo menſium ſpatio, per quod eorum imperium duravit, tot fere homines interfecerunt, quot vix per decem annos in bello perierant. Xenoph. Hellen. II, 4, 13. ed. Mor. p. 98.

69) *indemnatum*, indicta cauſa et publico judicio non convictum.

70) *ea*. Dicitur laetari *aliquo* et *aliquid*. Jug. c. 14. „laetandum magis, quam dolendum puto *caſum* tuum." Cic. Ep. ad Div. VII, 1. „*utrumque* laetor." C. Sic quoque locum noſtrum citat Priſcian. p. 1180., nec eſt, quare cum libris aliquod pro *ea* legamus *ea re* vel *ea propter*.

71) *lubidinoſe*, ex lubidine, arbitrio. De re cf. Xenoph. Hellen. II, 4, 13.

72) *Noſtra memoria*, noſtris temporibus, ſ. temporibus iis, quorum nos quoque memoriam habemus. (*Bey unſerm Gedenken*).

73) *Damaſippum*, Praetorem urbanum (a. u. 671) et Marii partibus addictum, qui ex voluntate Marii junioris, a Sulla Praeneſte obſeſſi, Romae, Senatu contracto in curia Hoſtilia, omnem, quae in urbe erat nobilitatem, Sullae partibus faventem trucidaverat. Vid. Liv. Epit. 86. 5. Cf. Vellej. Paterc. II, 26. Valer. Max. IX, 2.

74) *malo reip.* (Thucyd. II, 13 et 17 ἐπὶ κακῷ τῆς πόλεως) qui in exitium reip. nimis potentes facti erant. K.

nam uti quisque domum, aut villam, poſtremo aut vas, aut veſtimentum alicujus concupiverat, dabat operam, uti is in proſcriptorum numero eſſet. Ita quibus Damaſippi mors laetitiae fuerat, poſt paulo ipſi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sulla omnis ſuos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; ſed in magna civitate multa et varia ingenia ſunt. Poteſt alio tempore, alio Conſule, cui item exercitus in manu ſit, falſum aliquid pro vero credi. ubi hoc exemplo, per Senati decretum, Conſul gladium eduxerit, quis illi finem ſtatuet, aut quis moderabitur? Majores noſtri, Patres conſcripti, neque conſilii, neque audaciae umquam eguere: neque ſuperbia obſta-

---

75) *aut vas* Cf. c. 11. n. 18. Vaſorum tantus Romae luxus et cupido, quantus villarum aliorumque luxuriae inſtrumentorum. C.
76) *uti is.* Sic vulgo. C. pronomen *is* ante *eſſet* poſuit. Alii *is* cum aliquot libris deleverunt.
77) *trahebantur*, ſupple ad ſupplicium. Cic. Ep. ad Div. VII, 32. ,,trahantur per me omnes rei."
78) *in manu ſit.* C. verbum *ſit* omiſit et pro *in manu* ſcripſit *in manus*, quoniam Salluſt. ſubinde accuſativo utitur pro ablat. Cf. c. 9. n. 4.
79) *Senati decret.* Vid. c. 29. n. 6. Hoc decretum inprimis eſt, quod Caeſar antiquatum cupit.
80) *quis illi.* Pronomen *illi*, quod deeſt apud C., e Grut. et H. revocavi. Illo omiſſo ſupplent *caedibus ejus.*
81) *Majores noſtri.* Sententia eſt: Majores noſtri imitati quidem ſunt aliquamdiu exemplum Graecorum in puniendis condemnatis, ſed ſequenti tempore, eorum fuit quae prudentia, ob abuſum inde timendum, id rurſus bene reliquerunt.
82) *audaciae — eguere.* Jug. c. 57. ab init. ,,nullius idoneae rei egens." c. 110. ,,eguiſſe aliquando amicitiae tuae.' et ita fere ſemper cum caſu ſecundo; et bis tantum cum ablat. c. 1. n. 15. Jug. 14. ,,*quibus* non egerem." *Audaciam* autem in bonam partem dixit, ut c. 9. pro virtute bellica.

bat, quo minus aliena inſtituta, ſi modo proba erant, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, inſignia magiſtratuum ab Tuſcis pleraque ſumſerunt: poſtremo quod ubique apud ſocios, aut hoſtis idoneum videbatur, cum ſummo ſtudio domi exſequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Graeciae morem imitati, verberibus animadvertebant in civis, de condemnatis ſummum ſupplicium ſumebant. Poſtquam

---

83) *erant* C. et B. omiſerunt.
84) *Samnitib.* Samnites totius Italiae bellicoſiſſimos fuiſſe teſtatur Florus I, 16. iidemque cum Romanis bella diuturna geſſerunt. Liv. VIII. et IX.
85) *Tuſcis*, Etruriae incolis, qui et Tyrrheni vocabantur; quorumque opes ante Romanum imperium terra marique floruere. Flor. I, 5. ,,Inde faſces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetexta; inde quod aureo curru, quatuor equis triumphatur; togae pictae, tunicaeque palmatae, omnia denique decora et inſignia, quibus imperii dignitas eminet."
86) *cum ſummo ſtudio.* Infra c. 59. extr. ,,*cum* magna gloria." Tacit. Ann. XI, 12. ,,magna *cum* cura." item Liv. XXV, 22. *cum* cura.
87) *bonis* int. inſtitutis; et quoniam imitari conſtanter conſtruitur cum accuſat., ad imitari intelligendum erit *bona.*
88) *illo tempore*, quo multa a vicinis ſociisque populis ſumſere Romani.
89) *Graeciae morem.* ,,Graeci, a quibus hunc morem petitum ait Caeſar, qui intelligendi ſint, non ſtatim aſſequi licet; nam nec a communi aliquo jure Graecorum, nec ab Athenienſibus haec petita eſſe conſtat; videtur itaque Graecia magna, in inferiori Italia intelligi, in cujus civitatibus hunc morem viguiſſe, ex eodem hoc (Salluſtii) loco diſcere forte licet." Heyne V. C. Opuſc. Vol. III. p. 192.
90) *verberib. animadverteb.* int. in levioribus criminibus. ,,Nam non de ſupplicio *ita* ſumto, ut virgarum verbera antea infligerentur, loquitur Caeſar, ſed de utraque re ſeparatim." Heyne l. c.
91) *de condemnatis*, int. capitis

respublica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, aliaque hujuscemodi fieri coepere. tum lex Porcia aliaeque paratae, quibus legibus exſilium damnatis permiſſum. Hanc ego cauſam, Patres conſcripti, quo minus novum conſilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque ſapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur, eos dimitti et augeri exercitum Catilinae? minume; ſed ita cenſeo: publicandas eorum pecunias, ipſos in vinculis habendos per municipia, quae ma-

---

92) *adolevit*, viribus aucta eſt. Jug. c. 18. „Sed res Perſarum brevi *adolevit*."

93) Pro *circumveniri* alii *circumvenire*, quod C. retinuit, ſupplens: *quidam ex illis factionibus*, ita ut *innocentes* ſit caſus quartus. At paſſivum eſt ad ſequens *fieri* accomodatius.

94) *aliaque*. Al. *alia*, omiſſo *que*, quod C. praetulit, cum noſter copulam omittere ſoleat.

95) *Hanc — cauſam* i. e. legem Porciam aliasque; in quibus erat Sempronia Tib. Gracchi quae, quamquam Senatus decreto ſolutae erant, tamen hac occaſione a Caeſare defenduntur. Cf. n. 56.

96) *novum conſil.*, ſupplicium legibus dictis contrarium.

97) *in illis*, majoribus noſtris.

98) *ex parv. opibus*. Cic. pro Roſc. Amer. c. 18. „majores noſtri ex minima, tenuiſſimaque republica maximam florentiſſimamque nobis reliquerunt." cf. c. 3. extr.

99) *ea bene parta* i. e. eam rempl. bene a majoribus noſtris partam. Loco *ea* C. F. Heinrichius conjicit *haec* (τάδε, ταῦτα).

100) *publicand. — pecunias*, omnia eorum bona publico aerario adjudicanda.

101) *per municipia*. Munitioribus Italiae oppidis ſolebant Romani captivos honoratiores cuſtodire, quae etiam *libera cuſtodia* dicta eſt. C.

xume opibus valent: neu quis de iis poſtea ad Senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, Senatum exiſtumare, eum contra rempublicam et ſalutem omnium facturum.

Caput LII.

Poſtquam Caeſar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie adſentiebantur: at M. Porcius Cato rogatus ſententiam, hujuscemodi orationem habuit.

---

102) *neu quis* etc. Cic. Cat. IV, 4. „ne quis eorum poenam, quos condemnat, aut per Senatum aut per populum levare poſſit."

Caput LII.

Catonis Uticenſis oratio, Caeſaris lenitatem in primis ſuſpectam reddens, Senatorum ſocordiam caſtigat, ubi vita et libertas in maximo periculo verſentur. Ipſe cenſet: de confeſſis, ſicuti de manifeſtis rerum capitalium, more majorum ſupplicium ſumendum.

1) *verbo*, dicentes: *aſſentio*.

2) *alius alii*. alius Caeſari, alius Silano vel Neroni. Vid. c. 50. extr.

3) *M. P. Cato*, a fato ſuo *Uticenſis* cognominatus, et Stoicae diſciplinae addictiſſimus; de quo Vellej. Paterc. II, 35. „Hic trib. pleb. deſignatus (cf. Cic. pr. Sext. c. 28.) et adhuc admodum adoleſcens, virtuti ſimillimus et per omnia diis quam hominibus propior, paene inter ultimos interrogatus ſententiam, tanta vi animi atque ingenii invectus eſt in conjurationem, ut ardore oris, orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilii ſuſpectam fecerit — ita conſulis virtutem amplificavit, ut univerſus Senatus in ejus ſententiam tranſiret, animadvertendumque in eos, quos praediximus, cenſeret, majorque pars ordinis ejus Catonem proſequerentur domum." Praeterea Plutarch. in vita Caton. minoris c. 23. nos docet, hujus orationis, quam Cicero a tachygraphis excipiendam curaverat exemplum adfuiſſe, in eoque

Longe mihi alia mens eſt, Patres conſcripti, cum res atque pericula noſtra conſidero, et cum ſententias nonnullorum mecum ipſe reputo. Illi mihi diſeruiſſe videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focis ſuis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam, quid in illos ſtatuamus, conſultare. Nam cetera tum perſequare ubi facta ſunt; hoc, niſi provideris, ne accidat: ubi evenit, fruſtra judicia implores. capta urbe, nihil ſit reliqui victis. Sed, per deos immortalis, vos ego adpello, qui ſemper domos, villas, signa, tabulas veſtras pluris, quam rempublicam, feciſtis: ſi iſta, cujuscumque modi ſint, quae amplexamini, retinere,

---

cum Vellejo conſentit, quod Cato multam ſuſpicionem in Caeſarem moverit et Ciceronis vigilantiam multis extulerit laudibus, quod utrumque noſter ſilentio praeteriit.

4) *Longe mihi* etc. Demoſth. Or. Olynth I, 1. „*Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, — ὅταν τε εἰς τὰ πράγματα ἀποβλέψω καὶ ὅταν εἰς τοὺς λόγους οὓς ἀκούω.*"

5) *Illi* h. l. ad propinquius (nonnulli) refertur (vid. C. ad Cic. Epiſt. ad Div. VII, 11.), et: *res autem monet*, poſitum eſt loco: *illa autem monet.*

6) *aris atq. focis*, publicis atque privatis aedificiis, nam ſicut *patria* h. l. de omnibus civibus accipitur, ita *parentes* de ſingulis intelliguntur.

7) *cavere — magis.* i. e. ſecuritati noſtrae potius conſulere, quam poenae; aliis verbis: e medio potius tollere eos, quam de genere poenae diu conſultare; ita ut ſupplicium de iis ſumtum non tanquam poena eorum, ſed reipublicae una ſalus conſideretur. Vocem *magis*, quam C. delevit, cum aliis revocavi.

8) *in illos.* C. e duobus libris in *illis*, ut ſupra c. 11. n. 15. „crudelia facinora *in civibus*."

9) *Nam cetera* etc. alia facinora tum puniri poſſunt, quum commiſſa ſunt.

10) *judicia*, quae haec malefacta puniant.

11) *victis* etiam jus et judicia eripiuntur.

12) *ſigna, tabulas*, cf. c. 11. extr.

13) *amplexamini*, praecipuo amore diligitis. — loco antecedentis *ſint*, libri aliq. *ſunt* habent.

ſi voluptatibus veſtris otium praebere voltis; expergiſcimini aliquando et capeſſite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de ſociorum injuriis; libertas et anima noſtra in dubio eſt. Saepenumero, Patres conſripti, multa verba in hoc ordine feci: ſaepe de luxuria atque avaritia noſtrorum civium queſtus ſum; multosque mortalis ea cauſa advorſos habeo. qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam feciſſem, haud facile alterius lubidini malefacta condonabam. Sed, ea tametſi vos parvi pendebatis; tamen respublica firma erat, opulentia

---

14) *capeſſite remp.*, curam reipublicae ſuſcipite, eamque defendite. cf. c. 16. n. s.

15) *de vectigalib.* etc. int. quibus in rebus ſocordes eſſe ſoletis, quamquam in ſociis atque vectigalibus reipublicae robur ſitum eſt. Jug. c. 31. ibique Mummius: „non peculatus aerarii factus eſt; neque per vim ſociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia ſunt, tamen conſuetudine jam pro nihilo habentur."

16) *in dubio*, in periculo. Terent. Adelph. III, 2, 41. „Tua fama et gnatae vita *in dubium* veniet."

17) *in hoc ordine*, in ſenatu.

18) *luxuria atque avaritia.* Vid. c. 5. extr.

19) *ea cauſa.* Jug. c 80. ea gratia.

20) *advorſos*, adverſarios. Cic. Epp. ad Attic. II, 1. „Ille (Cato) optimo animo utens et ſumma fide, nocet interdum reipublicae. Dicit enim tanquam in Platonis *πολιτείᾳ*, non tanquam in Romuli faece ſententiam."

21) *mihi atque animo meo* eſt ἓν διὰ δυοῖν pro *meo animo*; et quoniam animus cupiditatum ſedes eſt h. l. pro *ſtultitia* ſ. *lubidine* commode accipi poteſt. *Gratiam facere* i. q. *veniam dare.*

22) *firma erat.* Verbum *erat* (al. *fuit*) C. delevit contr. libros, conſtruens: respublica firma tolerabat negligentiam opulentia, i. e. per opulentiam, ſ. internas reipublicae opes, ut infr. c. 53. „respubl. *magnitudine ſua*, imperatorum — vitia ſuſtentabat." Si retines *erat*, *opulentia* pro nominat. aut ablativo accipi poteſt.

negligentiam tolerabat. Nunc vero non id agitur, bonis an malis moribus vivamus; neque quantum, aut quam magnificum imperium populi Romani: ſed cujus haec cumque modi videntur, noſtra, an nobiscum una, hoſtium futura ſint. Hic mihi quisquam manſuetudinem et miſericordiam nominat. jampridem equidem nos vera rerum vocabula amiſimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur. eo respublica in extremo ſita eſt. Sint ſane, quoniam ita ſe mores habent, liberales ex ſociorum fortunis, ſint miſericordes in furibus aerarii: ne illis ſanguinem noſtrum largiantur; et, dum paucis ſceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant. Bene et compoſite C. Caeſar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disſeruit; falſa, credo, exiſtumans, quae de inferis memorantur: diverſo itinere malos a bonis loca tetra, inculta, foeda at-

23) *non id agitur* etc., nunc vero neque de firmitate reipublicae neque de moribus ſermo eſt, ſed quocunque modo haec comparata ſint, quaeſtio eſt, utrum in noſtra ſint poteſtate an hoſtium. — Verb. *videntur* C. tanquam ſpurium delevit.

24) *Hic* (i. e. hac in re) C. explicat: *rebus ſic comparatis*. verbum *nominat* autem ideo, credo, poſuit, ut ſignificet, *nomine* tantum, non *re* eſſe miſericordiam, quam Caeſar protulerit, ut ſequentia declarant. Nam Caeſarem h. l. a Catone maxime reſpici non dubium eſt.

25) *amiſimus* i. e. ſed haec manſuetudo non magis hoc nomine digna eſt, quam quod nunc *largitio* et *fortitudo* vocatur.

26) *Eſt* poſt *ſita* C. omiſit.

27) *Sint ſane*, intell. iſti, qui h. l. de miſericordia loquuntur.

28) *in furibus*, pro *in fures*. Cf. ſupra c. 9. n. 4.

29) *perdit. eant.* Jug. 31. extr. „Ne ignoſcendo malis, bonos *perditum eatis*."

30) *Bene et compoſite* etc. Quaſi nunc demum de Caeſare loqui inciperet.

31) *diverſo itinere* loco ſedibusque diverſis. Cic. Tuſc. I, 30. „Ita enim cenſebat itaque diſſeruit (Socrates)

que formidoloſa habere. Itaque cenſuit pecunias eorum publicandas, ipſos per municipia in cuſtodiis habendos; videlicet timens, ne, ſi Romae ſint, aut a popularibus conjurationis, aut a multitudine conducta per vim eripiantur. Quaſi vero mali atque ſceleſti tantummodo in urbe, et non per totam Italiam ſint; aut non ibi plus poſſit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc conſilium eſt, ſi periculum ex illis metuit. ſin in tanto omnium metu ſolus non timet; eo magis refert me mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo ceterisque ſtatuetis, pro certo habetote, vos ſimul de exercitu Catilinae et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto il-

duas eſſe vias, duplicesque curſus animorum e corpore excedentium. Nam, qui ſe humanis vitiis contaminaviſſent et ſe totos libidinibus dediſſent, — *his devium* quoddam iter eſſe, ſecluſum a concilio deorum: qui autem ſe integros caſtosque ſervaviſſent — eſſentque in corporibus humanis vitam imitati deorum, his ad illos, a quibus eſſent profecti, reditum facilem patere."

32) *habere* i. e. habitare, incolere. Vid. c. 6. n. 2.

33) *in cuſtodiis* B. e. Cod. vetuſtiſſimo, probante C. omiſit.

34) Vocem *timens* B. omiſit.

35) *per totam Ital.* Vid. c. 37.

36) *ſi — metuit*, ſi conjuratos timet ideoque eos ab urbe removendos cenſet.

37) *ſin — non timet.* „Sic oblique ſuſpectum facit Caeſarem ſocietate conſilii, certe terret." B.

38) *me mihi.* Pronomen *me* C. et B. omiſerunt. Sed bene adnotat D., Catonem ſe ipſum Caeſari, qui ſolus non timebat, hac voce opponere.

39) *Quare cum.* Alii libri: quare *quod*, alii: quare *quaecunque*; alius pro *quare cum*, quod quare proxime anteceſſit legend. eſſe conjicit: *Quae.* Alii pro *ſtatuetis*, legunt *ſtatueritis*.

lis animus infirmior erit. ſi paullulum modo vos languere viderint, jam omnes feroces aderunt. Nolite exiſtumare, majores noſtros armis rempublicam ex parva magnam feciſſe. Si ita res eſſet, multo pulcherrumam eam nos haberemus: quippe ſociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum major nobis copia, quam illis. Sed alia fuere, quae illos magnos fecere; quae nobis nulla ſunt: domi induſtria, foris juſtum imperium, animus in conſulendo liber, neque delicto, neque lubidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egeſtatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, ſequimur inertiam; inter bonos et malos diſcrimen nullum; omnia virtutis praemia ambitio poſſidet. Neque mirum; ubi vos ſeparatim ſibi quisque conſilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae, aut gratiae ſervitis; eo ſit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego haec omitto. Conjuravere

40) *domi*, Romae ſ. in imperii ſede, *foris* in provinciis gentibusque devictis.

41) *liber*, ab ira, odio, gratia, ſtudio.

42) *neque — obnoxius*. Stromb. „*keinem Verbrechen, keiner Gierde unterthan*."

43) *virtutis praemia* etc. magiſtratus et imperia, quae praemia eſſe deberent bonorum ſ. virtutis, in manibus ſunt ambitioſorum. Cic. ad Div. III, 13. „Inſignia virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt."

44) *ſeparatim ſibi quisque* etc. proprio tantum commodo conſulitis, de republica prorſus ſecuri.

45) *hic*, in Senatu,

46) *pecuniae* etc. pecuniam aut gratiam veſtris ſuffragiis captatis. Cf. Jug. c. 41 ſq.

47) *vacuam* intell. a defenſoribus adeoque opportunam hoſtibus conjuratis. C. Jug. l. c. „ita omnia in duas partes abſtracta ſunt: respublica, quae media fuerat dilacerata."

48) *conjuravere* h. l. i. q. jure jurando conſtituere — *incendere*, i. e. *incenſionem*. Horat. Od. I, 15, 7. „Graecia conjurata *rumpere* nuptias tuas."

nobiliſſumi cives patriam incendere: Gallorum gentem infeſtiſſumam nomini Romano ad bellum arceſſunt: dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt: Vos cunctamini etiam nunc, quid intra moenia deprehenſis hoſtibus faciatis? Miſereamini cenſeo: deliquere homines adoleſcentuli per ambitionem; atque etiam armatos dimittatis. Nae iſta vobis manſuetudo et miſericordia, ſi illi arma ceperint, in mi-

49) *Gallor. gens*, Allobroges. Vid. c. 40. n. 2.

50) *nomini*, ut ſaepius in Liv. occurrit *omne latinum nomen*; proprie: omnibus iis, qui Romani nominantur.

51) *ſupra caput*, jam prope adeſt. Paullo infra: „Catilina cum exercitu in faucibus urget.." Cic. pro Muren. c. 37. „in capite atque in cervicibus." Liv. III, 17. „Quum hoſtes *ſupra caput* ſint." C. male delevit *cum exercitu*.

52) *deprehenſ. hoſtib.* Dubium eſt, qui caſus ſit *deprehenſis hoſtibus*, utrum dativ. an ablat. abſolut. Senſus tamen eodem redit. Legi quoque poſſit: *de prehenſis*, vel *de deprehenſis*. C. *apprehenſis*. Cic. de N. D. III, 20. „quid facies nubibus?" *was willſt du mit den Wolken machen?*

53) *Miſereamini*, ironice. Alii *miſeremini*, ſed melior eſt conjunctiv. ob ſeq. *dimittatis*. *Ihr möchtet euch gern erbarmen.*

54) *deliquere* ſcil. vos dicitis. Tellerus ſic interpungit: „Miſereamini cenſeo: deliquere homines adoleſcentuli per ambitionem. Atque etiam armatos dimittatis."

55) *hom. adoleſcentuli*, quibus indulgeri ſolet.

56) *Nae*. Sic H. „Eſt autem *nae* diphthongo ſcribendum, idemque omnino eſt, quod Latinis *profecto* et illa jurandi particula *mediusfidius*. Riv. Cic. Cat. II, 3. extr. „*nae* illi vehementer errant, ſi illam meam priſtinam lenitatem perpetuam ſperant futuram." Jug. c. 85. „*nae* illi falſi ſunt." (ubi tamen et H. *ne* habet.) Sed hanc ſcripturam per *ae* novam eſſe, etiamſi a Graecorum *ναί* deducatur, pluribus oſtendit Malaſpina ad Cic. Epiſt. ad Attic. VI, 1. ideoque C. aliique ſcripſerunt *ne*.

ſeriam vertet. Scilicet res aſpera eſt; sed vos non timetis eam. Immo vero maxume; ſed inertia et mollitia animi, alius alium exſpectantes cunctamini, videlicet diis immortalibus confiſi, qui hanc rempublicam in maxumis ſaepe periculis ſervavere. Non votis, neque ſuppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo proſpera omnia cedunt: ubi ſecordiae te atque ignaviae tradideris, nequidquam deos implores; irati infeſtique ſunt. Apud majores noſtros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium ſuum, quod is contra imperium in hoſtem pugnaverat, necari juſſit. atque ille egregius adoleſcens immoderatae fortitudinis morte poenas

---

57) *vertet* intell. *ſe.* Alii *vertatur, convertatur, vertat, convertat*, ob *ne*, quod ſenſu prohibitivo acceperunt.

58) *res aſpera.* Vulgo ſc. res *ipſa* aſp. eſt, quod *ipſa* C. delevit. Fortaſſe pro *ipſa* legendum *iſta.* Senſus: Vos (ſimulate) dicitis: res haec quidem periculoſa eſt, ſed nos non timemus eam.

59) *videlicet* C. delevit.

60) *proſpera.* Sic C. e Cdd. Vulgo *proſpere* c. 20. n. 7. ,,nequidquam *opportuna* res cecidiſſet" c. 26. n. 13. *aſpera foedaque* evenerant. Sed occurrit quoque adverb. ibid. c. 26. inſidiae *proſpere* ceſſere. Cf. c. 9. n. 4. extr.

61) *T. Manl. Torquat.* Cic. de Off. III, 31, 11. ,,Hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit (592 a. u) Liv. VII, 10. cujus tertio conſulatu (413 a. u.) *Latini* ad Veſerim (fluv. Campaniae) fuſi et fugati. Magnus vir imprimis, et qui perindulgens in patrem, item acerbe ſeverus in filium." Cf. Liv. VIII, 7. Flor. I, 14. qui tamen omnes hoc factum eſſe dicunt non *Gallico* bello, ſed *Latino;* uno tantum Dionyſio Halic. VIII, 79. cum Salluſtio conſentiente. Sed uterque fortaſſe confudit illud factum Torquati, ubi in Gallico bello torquem detraxit Gallo et cognomen ſuum invenit cum hoc, ubi filium necavit in bello Latino.

dedit; Vos de crudeliſſumis parricidis quid ſtatuatis, cunctamini? Videlicet vita cetera eorum huic ſceleri obſtat. Verum parcite dignitati Lentuli ſi ipſe pudicitiae, ſi famae ſuae, ſi diis aut hominibus umquam ullis pepercit: ignoſcite Cethegi adoleſcentiae; niſi iterum jam patriae bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Coepario loquar? quibus ſi quidquam umquam penſi fuiſſet, non ea conſilia de republica habuiſſent. Poſtremo, Patres conſcripti, ſi mehercule peccato locus eſſet, facile paterer, vos ipſa re corrigi, quoniam verba contemnitis; ſed undique circumventi ſumus. Catilina cum exercitu in faucibus urget; alii intra moenia, in ſinu urbis ſunt

---

62) *dignitati* i. q. Lentulo ob dignitatem praetoriam. Vid. c. 17. n. 9, et c. 46.

63) *iterum jam.* Sic vulgo et bene; ſed C. *jam* omiſit.

64) *bellum fecit.* ,,Videtur jam fuisse ſocius conjurationis primae, de qua vide supra c. 18" B. Alii autem haec ad bellum inter Sullam et Marium, cujus Cethegus particeps erat, referunt. Cf. de eo c. 17. n. 12.

65) *quidquam — penſi fuiſſet.* Si quidquam unquam deliberatione dignum habuiſſent, neque omnia ſibi permiſſa eſſe putaſſent. Vid. de hac formula c. 25. n. 7.

66) *peccato locus eſſet.* Si peccare (errare) hac in re liceret, neque peccatum ſtatim ſequeretur exitium.

67) *contemnitis* i. e. contemnere ſoletis (mea verba). Supra haud longe ab initio orationis hujus: ,,saepenumero, Patres C., multa verba in hoc ordine feci — quae vos *parvi pendebatis.*"

68) *in faucibus urget* i. e. ante portas eſt; fauces enim ob ſimilitudinem vocantur portae ſ. aditus regionum atque urbium. Supra: ,,dux hoſtium supra caput eſt." Cic. Cat. I, 2. ,,Caſtra ſunt in Italia contra remp. *in Etruriae faucibus* collocata." Ubi Muretus: fauces autem dicit ingreſſum, *aditum*" C. autem e nonnullis libr. praepoſitionem *in* delevit, *faucibus urgere* accipiens pro *faucibus prehendere* (*bey der Gurgel faſſen, die Kehle zuſchnüren*) i. q. capiti imminere. Sed bene Dahl. cum Tellero praepoſitionem retinendam cenſet.

69) *in ſinu urbis* i. q. in Senatu ipſo, ut ſequentia docent.

hostes: neque parari, neque consuli quidquam occulte potest. quo magis properandum. Quare ita ego censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium respublica in maxuma pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem, incendia, alia foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

CAPUT LIII.

Postquam Cato adsedit: Consulares omnes itemque Senatus magna pars sententiam ejus laudant,

70) *manifestis rer. cap.*, qui deprehensi sunt in delicto capitali Jug. c. 55. „manifestus *tanti sceleris.*" (i. q. manifestus *reus*) Plaut. Trucul. A. I. Sc. 11. v. 13. „manifestam *mendacii* — te teneo." Cf. c. 7. n. 14.

71) *more majorum.* (cum emphasi addit Cato) i. e. non jure solum, sed etiam eo modo, qui propter utilitatem reip. dudum observatus est. C. Cic. Cat. I, 11. „nunquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, *civium* jura tenuerunt.

CAPUT LIII.

Catonis oratio, cui omnes consulares Senatusque maxima pars assenserunt, quaque revera Catilinae conjuratio compressa dici potest, Sallustium facit in eam sententiam digredientem, ut maximas res semper paucorum insignium virorum virtute patratas esse dicat; qui pauci, hoc tempore, duo soli fuerint Cato et — Caesar; quo tamen in judicio, a partium studio noster non alienus fuisse censendus est. Non enim Cato et Caesar, sed Cato et Cicero h. l. nominandi erant. cf. c. 43. (*optumo* consuli). Quod autem ad ipsam hanc digressionem attinet, tantum abest, ut eam cum D. et K. reprehendendam putem, ut etiam in eadem verum Sallustii omnisque boni historici genium agnoscam.

1) *adsedit* Vid. ad c. 51. n. 18.

virtutem animi ad coelum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus habetur: Senati decretum fit, sicuti ille censuerat.

Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset. Sciebam, saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram, parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse: facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi

2) *animi.* Hoc vocabulum noster aliique nomini virtutis addere solent. C. 3. „Quodsi regum — *animi* virtus etc." De Catonis virtute cf. c. 52. n. 3.

3) *ad coel. ferunt.* major Senatus pars domum eum deduxit. Vid. Vellej. Paterc. II, 35.

4) *sicuti ille cens.* Auctore Plutarcho in vita Cicer. c. 21, Cato publicanda quoque comprehensorum bona censuerat, cui sententiae cum Caesar repugnasset, Cicero eam remisit.

5) *sustinuisset*, tanta praeclara facta effecisset.

6) *fortunae viol. toler.* i. e. superavisse in domesticis seditionibus et bellis externis.

7) *ante — fuisse* i. e. superasse int. et tamen postea Romanos superiores discessisse. *Fuisse* igitur sensu accuratissimo accipio, i. e. *fuisse* aliquando, sed non amplius *esse*. Nam, nisi ita hunc locum ceperis, omnino huc non convenit, et magnae est offensioni, ut recte monuit Dahlius, qui tamen a vero ejus sensu aberrasse videtur. Hanc ob difficultatem nonnulli ante verba: *facundia Graecos* etc. intelligere voluerunt *etsi scio*; at ne sic quidem reliquis accommodatus est; quamquam me non fugit, Caesarem (B. G. V, 54.) dicere: „Galli virtute belli omnibus gentibus praeferuntur." et Ciceronem (de Haruspic. respons. c. 9.) ita judicare: „quam volumus licet, P. C., nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec *robore* Gallos, nec calliditate Poenos, nec *artibus* Graecos superavimus."

multa agitanti conſtabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patraviſſe; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas ſuperaret. Sed poſtquam luxu atque deſidia civitas corrupta eſt; rurſus respublica magnitudine ſua imperatorum atque magiſtratuum vitia ſuſtentabat; ac, veluti effeta parente, multis tempeſtatibus haud ſane quisquam Romae virtute magnus fuit. Sed memoria mea, ingenti virtute, divorſis moribus, fuere

8) *multa agitanti* i. e. saepius, hac de re cogitanti mihi certum erat.

9) *divitias paupertas* i. e. ut pauperes Romani parvisque opibus inſtructi hoſtes ſuos opulentiſſimos ſuperarent.

10) *Sed poſtquam luxu*, etc. Cf. c. 10. De conjunctione ſeq. *ſed* (qua ſaepiſſime noſter utitur), vid. c. 25. n. 1. Senſus totius: poſt Carthaginem deletam usque ad Catonem et Caeſarem haud ſane quisquam Romae virtute inſignis fuit. Quo in judicio noſter, alias veritatis amantiſſimus injuſtus eſt in Ciceronis merita judicandus, Caeſaris ſtudio odioque Ciceronis. Nam Catonem cum Cicerone h. l. nominandum fuiſſe, non Caeſarem, quisque facile concedet.

11) *veluti effeta par.* i. e. veluti Roma (mater) exhauſta fuiſſet viribus nec ullos amplius magnos viros procreare potuisset. Vulgo legitur *parentum* ſ. *parentium*, quod C. explicat: „ac sicuti effeta parens (mater) inter parentes ſeſe habere ſolet, ut nullos amplius liberos proferat, ſic Roma ſeſe habuit, ubi multis tempeſtatibus nemo virtute magnus fuit." Sed lectio *parente*, quam nonnulli Cdd. et edit. Aſcenſi 1509 tuentur, et *veluti* pro *ſicuti*, ſine dubio praeferenda cum B. — Alia explicatio, quam K. propoſuit, ipſi duriuscula videtur. „*Effeta* porro (uti *fetus* a *feo*) rectius ſcribitur quam *effoeta*." B.

12) *memoria mea*, meo aevo. cf. Cat. c. 53. n. 12.

13) *divorſ. moribus.* C., ob morem Salluſtii, contra libros: *diverſi moribus*, ut Jug. 78. init. „*impares*, magnitudine, *pari* natura."

viri duo, M. Cato et C. Caeſar: quos, quoniam res obtulerat, ſilentio praeterire non fuit conſilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio poſſem, aperirem.

Caput LIV.

Igitur his genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere: magnitudo animi par, item gloria; ſed alia alii. Caeſar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitae Cato. Ille manſuetu-

14) *Caeſar* cf. argument. hujus capitis et n. 10.

15) *praeterire*. Vid. c. 4. n. 3.

16) *aperirem*, deſcriberem, depingerem.

Caput LIV.

Comparatio Catonis atque Caeſaris.

1) *igitur* epanalepſi (repetitioni) et initiis narrationum ſervit ſaepeque per *inquam* redditur. C. Stromb. *Alſo, an Geburt* etc.

2) *eloquentia.* Caeſar genus a Julo Aeneae filio derivabat (Sueton. in vita ej. c. 6.) Catonis familiae princeps Cato Cenſorius erat (Gellius XIII, 18.). Caeſar (natus a. u. 655.) eo tempore circiter annos 35, Cat. (nat. a. u. 658) 32 habebat. De Caeſaris *eloquentia* vid. Sueton. vita Caeſ. c. 55. et Cic. Brut. c. 72. et 75., de Catonis, Cic. Brut. c. 31., ubi haec fere leguntur: „Stoici traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiuntur. Unum excipio Catonem, in quo, perfectissimo Stoico ſummam eloquentiam non deſiderem."

3) *alia alii*, ſed aliae res in iis diverſae fuere. K. ad *alia* ſupplet gloria.

4) *munificentia.* — Egregiae Caeſaris liberalitatis publicorumque ejus munerum mentio facta c. 49.

5) *integritate vitae.* Vellej. II, 35. „homo virtutis ſimillimus et per omnia ingenio diis, quam hominibus propior, qui numquam recte fecit, ut facere videre-

dine et misericordia clarus factus: huic severitas dignitatem addiderat. Caesar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. In altero miseris perfugium erat; in altero malis pernicies. illius facilitas; hujus constantia laudabatur. Postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus, sua neglegere; nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset. At

---

tur, sed quia aliter facere non potuerat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam: omnibus humanis vitiis immunis; semper fortunam in sua potestate habuit."

6) *misericordia*, Cic. pro Ligario c. 12. „nulla de virtutibus tuis (Caesar) admirabilior atque gratior est *misericordia*." Mansuetudinem ejusdem et inusitatam inauditamque clementiam idem laudat pro Marcell. c. 1. Cf. Sueton. c. 74. et 75.

7) *est* post adeptus C. omisit.

8) Verb. *erat* post perfugium apud C. deest.

9) *facilitas* (*Nachgiebigkeit*) qua facile aliquid de jure nostro remittimus, nec pertinaciter sententiae inhaeremus: conjungiturque saepe cum comitate et indulgentia. C.

10) *in animum induxerat*, sibi proposuerat.

11) *neglegere* i. e. neglegebat; nam si neglegere penderet a verbis *in animum induxerat*, dicendum antea fuisset *intentum*, non intentus.

12) *quod dono dign.* quod dignum esset nomine doni; i. e. nihil magni denegavit.

13) *novum*, magnum, inauditum, s. praeter jam gesta aliud.

14) *enitescere*. Seneca Epist. 94. „Quid C. Caesarem in sua fata pariter publica immisit? gloria et ambitio, et nullus supra ceteros eminendi modus." Cic. de Off. I, 8. 7. „Declaravit id modo temeritas C. Caesaris, qui omnia jura divina atque humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum."

Catoni studium modestiae, decoris, sed maxume severitatis erat. Non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse, quam videri, bonus malebat; ita quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.

CAPUT LV.

Postquam, ut dixi, Senatus in Catonis sententiam discessit, consul optumum factum ratus, no-

---

15) *decoris* i. e. honesti quod hominem decet.

16) *esse, quam videri*. Aeschyl. Sept. adversus Theb. V. 594. de Amphiarao: *οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει.*" Cic. de Off. II, 12, 8. „praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiarim dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset."

17) *sequebatur*, i e. eo magis *gloria illum* sequebatur. Alii *illam adsequebatur*; sed quoniam Cato non petebat gloriam, dici non potest, illum esse adsecutum gloriam, sed vicissim, gloriam illum esse secutam. H. „*illum adsequebatur*," quod defendi potest.

CAPUT LV.

Nocte, quae hunc diem sequebatur, de Lentulo, Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario, e Senatus decreto et Consulis jussu, in carcere Tulliano supplicium sumtum est.

1) *discessit*. perfect. pro plusq. (post *postquam* et *ubi*) fere semper apud nostrum legitur. c. 2. „posteaquam Cyrus (et) Lacedaemonii *coepere*." c. 4. „ubi animus *requievit*." c. 6. „hi postquam in una moenia *convenere*." c. 51. vers. fin. „postquam respublica *adolevit*." ibid. post, ubi licentia *crevit*. ibid. init. postquam de Rhodiis *consultum est*. — Ceterum nos eadem figura: *auf die Seite* (sententiam) *des Cato getreten war.*

2) *optimum factum*. C. 52. n. 6. „optimum factum credens," aliquot libri et H. „optimum *factu* ratus." Cf. c. 57.

ctem, quae inſtabat, antecapere, ne quid eo ſpatio novaretur, Triumviros, quae ſupplicium poſtulabat, parare jubet: ipſe, diſpoſitis praeſidiis, Lentulum in carcerem deducit: idem fit ceteris per Praetores. Eſt locus in carcere, quod Tullianum adpellatur, ubi paululum eſcenderis ad laevam, circiter duodecim pedes humi depreſſus. Eum muniunt undique

---

3) *antecapere* antevenire nocti. Vid. c. 52. n. 9.

4) *eo spat. nov.* ne hoc intervallo, i. e. nocte inſtante turbae excitarentur a popularibus conjurationis, ad eripiendos e cuſtodiis principes.

5) *Triumviros* int. capitales, quibus carceris ſuppliciorumque cura erat demandata. C.

6) *quae ſupplicium.* H. legit: quae *ad* ſupplicium poſtulabat. (Conſul.)

7) *in carcerem* int. publicum, e cuſtodiis liberis c. 47. extr.; nam nobiles necabantur in carcere, ignobiles palam.

8) *quod* „Pronomen relativum inter duo nomina (diverſi generis) poſitum, modo cum antecedente, modo cum conſequente convenit." Cic. de Legg. I, 7. „*animal* hoc providum, *quem* vocamus hominem; idem (de N. D. II, 20.) „Jovis ſtella, *quae* Φαέθων dicitur." Idem l. c. III, 20. „mare etiam *quem* Neptunum eſſe dicebas." Cum optimae notae auctores utrumque genus uſurpent, non eſt, cur alterum alteri praeferas. Attamen convenientia cum *conſequente voce* conſecutionem Graecanicam redolet. Vid. Perizon. ad Sanct. Minerv. p. 550." cf. c. 7. n. 13. — Ceterum *Tullianum* illud (locus ille carceris non totus carcer) dictum eſſe a conditore ſ. emendatore Servio Tullio docet Varro de ling. lat. IV, 32. cf. Liv. I, 33.

9) *escenderis.* Vulg. *ascenderis.* Sed Grutero placet *deſcenderis*, quoniam vox *depreſſus* item *demiſſus*, quae ſequitur, innuere videatur *deſcenſum* potius fuiſſe, quam *adſcenſum.* C. contra et H., e Palmerii conject. dederunt *eſcenderis*, quod explicant: „*progreſſus ſis.*" (intraveris.)

parietes, atque inſuper camera, lapideis fornicibus vincta; sed incultu, tenebris, odore, foeda atque terribilis ejus facies eſt. In eum locum poſtquam demiſſus eſt Lentulus, quibus praeceptum erat, laqueo gulam, vindices rerum capitalium, fregere. Ita ille patricius, ex clariſſuma gente Corneliorum, qui conſulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque ſuis exitium vitae invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Coepario eodem modo ſupplicium ſumtum.

---

10) *humi depr.* pro *in humum* depreſſus (ut *humi* proſternere) 12 *Fuſs tief unter der Erde.* K.

11) *camera* (ſ. camara) tectum fornicatum eſt, h. l. e lapidibus; unde adjectum eſt lapideis forn. vincta. (*eine ſteinerne gewölbte Decke*).

12) *incultu*, ſqualore, ſ. eo, quod non incolitur. Alii *inculta.*

13) *eſt* poſt *demiſſus* C. omiſit.

14) *vindices rer cap.* i. e. carnifices. Al. *indices* vel *judices.* C. vero, cui haec verba gloſſam ſapiunt, ea prorſus delevit, probante B. et D. Equidem cum H. ea retinui.

15) *fregere*, Stromb. *ſchnürten zu.*

16) *conſulare imp.* Vid. c. 17. n. 9.

17) *exitium* antique, ut Feſtus adnotat, pro *exitum.* C. et H. e plurib. libris, receperunt. Tacit. Ann. XIII, 17. „crebris ante *exitium* diebus." Alii *exitum.*

18) *Coepario.* Coeparius quidem cognito indicio ex urbe profugerat (c. 46.), ſed idem e fuga retractus erat (c. 47.), Caſſius autem et Umbrenus evaſerant. — Supplicio de conjuratis ſumto, Cicero multitudini in foro congregatae rem factam aperit verbo; *vixerunt!* Inde plauſu exceptus et pater patriae ſalutatus, domum deducitur a ſenatoribus equitibusque, quibus multitudo ſe adjunxerat. Viae aedesque illuminatae erant, et mulieres cum ſenibus ac liberis feneſtris proſpiciebant Ciceronis triumphum videndi cupidae. Quae omnia facta ſunt Nonis illis Decembrib. (quinto

CAPUT LVI.

Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat, et Mallius habuerat, duas legiones instituit; cohortes, pro numero militum, complet: deinde, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venit, aequaliter distribuerat; ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat;

Decembr.) quarum Cicero saepius mentionem facit. Postea, cum Cato invidos quosdam fremere audiret, orationem ad populum habuit, qua Ciceronem laudibus extulit, ita ut illi, cum munere decederet, rarum patris patriae nomen decerneretur. Quin etiam Senatus in illius honorem templum aedificari jussit. Vid. Plut. in Cicer. c. 22. et 23. et Appian de B. C. II, 6. 7.

CAPUT LVI.

Interea Catilina cum exercitu male armato, subsidia ex urbe exspectans servos repudiat et proelium cum Antonio contra se misso evitat.

1) *ipse adduxerat.* Vid. c. 36. init.

2) *Mall. habuerat.* Vid. c. 28. extr. et c. 30. init.

3) *duas legiones.* In legione erant decem *cohortes*, in cohorte tres manipuli, in manipulo duae *centuriae*. Sed quamquam *centuria* nomen a centum traxit, tamen numerus virorum pro militum copia diversus erat, et legio circa 4000 milites continebat. Vid. Veget. II, 6. Lips. de milit. R. II, 4. Sed hae duae Catilinae legiones ab initio perexiguae erant, et tantum e duobus millibus constabant, donec eas explevisset.

4) *cohortes — complet*, tam magnas faciebat, quam numerus militum patiebatur.

5) *ex sociis*, intell. conjurationis, non Romanis, ut C. vult.

6) *distribuerat* intell. cohortibus, ita ut singulae crescerent.

7) *legiones* int. *duas*, *justo* s. *solito* hominum numero expleverat. Auctore autem Appiano de B. Civ. II, 7. Catilina circa 20000 milites secum habuit, quorum tamen quarta tantum pars armata erat.

cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare. sperabat propediem magnas copias sese habiturum, si Romae

8) Post *amplius* omisso *quam*, modo accusativus sequitur, modo ablativus, c. 59. extr. „amplius *annos* triginta tribunus." Caes. de B. G. II, 7. extr. „amplius *millibus* passuum." Auctor de B. Afric. c. 1. „cum non amplius *legionem* haberet unam." quae sic explicanda sunt, ut casus modo a verbo, modo ab amplius pendeat.

9) *sparos*, unde nostrum *Speer* venisse videtur, erat telum rusticum s. agreste, exiguum, a spargendo dictum, quod in hostes spargeretur. Vid. ad Cic. pro Milon. c. 24.

10) *Antonius*, qui e Senatus consulto cum exercitu Catilinam persequi maturabat. Vid. c. 36.

11) *per montis*, int. Apenninos, ad quorum radices Faesulae (vid. c. 27. init. coll. c. 36. init.) sitae erant; ut evitaret Antonium, qui recta versus Faesulas exercitum ducebat. Paullo post Catilina per eosdem montes ad Pistoriam redit. Vid. c. 57. init.

12) Vocem *versus* C. pro participio habet (Liv. XXXVI, 15. „duos *in* utramque regionem *versos* portus habet"). Sed adverbialiter quoque accipi potest. Vid. Ernesti ad Tacit. Germ. c. 1. Caes. de B. G. VII, 8. „movet *in* Arvernos *versus*." Plin. Ep. X, 82. si *in* urbem *versus* venturi erant. Ceterum in Galliam versus idem est, quod versus septemtriones, sicuti versus urbem i. q. versus meridiem.

13) *magnas copias.* C. unius Cd. fide has duas voces omisit, repetens occasionem pugnandi. At cum supra c. 43. narratum sit, conjuratos, omnibus incendio caedeque perculsis ad Catilinam erumpere ejusque exercitum augere voluisse, haec verba, quae illo re-

ſocii incepta patravifſent. Interea ſervitia repudiabat, cujus initio ad eum magnae copiae concurrebant, opibus conjurationis fretus; ſimul alienum ſuis rationibus exiſtumans, videri cauſam civium cum ſervis fugitivis communicaviſſe.

Caput LVII.

Sed poſtquam in caſtra nuntius pervenit, Romae conjurationem patefactam; de Lentulo, Cethego, ceteris, quos ſupra memoravi, ſupplicium ſumtum: plerique, quos ad bellum ſpes rapinarum, aut novarum rerum ſtudium illexerat, dilabuntur; reli-

ferenda ſunt, vix abeſſe poſſunt eoque minus, quod in omnibus fere libris leguntur. B. pro *ſperabat* recepit e Codd. *ſperans*.

14) *ſervitia repud*. Principio ſervos non repudiaſſe videtur, ut liquet e c. 24. extr. et c. 46. Ceterum pro *cujus* nonnulli libri legunt *quorum*, contra quos Priſcianus (collect. Putſchii p. 1099.), ubi de conſtructione ad ſenſum agit, hoc Salluſtii loco aliisque docet, numeros inter ſe permutari, et *cujus* h. l. ad rem, non ad verba referri. *Servitia* autem h. l. poſitum eſt pro *ſervitium*, ad quem ſingularem *cujus* referendum eſt. Vid. C. in excurſu ad h. l. p. 404. Ita neceſſe non eſt, ut ad *cujus* intelligas *generis*, vel ita ſcribas.

15) *exiſtumans*. Hanc vocem C. uncinis incluſit, conſtruens: ſimul alienum ſuis rationibus videri. Sed contra Cdd.

Caput LVII.

Nuncio de conjuratione patefacta in caſtra perlato, plerique Catilinariorum diffugiunt, reliquos Catilina in agrum Piſtorienſem abducit. Ibi incluſus ab exercitibus Metelli Antoniique, cum Antonio quam primum confligere ſtatuit.

1) *ſupra*. Vid. c. 55. extr.

2) *dilabuntur*, diffugiunt; exercitum relinquunt.

quos Catilina per montis aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit; eo conſilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam Transalpinam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praeſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtumans, quae ſupra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi iter ejus ex perfugis cognovit, caſtra propere movet ac ſub ipſis radicibus montium conſedit, qua illi deſcenſus erat in Galliam

3) *agrum Piſtorienſem*, qui eſt in Etruria, ab urbe *Piſtoria*, quam et *Piſtorium* dicunt, ſub Apennino (in parte Apennini occidentali, haud longe a Faeſulis) ſita, nunc *Piſtoria*. Cellar. II, 9. p. 714. C.

4) *profugeret*. C. legit *perfugerent* e Cdd., intelligens: *ipſe cum reliquis*, quia ſermo ſit de termino ad quem fugeret, cui *perfugere* non *profugere* reſpondeat. Sed bene B. retinuit *profugeret*. Jug. c. 13. „victus ex proelio *profugit* in provinciam" quo in loco C. nihil mutat. Deinde idem C. vocem *Transalpinam* omiſit, quia Catilinae nihil negotii fuerit in Gallia Transalpina, ſed in Cisalpina apud Allobroges, quibuscum arma conſociare voluerit. Sed cum omnes Cdd. in hac lectione conſentiant, uno excepto, qui *Cisalpinam* legit, equidem vix dubito, quin vulgata ſit retinenda, praeſertim cum viciſſim dicere poſſis, Catilinae nihil negotii fuiſſe in Gallia Cisalpina poſt ea, quae Allobrogum legati Romae egerant.

5) *Met. Celer*. Vid. ad c. 50. n. 18.

6) *praeſidebat* i. q. praeſidio erat. Is autem ager inter flumina Aeſin et Aternum in media Italia mari Adriatico adjacebat. Cf. c. 50. n. 19.

7) *exiſtumans* i. e. eadem exiſtumans, quae nos paullo ante exiſtimavimus, nempe Catilinam haec ex difficultate rerum agere. Sed verba: *quae ſupra diximus*, B. ex ſententia Grut. et C. delevit. At quisque h. l. interrogabit: quaenam Catilina ex difficultate agebat? eique bene reſpondebitur: *quae modo diximus*, nempe: eum ducere exercitum in via verſus Piſtoriam, ut hoſtium exercitum effugeret. Alioquin enim pro *illa* dicendum fuiſſe *haec*.

8) *montium* i. e. in eo Appenini latere, quod verſus Galliam Cisalpinam ſpectat.

properanti. Neque tamen Antonius procul aberat: utpote qui magno exercitu, locis aequioribus expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res advorsas, neque fugae, neque praesidii ullam spem; optumum factum ratus, in tali re for-

---

9) *in Galliam properanti.* Haec verba C. inclusit, et B. omisit; sed bene ea defendunt T. et D.

10) *Neque tamen.* Hoc posterius *tamen* aut otiosum est, aut refertur ad *quamquam*, quod latet in sententia hac omissa: *quamquam* autem Metellus Catilinam jam praeverterat, *tamen* neque Antonius procul aberat. Paullo aliter K.

11) *expeditos in fugam* i. e. Catilinarios ad fugam paratos. C. e conjectura dedit: *expeditus*, in *fuga*. i. e. utpote qui expeditus, Catilinarios in fuga sequeretur. Sed haec mutatio difficultatem non tollit; siquidem noster h. l. rationem reddere debet, quare Antonius haud procul abfuerit a Catilina, quae nulla est, si Antonius expeditus, et hostes in fuga sunt. Hoc enim modo utrique celeres erunt et difficilius sibi appropinquabunt. Hinc vulgata expeditior videtur, quam Cortii conjectura, quamquam non nego, neque eam satis placere. Itaque fortasse legendum: *impeditos in fuga*, ita ut hostes, qui *per tramites occulte in Galliam profugerent*, *impediti* in fuga essent, Antonius contra, locis aequioribus eos persequens *expeditior*. Alii conjiciunt: *expedito*, *in fuga*.

12) *montib. atque copiis*; a *montibus* et Metelli copiis versus septemtriones, a *copiis* Antonii versus meridiem. Vid. c. 58. Nam e sequentibus colligitur, Catilinam tantum cum Antonii copiis, non Metelli pugnasse, et Metellum a parte occidentali Catilinam esse persecutum, dum idem faceret Antonius a parte contraria.

13) *praesidii*, auxilii ex urbe e sociis, qui ad ipsum erumpere voluerunt. Vid. c. 43.

14) *optumum factum.* Vid. c. 55. n. 2.

15) *in tali re*, in tali rerum statu.

tunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque, concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

Caput LVIII.

Compertum, ego habeo, milites, verba viris virtutem non addere; neque ex ignavo

---

16) *cum Antonio*, qui a tergo Catilinam sequebatur, non cum Metello, qui ante illum sedebat. Vid. c. 58. („exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant"). Sperabat enim, Antonium sibi facilius esse victoriam concessurum, utpote quo antea semper familiariter usus esset. Vid. c. 21. Atque talem se quoque praebebat Antonius, cum ipse se aegrotum simulans, imperium contra Catilinam in proelio, Petrejo legato suo traderet. Vid. c. 59.

Caput LVIII.

In hac oratione Catilina copiis suis necessitatem fortiter pugnandi eo maxime demonstrat, quod ab utraque parte ab hostibus sint circumventi, unaque salus in manibus sit quaerenda.

1) *addere.* Sic vulgo et bene, credo, legitur, quamquam reliqui omnes editores *viris* omittunt, suffragantibus aliquot libris. Sed integra sententia haec est: oratio neque fortes viros (quales vos estis) reddit *fortiores*, neque ex ignavis *strenuos*, neque denique e timidis *fortes* efficit. Quae sententia manca est, si in primo ejus membro nomen *viris* deesset, cui in sequentibus duobus membris duo opposita (ignavi et timidi) respondent. Est enim gradatio quaedam in *fortibus* s. viris, *ignavis* et *timidis*. Huc accedit, quod prima vox, qua Catilina milites suos appellat, benevolentiae captationem continet, quum in *viris* lateat sententia: *quales vos estis*, *quos nunc appello.* Infra: quia illa foeda — *viris* videbantur. Tantum igitur abest, ut e causis, a Dahlio allatis hanc vocem pro spuria habeam, ut eam et ob sententiam et ob verba, quibus expressa est, et denique ob rhetoricam elegantiam pro necessaria habeam. Quod autem ad

ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia naturâ, aut moribus ineſt, tanta in bello patere ſolet. quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere: timor animi auribus obficit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; ſimul uti cauſam conſilii aperirem. Scitis equidem, milites, ſecordia atque ignavia Lentuli quantum ipſi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe praeſidia opperior, in Galliam proficiſci nequiverim. Nunc quo in loco res noſtrae ſint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hoſtium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obſtant: diutius in his locis eſſe, ſi ma-

ipſam ſententiam attinet, quisque facile videbit, eam ideo tantum negare, verba virtutem augere, ut eo plus efficiat. Nam re vera nil niſi haec dicit: „Nunc milites inprimis admonitione egetis; quum pauci contra multos, inermes maximam partem contra armatos, malam cauſam contra bonam defenſuri ſitis!" Hortationes autem breves ad milites habitas, ſaepius multum valuiſſe, experientia ſatis docuit; et hoc Catilinam quoque ſciviſſe, haec ipſa oratio declarat, qua milites ſuos, quamquam id ab initio negat, ad virtutem adhortatur.

2) *ex ignavo ſtrenuum.* Ignavus et ſtrenuus, minus ſunt quam timidus et fortis. Verte: *aus einer ſeigen eine muthige, aus einer furchtſamen eine tapſere.*

3) *moribus*, conſuetudine, exercitio.

4) *patere*, ſeſe oſtendere.

5) *auribus obficit*, impedit aures, quominus adhortationes audiant.

6) *cauſam conſilii* i. e. conſilium et quare illud ceperim. Stromb. „*meines Vorſatzes Grund.*"

7) *cladem*, detrimentum, exitium.

8) *quo in loco*, quo ſtatu I. qua conditione.

9) *juxta mecum*, aeque ac ego.

10) *unus ab urbe*, prior ab Antonio, poſterior a Metello ductus.

xume animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egeſtas prohibet. Quocumque ire placet, ferro iter aperiundum eſt. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo ſitis; et, cum praelium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, praeterea libertatem atque patriam in dextris veſtris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, commeatus abunde, coloniae atque municipia patebunt. ſin metu ceſſerimus, eadem illa advorſa fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis neceſſitudo impendet. nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis ſupervacaneum eſt pugnare pro potentia paucorum. Quo audacius adgredimini, memores priſtinae virtutis. Licuit vobis cum ſumma turpitudine in exſilio aetatem agere: potuiſtis nonnulli Romae, amiſſis bonis, alienas opes exſpectare. Quia illa foeda atque intoleranda viris videbantur haec ſe-

11) *animus ferat* ſi maxime cuperemus, vellemus. c. 21. lubido victorum fert.

12) *decus* honorem.

13) *portare*, gerere. C. *veſtris* contra Cdd. abjecit.

14) *tuta*. *in tuto*. *nobis* C. delevit.

15) *abunde*. C. 21. „quibus mala *abunde* omnia erant." nam *abunde* ponitur loco adjectivi, ut adverbia plura.

16) *coloniae — municipia.* Vid. c. 17. n. 23.

17) *fient*. C. ex uno Cd. *fiunt*. Alii *nobis fient*.

18) *non eadem — neceſſitudo* etc. Illis non aeque neceſſarium eſt pugnare ac nobis, ideoque non tam fortes erunt et facile a nobis ſuperabuntur.

19) *paucorum* Cf. c. 20. n. 17.

20) Pro *vobis* C. e nonnullis Cdd. *nobis* recepit; quae duo pronomina in orationibus tam ſaepe inter ſe confunduntur, quam apud Graecos ἡμῖν et ὑμῖν. Orator enim ſe aut comprehendere poteſt aut excludere.

21) *haec* i. e. haec conſilia, arma.

qui decrevistis. Si haec relinquere voltis, audacia opus est. nemo. nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quis corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Semper in praelio iis maxumum est periculum, qui maxume timent: audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus, aetas, virtus vestra me hortantur; praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci. Quod si virtuti vestrae fortuna inviderit, cavete, ne inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora,

---

22) *haec relinquere* i. e. haec arma non retinere s. pacem habere; quam hujus loci difficilioris explicationem statim sequentia efflagitant. Pronomen *haec* C. delevit.

23) *pace* pro *cum* pace b. m. Jug. c. 38. extr. „quia mortis *metu* mutabant" mutare enim i. q. *emere, acquirere.*

24) *averteris*, i. e. quum terga nuda hostibus dederis. Arma pro *scuto* positum est, quod in fuga a hostibus avertitur.

25) *ea vero.* *Vero* est particula affirmandi i. q. *profecto.* Cic. de Off. III, 1. magnifica *vero* vox et magno viro ac sapiente digna!" Porro *ea* idem est quod *id.* c. 20.: „nam idem velle atque nolle, *ea* demum firma amicitia est."

26) *iis* C. delevit.

27) *aestumo*, *muro* i. e. mecum reputo.

28) *hortantur* intell. ad spem victoriae. C. *me* e conject. omisit.

29) *circumvenire* intell. *nos.*

30) *loci* C. delevit.

31) *inviderit*, victoriam denegarit.

32) *inulti*, i. e. sine hostium caede. *ne*, quod vulgo legitur, C., B. et H. omiserunt.

33) *sicuti pecora.* Liv. XXV, 17. „id referre, utrum praebentes corpora, *pecorum modo*, inulti trucidarentur." Vellej. Paterc. II, 119. quem — *more pecudum* trucidaverat."

trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

Caput LIX.

Haec ubi dixit, paullulum commoratus, signa canere jubet; atque instructos ordines in locum aequum deducit: Dein, remotis omnium equis, quo militibus, exaequato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum, pro loco atque copiis, instruit. Nam, uti planities erat inter sinistros montis, et ab dextra rupes aspera, octo cohortes in fronte con-

---

Caput LIX.

Catilina aciem instruit et contra eum Antonius, pedibus aeger M. Petrejo legato exercitum permittit, qui suos pristinae virtutis admonet.

1) *signa canere.* Tubicines nempe atque cornicines suis instrumentis *signa dare* et praeparationis ad pugnam et profectionis consueverant. C.

2) *in loc. aequum*; i. e. e monte, in cujus radicibus Q. Metellus sedebat, Catilina copias suas ad pugnam paratas retro contra Antonii exercitum duxit.

3) *remotis equis* postquam equites descendere ex equis et equos removeri jusserat. Caesar de B. G. I, 25. „Caesar primum suo, deinde omnium remotis equis, ut *aequato omnium* periculo *spem fugae* tolleret, cohortatus suos proelium commisit." Simile narratur a Liv. II, 20. et III, 62.

4) *pro loco* etc. sicuti locus et copiarum numerus postulabat.

5) *Nam, uti* etc. nam cum planities, in quam Catilina copias deduxerat, a sinistra montibus et a dextra rupe aspera inclusa esset. C. legit *rupe aspera* ex aliquot libris, ob diversas constructiones, quas noster amet. Idem tamen censet, facile legi posse *rupem asperam.* At vulgata tamen praeferenda videtur, quae facillima est, intellecto *erat.* B. e conject. dedit *rupis aspera* pro (*inter*) *asperitatem rupis.*

ſtituit: reliqua ſigna in ſubſidio artius collocat. Ab his centuriones omnis electos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem ſubducit. C. Mallium in dextera, Faeſulanum quemdam in ſiniſtra parte curare jubet:

---

6) *ſigna* pro ipſis militibus, qui ſub ſignis ducuntur. Liv. VIII, 9. „omnis terror — *ſigna* Latinorum turbavit." Loco *reliqua* Cdd. alii *reliquarum*, perpauci *reliquorum* legunt.

7) *pro ſubſidio alii ſubſidiis.* capita extr. in ſubſidiis locat."

8) *Ab his* etc. i. e. ex iis, quos in ſubſidio collocaverat, ſelegit et evocat optumum quemque centurionum et militum gregariorum, eosque in primam aciem ſubducit. Alii vero electos (C. *lectos*) et evocatos pro ſubſtantivis habent a centurionibus diverſos. Sed quum in Catilinae exercitu evocati, proprio ſenſu, vix eſſe poſſint et contextus totius doceat, Catilinam optimos quosque ex omni militum numero ſelegiſſe et in fronte collocaſſe, equidem electos et evocatos pro adjectivis habendos cenſeo et ad centuriones trahendos. Erant autem *evocati* ſenſu proprio milites, qui jam emeritis ſtipendiis precibus ſ. gratia imperatoris iterum militabant; *electi* vero legionis caput, prima cohors, quae prope aquilam in prima acie ſtabat. Veget. II, 6. Quum vero B. verba haec ita interpungit: centuriones omnes, electos et evocatos, non cogitaſſe videtur; vix fieri potuiſſe, ut omnino omnes centuriones ſubdiis ſubducerentur.

9) *optumum quemq. armatum* i. e. fortiſſimum quemque, qui armis inſtructus erat. Nam tertia fere militum pars armis carebat. Vid. c. 56. Hoc C. non conſiderans, dubius eſt, utrum optimum accipiat pro *optime* et ad armatum trahat, an optimum ſit pro fortiſſimo.

10) *ſubducit*, ex ſubſidiis abducit et in primam aciem adducit.

11) *Mallium* Vid. c. 24. n. 8.

12) *Faeſulanum*, Faeſulis natum ceterum ignotum (*quemdam*).

13) *curare* verbum eſt proprium i. q. imperare. Jug. c. 57. „legatis imperat, ubi quisque *curaret*."

ipſe cum libertis et colonis propter Aquilam adſiſtit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuiſſe dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus aeger, quod proelio adeſſe nequibat, M Petrejo legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas,

---

14) *colonis*, Sullae veteranis c. 28.

15) *propter* i. q. prope ſ. ad.

16) *Aquilam.* Aquila ſignum erat legionis ex argento ſ. auro, haſtae impoſita, alis expanſis et uncis fulmen aureum tenens, quam cujusque legionis prima cohors habebat. At hanc ipſam aquilam Cicero quoque reſpicit Cat. I, 9. extr. ubi vid. Muret.

17) *bello Cimb.* Cimbros barbaram gentem, e Germania ſeptemtrionali migrantem et in Romanorum provincias incurrentem, in Campis Raudiis prope Mediolanum Q. Lutatius Catulus, Marii quartum conſulis collega a. u. 652. ſuperavit, poſtquam anno proxime ſuperiori C. Marius tertium conſul, de Teutonis Cimbrorum ſociis ad aquas Sextias (Aix) in Gallia Narbonenſi cruentam victoriam deportaverat: quibus duobus proeliis uterque populus barbarus deletus eſt. Vid. Vellej. Paterc. II, 12. Florus III, 3. Plutarch. in Mario. Liv. libr. 68.

18) *pedibus aeger.* Dio Caſſ. 37. p. 47. ſuſpicatur, Antonium hunc morbum ſimulaſſe, ne Catilina eum probris inceſſeret, quem ſocium conjurationis aliquando habuiſſet. Cf. Cic. pro Sext. 5.

19) *M. Petrejo.* Hic homo veroſimiliter idem eſt, qui in bello inter Caeſarem et Pompejum hujus legatus fuit (Cic. ad Div. XVI, 12.) ſeque ipſe interfecit cum rege Juba, poſtquam Caeſar imperio potitus erat. Vid. C. pro Sextio c. 5. et Auct. de Bello Afric. c. 94. Ceterum legatus conſulis erat, quem ille operae ſuae vicarium ſibi legaverat (Jug. c. 28.) et cui, ſi res poſceret, imperium permitteret, ita tamen, ut ad imperatoris praeſcriptum ageret. Caeſ. de B. G. III, 51.

20) *Ille*, Petrejus, qui in ſequentib. *ipſe* nominatur, ut recte vidit C.

21) *veteranas.* Veterani erant, qui viginti quinque ſtipendia expleverant, et decurſis operibus actionum ſua-

quas tumulti caufa confcripferat, in fronte; poft eas ceterum exercitum in fubfidiis locat. Ipfe equo circumiens, unumquemque nominans adpellat, hortatur, rogat, uti meminerint, fe contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis fuis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut praefectus, aut legatus, aut praetor cum magna gloria in exercitu fuerat, plerosque ipfos factaque eorum fortia noverat; ea commemorando militum animos accendebat.

CAPUT LX.

Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petrejus tuba fignum dat; cohortis paullatim incedere jubet.

---

rum quieti fe tradiderant. Vid. auct. de B. Alexandr. c. 72. Cic. ad. Div. X, 28. C.

22) Loco *tumulti* plures libri *tumultus*. Vid. c. 30. n. 8.

23) *nominans adpellat*, nomine vocans alloquitur.

24) Pro *inermes* C. ex uno libro *inermos*, e more Salluftii, ut dicit. Sed Jug. c. 94. extr. ipfe legit *inermes*; quamquam ibid. c. 107. init. ab *inermis* pedibus, legatur. Nulla eft in his conftantia.

25) *certare* vulgo et bene. Alii *pugnare*. Hinc Palmer. conjecit legendum *cernere*, quo utitur Ennius pro certare, quod *cernere* C. recepit.

26) *Homo militaris*. Vid. c. 45. n. 7.

27) *tribunus*, intell. militum, quorum primum tres, poftea vero fex in quaque legione fuiffe videntur, quorumque bini per vices legioni imperitarunt. Similis fuiffe videtur noftro *Obrift*, et inferior *praefecto* (*General*) qui iterum inferior erat *legato* (*Divifions-General*) et *praetori*, qui fummum in exercitu imperium habebat (*Obergeneral*).

28) Voces *in exercitu*, quoniam fenfus eas non multum pofcit, cum uno libro omifit C.

CAPUT LX.

Defcribitur pugna inter Catilinam et Petrejum, commiffa quinto Januarii a. u. 691.

1) *rebus — exploratis*, quae hoftem attingerent, quaeque fcitu opus erant, priusquam pugna committeretur.

Idem facit hoftium exercitus. Poftquam eo ventum, unde a ferentariis praelium committi poffet, maxumo clamore, cum infeftis fignis concurrunt; pila omittunt, gladiis res geritur. Veterani, priftinae virtutis memores, cominus acriter inftare; illi haud timidi refiftunt; maxuma vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie verfari, laborantibus fuccurrere, integros pro fauciis arceffere: omnia providere: multum ipfe pugnare, faepe hoftem ferire; ftrenui militis, et boni imperatoris officia fimul exfequebatur. Petrejus, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere; cohortem praetoriam in medios hoftis inducit, eos

---

2) *a ferentariis*. Ferentarii erant milites levis armaturae, qui proelii initium facere folebant, pilis atque miffilibus pugnantes. Veget. I, 20.

3) *infeft. fignis* i. e. cum fignis (armis) in hoftem verfis, ut folent pugnantes. Contra figna *verfa* funt fugientium. Liv. I, 25. „infeftis *armis* — terni juvenes, concurrunt." Caef. de B. G. VII, 71. „Legiones — infeftis contra hoftem fignis conftiterunt."

4) *pila*. Pilum erat telum miffile proprium Romanis. C. Caefar de B. G. I, 52. „Rejectis *pilis* cominus gladiis pugnatum eft." Ibid. VII, 88. „Noftri omiffis *pilis* gladiis rem gerunt." Pila defcripfit Polyb. VI, p. 49. ed. Cafaub.

5) *cum expedit.*, levis armaturae militibus, qui in proelio primi erant.

6) *laborantibus*, iis, qui ab hofte urgebantur et in periculo verfabantur auxilium tulit. Cf. Jug. 52. n. 14. Graeci *πονεῖν* dicunt. Vid. Thucyd. I, 49. „*τὸ δέξιον κέρας ἐπόνει.*"

7) *ferire* i. e. vulnerare, caedere. Jug. c. 6. „leonem atque alias feras primus aut inprimis *ferire*." Cf. c. 7. n. 10.

8) *contra, ac.* i. q. aliter ac.

9) *tendere* i. q. contendere, pugnare.

10) *cohortem praetor.* quae inde nomen traxit, quod circa ducem femper erat, nec ab eo discedebat, con-

perturbatos atque alios alibi resistentes interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros adgreditur. Mallius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

Caput LXI.

Sed confecto proelio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat.

---

stans e lectis ex omni exercitu et spectatae virtutis viris. C.

11) *ex lateribus.* perruperat enim mediam hostium aciem eamque disruptam ab utraque parte transversam aggreditur.

12) *Mal. et Faesul.* qui sinistrum cornu curabant. Vid. c. 59.

13) *pristinae suae.* Pronomen *suae*, quod variam sedem occupat in libris, C. expunxit. De re vid. c. 5. n. 1. et 51. n. 20 sqq.

14) Voce *pugnans* significatur, Catilinam non otiosum sed pugnantem cecidisse. Idcirco vox haec non otiosa est. Thucyd. II, 41. „μαχόμενοι ἐτελεύτησαν."

Caput LXI.

Catilina ejusque socii fortissime in proelio pugnaverant, et Romanis victoria nec incruenta nec laeta fuit.

1) *corpore tegeb.* Nam quisque fere eodem loco ceciderat, quo in proelio steterat. C. *vivus* delevit ob unius libri fidem et Florum, qui l. IV, 1. haec verba exscripsit: „quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat." Sed quamquam concedendum est, *vivus* abesse posse, tamen ob omnium reliquorum Cdd. auctoritatem, et Flori, qui facile omisit, quod omitti poterat, denique ob oppositum *amissa anima* illud retinendum putavi.

Pauci autem, quos medios cohors praetoria disjecerat, paullo diversius, sed omnes tamen adversis volneribus conciderant. Catilina vero longe a suis, inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans ferociamque animi, quam habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque in proelio, neque in fuga quisquam civis ingenuus captus. Ita cuncti suae hostiumque vitae juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus. nam strenuissimus quisque aut occiderat in proelio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visundi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem, aut cognatum reperiebant; fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum laetitia, moeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

2) *Medios* i. e. in medio instructos. Vid. c. 60. extr. Sed C. iterum vocem *medios* delevit. — *Disjecerat*, *zersprengt hatte.*

3) *diversius* i. e. locis paullulum diversis.

4) *adversis volnerib.* vulnerib. adverso corpore acceptis. D.

5) *longe a suis* i. e. longe ante suos et in mediis fere hostibus. Cf. c. 60. extr. Vellej. Paterc. II, 35. extr. „fortissime (Catilina) dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, proelio reddidit."

6) *quisquam civis*, qui in exercitu Catilinae fuerat.

7) *juxta;* tam parum suae vitae, ideoque aeque parum hostium vitae pepercerant.

8) *de castris* intell. aliquod temporis post pugnam finitam.

9) *laetitia*, *moeror* a *luctu* atque *gaudio* ita differunt, ut illa sint clara, haec tacita.

C. CRISPI SALLUSTII
J U G U R T H A
SEU
BELLUM JUGURTHINUM.

Caput I.

Falſo queritur de natura ſua genus humanum, quod imbecilla atque aevi brevis, forte potius quam

---

Caput I.

Sicuti Salluſtius, bellum Catilinarium ideo potiſſimum deſcripſiſſe videtur, ut excuſationem, quae in prooemio ad bellum iſtud continetur; praviſſimis eo tempore Romanorum moribus delineandis confirmet, ita eandem fere excuſationem, quae in hoc quoque prooemio (c. 1—4.) ineſt, deſcribendo Jugurthino bello ſimilibusque Romanorum moribus adumbrandis, argumentis firmare voluiſſe videtur.

Falſo queruntur homines de vitae brevitate et fortunae potentia. Nam niſi corpori potius, quam animo parerent, neque fortunae obnoxii eſſent, neque breviter viverent.

1) *aevi brevis* i, q. aevo (vita) brevi.

2) *forte* (al. *forte*) i. e. fortuna, cui opponitur h. l. virtus. Quamquam autem *fors* et *fors* ut forma, ita notione quoque eadem fuiſſe videantur a principio, ideoque ſaepius inter ſe permutata (vid. Horat. Satyr. I, 1, 1.), uſus tamen poſterior eos ita diſtinxit, ut *fors* fortunam, *fors* autem teſſeram, fortunae filiam denotaret.

virtute regatur. Nam contra, reputando, neque majus aliud, neque praeſtabilius invenias, magisque naturae induſtriam hominum, quam vim, aut tempus deeſſe. Sed dux atque imperator vitae mortalium animus eſt; qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde pollens potensque et clarus eſt, neque fortuna eget: quippe quae probitatem, induſtriam, alias artis bonas neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis peſſum datus eſt:

---

3) *virtute*, ſapientia, prudenti conſilio (εὐβουλία) Cic. Tuſc. V, 9. „vitam regit fortuna, non ſapientia."

4) *imperator* dictum eſt reſpectu antecedentis *regatur*, ſimulque ob animi majeſtatem dignitatemque. Seneca Ep. 114. „rex noſter eſt animus."

5) *graſſatur*, conſtanter et certo pede ingreditur. (*einherſchreitet.*)

6)) *pollens potensque.* „Prius de viribus inſitis, poſterius de iisdem exercitio comparatis dictum videtur." C. Liv. I, 24. „tantoque magis ferito, quanto magis *potes pollesque.*"

7) *clarus*, int. apud poſteros i. q. immortalis, oppoſitum eſt τῷ *aevi brevis*, ſicut pollens potensque τῷ *imbecilla*.

8) Pro *fortuna* C. et alii *fortunae*. Noſter Cat. c. 51. „neque conſil*ii* neque audaci*ae* eguere." Sed major libror. pars h. l. *fortuna* tuetur.

9) *quae*, poſt quippe, in nonnullis Cdd. deeſt, ſed omiſſo illo haerebis, utrum *quippe* ad animum, an fortunam referas.

10) *artis bonas.* Vid. Cat. c. 2. extr.

11) *cuiquam* C. omiſit.

12) *Sin captus* etc. Sin (animus) pravis cupinibus *captus*, et pernicioſa lubidine paulisper (paullatim) *uſus* (adſuetus), ad inertiam — *peſſum datus* eſt (corruptus, perditus), ideoque per ſocordiam — vires — defluxere. Hic erát ordo naturalis, quem paullulum mutavit auctor. Hinc B. vulgatam diſtinctionem reprehendit et mutavit. Ceterum *peſſum* ſupinum eſt verbi non ultra occurrentis, et *peſſum* dare dicitur, ut *venum*, *victum*, *paſtum dare.*

perniciofa lubidine paulifper ufus; ubi per fecordiam vires, tempus, ingenium defluxere, naturae infirmitas accufatur: fuam quisque culpam auctores ad negotia transferunt. Quodfi hominibus bonarum rerum tanta cura effet, quanto ftudio aliena ac nihil profutura, multumque etiam periculofa petunt; neque regerentur magis, quam regerent cafus, et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent.

Caput II.

Nam uti genus hominum compofitum ex anima et corpore: ita res cunctae ftudiaque omnia noftra

13) *ubi* pro *et ubi;* nam apodofis incipit demum a verbis: naturae infirmitas accufatur, et *ufus* pofitum pro *poftquam* ufus eft.

14) *effluxere*, fenfim effugere fluminis ritu, fine fpe reditus.

15) *auctores i. e.* quamquam ipfi funt auctores hujus infirmitatis et vitae brevitatis, tamen utrumque ad res ipfas (*negotia*), non ad fe transferunt.

16) *multumque* i. e. faepe.

17) *neque regerentur.* Hic incipit apodofis, non in verbis: *et eo magnitudinis*, ut vult K., qui ideo locum mutare conatus eft; nam fermo eft h. l. de rebus duabus, de fortunae imperio et vitae brevitate. De *neque*, fequente *et* vid. Cat. 32. n. 3. et infra 84.

18) *eo magnitudinis* c. 5. init. ,,eoque vecordiae." ubi vid. not. 4.

19) *aeterni*, immortales.

Caput II.

Inde miranda eft pravitas eorum, qui corporis gaudiis dediti animum negligunt, quamquam variis animi artibus fummam fibi poffint laudem parare.

1) *anima* et *animo* promifcue nofter utitur. Cf. Cat. c. I.

corporis alia, alia animi naturam fequuntur. Igitur praeclara facies, magnae divitiae, ad hoc vis corporis, et alia hujuscemodi omnia brevi dilabuntur; at ingenii egregia facinora, ficuti anima, immortalia funt. Poftremo corporis et fortunae bonorum, ut initium, fic finis eft: omniaque orta occidunt et aucta fenefcunt; animus incorruptus, aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipfe habetur. Quo magis pravitas eorum admiranda eft, qui, dediti corporis gaudiis, per luxum atque ignaviam aetatem agunt: ceterum ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud in natura mortalium eft, incultu atque fecordia torpefcere finunt: cum praefertim tam multae variaeque fint artes animi, quibus fumma claritudo paratur.

2) *corporis alia* (B., nefcio unde: *corpus alia.*) i. e. omnia patiuntur, quae ipfum corpus patitur, i. e. *brevi dilabuntur, initium habent, augentur, fenefcunt, finiuntur* omninoque mutantur; quibus contraria funt, animi res et ftudia.

3) *divitiae* non minus, quam praeclara facies et corporis vis ad *externa*, feu corporis bona pertinent.

4) copulam *et* ante *alia* C. delevit.

5) *immortalia funt*, non moriuntur cum corpore.

6) *finis eft* differt h. l. a brevi dilabuntur. Voculam *fic* C. delevit.

7) *omniaque* (alii *omnia quae*) pro *omnia enim.* Nam eft confirmatio propofitionis proxime praecedentis.

8) *incorruptus*, immutatus.

9) *agit atque habet. Agit* eft regit, omnia disponit ex fuo arbitrio. *Habet* i. q. poffidet, Graeci: ἔχω καὶ οὐκ ἔχομαι. Seneca de Ira I, 16. ,,habent non habentur." Idem Epift. 8. ,,habere nos putamus, habemur."

10) *amplius*, majus, praeftantius.

11) *incultu*, neglectu culturae.

12) *torpefcere*, incultu languefcere, et per fecordiam vim fuam amittere.

13) *claritudo* (cf. c. 7.) ,,Vox Tacito imprimis ufitata ad analogiam vocum *bellitudo*, *canitudo*, *honeftitudo*." C.

Caput III.

Verum ex his magiſtratus et imperia, poſtremo omnis cura rerum publicarum, minume mihi hac tempeſtate cupiunda videntur: quoniam neque virtuti honos datur; neque illi, quibus per fraudem jus fuit, tuti, aut eo magis honeſti ſunt. Nam vi quidem regere patriam aut parentes, quamquam et

---

Caput III.

In his autem animi ſeu ingenii artibus, longe tamen fugienda eſt omnis rerum publicarum cura, hoc quidem tempore, ubi principatus aut vi occupandus eſt, civitatisque vitia eodem modo emendanda, aut paucis parendum.

1) *ex his*, repete artibus ſ. ſtudiis animi.

2) *rerum public.* negotiorum publicorum ſeu civitatis.

3) *hac tempeſtate.* Quam tempeſtatem ſi definire poſſemus, ipſum nobis conſtaret tempus, quo hoc bellum Jugurthinum conſcriptum ſit. Apprime autem omnia conveniunt tempori, quo ſumma rerum penes triumviros (paucos) fuit, Antonium, Lepidum et Octavianum (cf. Cat. c. 20. n. 7.), non ita multo poſt Caeſaris caedem, circa annum a. n. 711; cui tempori quoque Don Gabriel (in edit. Telleri p. 184.) hujus libelli compoſitionem adſcribit.

4) *neque virtuti;* neque is fungitur muneribus publicis, qui per virtutem iis dignus eſt.

5) *quibus — jus fuit*, qui vi et fraude ſummum imperium affecuti ſunt, non tamen magis ideo tuti et honorati.

6) *aut parentes.* C. mavult patriam *atque* parentes, quae et alibi junctim occurrunt (quoniam patriae inſunt parentes, i. e. omnes nobis ſanguine juncti, qui graece τοκεῖς vocantur. Euripid. Phoeniſſ. 444.), quamquam idem h. l. *parentes* intelligat *cives*, *ſubditos* (a parēre.) Alii *patriam* intelligunt urbem Romam, et *parentes* (a parēre) ceteras civitates Romano imperio ſubjectas.

poſſis, et delicta corrigas, tamen importunum eſt: cum praeſertim omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hoſtilia portendant; fruſtra autem niti, neque aliud fatigando, niſi odium, quaerere, extremae dementiae eſt. niſi forte quem inhoneſta et pernicioſa lubido tenet, potentiae paucorum decus atque libertatem ſuam gratificari.

Caput IV.

Ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno uſui eſt memoria rerum geſtarum: cujus de virtute, quia multi dixere, prae-

---

7) *delicta*, civitatis vitia, ut fecerunt ex parte Sulla atque Caeſar violentiam ſuam imperii lenitate mitigantes.

8) *importunum*, ſaevum et crudele, nobis periculoſum aliisque moleſtum. Aliter C.

9) *fugam*, exſilia.

10) *portendant*, praenuncient, ac ſecum ducant.

11) *fruſtra — niti*, operam autem dare reipublicae regundae ſine viribus et ſucceſſu.

Caput IV.

Eligenda potius eſt ex his ingenii artibus rerum geſtarum deſcriptio, quae excitat ad imitandam majorum noſtrorum virtutem, magiſtratibus Romanis hoc tempore imprimis commendandam.

1) *memoria rerum geſt.* i. e. quae literis traditur ſeu rerum geſtarum deſcriptio. Nam cum h. l. ſermo ſit de iis ingenii artibus, quibus immortalitas paretur, memoria rerum geſtarum non poteſt eſſe h. l. ſtudium ſ. cognitio hiſtoriae, qua nemo facile immortalis fiat, etſi ſit illa inſtructiſſimus, ſed potius ejusdem conſcriptio, quae ſola immortalitatem parare poteſt.

2) *virtute*, utilitate et praeſtantia. Virtus enim (a *vir*) a corpore ad animum, et deinde ad res quoque tranſiit, ita, ut primum corporis perfectionem (*Mannheit, Mannskraft*) deinde animi (*Tugend*) et denique rerum quoque ſtatum perfectum (*Güte, Brauchbarkeit*) ſignificaret.

3) *multi dixere.* „Vid. Liv. praefat., Polyb. praefat. cum not. Caſaub., Cic. de Orat. II, 9., Seneca Ep. 95., Maxim. Tyr. Serm. XII." C.

tereundum puto; ſimul, ne per inſolentiam quis exiſtumet, memet, ſtudium meum laudando extollere. Atque ego credo fore, qui quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant: certe, quibus maxuma induſtria videtur, ſalutare plebem, et conviviis gratiam quaerere. Qui ſi reputaverint, et quibus ego temporibus magiſtratus adeptus ſum, et quales viri idem adſequi nequiverint, et poſtea quae genera hominum in Senatum pervenerint; profecto exiſtumabunt, me magis merito, quam ignavia, judicium animi mutaviſſe, majusque commodum ex otio meo, quam ex aliorum negotiis reipublicae venturum. Nam ſaepe audivi, Q. Maxumum, P.

---

4) *praetereundum* int. ſilentio.

5) *ne—quis* etc., ne quis exiſtumet, me memet ipſum per ſuperbiam laudare velle, dum ſtudium meum laudo. Vocem *meum*, poſt ſtudium, C cum paucis libris delevit.

6) *Atque* „ſervit occupationi et notat *et vero, et tamen.*" C.

7) *quibus—temporibus* etc. i. e. quam miſerabiles homines hoc tempore ſummos honores acceperint, et quam egregii viri eosdem aſſequi nequiverint. Vid. Sueton Jul. c. 76. et Dio Caſſ. XLIII, 47.

8) *merito*, jure, conſilio recto.

9) *judicium mutaviſſe* a negotiis publicis ad hiſtoriam conſcribendam transiiſſe.

10) *majusque commodum* etc. Siquidem rerum geſtarum deſcriptio, quae exempla ante oculos ponit, homines ad virtutem excitare, et a vitiis deterrere valet.

11) *Q. Maxumum.* Eſt Q. Fab. Maxim. Cunctator, magnus revera vir bello Punico ſecundo immortalis factus, de quo Ennius. (Cicer. de Off. I, 24.)

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem
Non ponebat enim rumores ante ſalutem,
Ergo poſtque magisque viri nunc gloria claret.

Cf. Liv. XXII, 8 ſqq. 11, 12, 14, 15, 27 et inprimis 29 ſqq.

Scipionem, praeterea civitatis noſtrae praeclaros viros ſolitos ita dicere, *cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſume ſibi animum ad virtutem accendi.* Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere; ſed memoria rerum geſtarum eam flamman egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit. At contra, quis eſt omnium his moribus, quin divitiis et ſumtibus, non probitate neque induſtria cum majoribus ſuis contendat? etiam homines novi, qui antea per virtutem ſoliti erant nobilitatem antevenire, furtim et

---

12) *P. Scipionem.* Eſt P. Cornel. Scipio Africanus major, qui Hannibalem eodem bello vicit, avus minoris Africani. Cf. c. 5. n. 11.

13) *imagines*, quas nobiles Romani e cera confectas in atrio poſitas habebant. Vid. c. 85. et Plin. H. N. XXXV, 2.

14) *habere* int. putabant. Nam verba, a *ſcilicet* usque ad *adaequaverit*, non ſunt Fabiorum et Scipionum, ſed Salluſtii.

15) *rerum geſtaruum* int. a majoribus.

16) *flammam animi*, ardorem.

17) *egregiis viris.* Hic dativ. pendet a *creſcere*. Contra ſi poſuiſſet *egregiorum virorum*, id a *pectore* penderet.

18) *eorum* int. majorum. *Virtus* autem abſolute poſitum referendum eſt ad eos, qui imagines majorum intuentur. Exemplo eſt Caeſar (apud Suet. Caeſ. c. 6.), qui ingemiſcebat, cum Alexandri imaginem conſpiceret.

19) *quin divitiis.* Libri nonnulli, *qui non de divitiis.* Cf. Cat. 35. n. 9.

20) *homines novi.* Vid. Cat. 23. n. 17.

21) *furtim* dolo, ſ. fraude. Vellej. Pat. II, 63. „furto creatus." Liv. XLIII, 10. „furto et fraude."

per latrocinia potius quam bonis artibus ad imperia et honores nituntur. proinde quaſi praetura et conſulatus, atque alia omnia hujuscemodi per ſe ipſa clara, magnifica ſint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui ſuſtinent, virtus eſt. Verum ego liberius altiusque proceſſi, dum me civitatis morum piget taedetque. nunc ad inceptum redeo.

Caput V.

Bellum ſcripturus ſum, quod populus Romanus cum Jugurtha, rege Numidarum geſſit: primum quia magnum et atrox, variaque victoria fuit; dein quia

---

22) *per latrocinia*, per vim. Vid. Graev. ad Cic. pro Roſc. Amer. c. 22.

23) *quam bonis artibus*. Haec verba a C. ob unum Cod. incluſa et a B. omiſſa, cum H. reſtitui. Nam neque ſenſui neque linguae obſtant, immo emphaſi inſerviunt.

24) *proinde quaſi* i. e. quaſi magiſtratus, per ſe, honorem dare poſſint, indigniſſimis hominibus. „Alii *perinde*. Sed hae particulae in MSS. facile confunduntur, quoniam et *per* et *pro* notis ſcribuntur, inter ſe parum differentibus." C.

25) *redeo* i. q. venio; Cic ad Att. I, 14. *nunc* ad privata redeam, et ibid. 16. ut jam *πρὸς τὸ πρότερον revertar*; quamquam ſupra de iis rebus nihil dixit. At dicere quoque poſſis, Salluſtium, cum in animo haberet, bellum Jugurthinum ſcribere, et diutius prooemio eſſet immoratus, nunc demum ad inceptum re vera redire.

Caput V.

Bellum Jugurthinum quum per ſe, tum ob bellum civile inde natum memorabile eſt. Maſiniſſa Numidiae rex regnum ſuum, ob quod hoc bellum oriebatur, magnam partem Romanorum amicitiae debebat. Eum in regno excepit Micipſa filius, qui Jugurtham fratris ſui Guluſſae filium una cum Adherbale et Hiempſale filiis ſuis educavit.

tum primum ſuperbiae nobilitatis obviam itum eſt, quae contentio divina et humana cuncta permiſcuit, eoque vecordiae proceſſit, uti ſtudiis civilibus bellum atque vaſtitas Italiae finem faceret. Sed priusquam hujuscemodi rei initium expedio, pauca ſupra repetam; quo ad cognoſcendum omnia illuſtria magis, magisque in aperto ſint. Bello Punico ſecundo, quo dux Carthaginienſium Hannibal, poſt magnitudinem nominis Romani, Italiae opes maxume adtriverat; Maſiniſſa rex Numidarum, in amicitia receptus a P. Scipione, cui poſtea Africano cognomen ex virtute

---

1) *ſuperbiae — obviam itum*. Hoc factum eſt non minus per tribunos (vid. c. 50.) quam per Marium (contra Metellum). (c. 74.) Idem poſtea per eundem Marium (contra Sullam); quae contentiones nihil aliud fuere, niſi nobilium plebejorumque de principatu certamina.

2) *contentio* nobilium atque plebejorum.

3) *cuncta* i. e. omnino omnia; quum praeter res divinas humanasque nil aliud detur. Ad ſenſum igitur ſufficeret alterutrum, vel *divina et humana*, vel *cuncta*. Sed Liv. I, 58. „divina humanaque omnia;" eodemque modo idem VII, 51. Horat. Sat. II, 3, 3: „divina cuncta et humana."

4) *eoque vecordiae*, ad eum vecordiae locum; quod poſterius ſubſtantivum (locus) in particulis *eo*, *ubi* aliisque omiſſum, genitivi hujus cauſam continet.

5) *ſtudiis civil.* civium contentionibus ſ. factionibus.

6) *bellum*, inter Marium et Sullam, in quo tota Italia vaſtata eſt.

7) *expedio* i. e. facio. *Expedio* vulgo legitur. Cdd. aliquot *expediam* legunt.

8) *illuſtria magis*, clariora et expeditiora.

9) *poſt magnitudinem* etc. i. e. poſtquam Romanorum magnitudinem fregerat. C. „poſtquam Romani magni facti."

10) *Maſiniſſa*. Cf. Liv. XXIX. 35.

11) *P. Scipione* int. majori. Vid. c. 4. n. 12.

12) *cui — Africano*. Liv XXV, „cui poſt *Africano* fuit cognomen;" quo in dativo notandum, eum eſſe ad

ſuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat: ob quae, victis Carthaginienſibus et capto Syphace, cujus in Africa magnum atque late imperium valuit, populus Romanus quascumque urbis et agros manu ceperat, regi dono dedit. Igitur amicitia Maſiniſſae bona atque honeſta nobis permanſit: imperii vitaeque ejus finis idem fuit. Dein Micipſa filius regnum ſolus obtinuit, Maſtanabale et Guluſſa fratribus morbo abſumtis. Is Adherbalem et Hiempſalem ex ſeſe genuit; Jugurthamque Maſtanabalis

---

cui relatum, etſi poſſit eodem jure ſtare nominativus (Africanus) ex appoſitione, aut genitivus *Africani* ex relatione.

13) *multa — fecerat.* Liv. XXIX, 29. Maſiniſſam nominat longe maximum omnium aetatis ſuae regum, qui plurimum res Romanas juverit (bello Punico II.). Cf. Juſtin. XXXVIII, 6. Cum eo amicitiam junxerat Scipio. Vid. Liv. XXVIII, 35.

14) *capto Syphace.* Syphax Maſſaeſylorum ſeu Numidarum occidentalium rex, cujus caput Cirtha erat, Romanorum fuerat amicus, donec eum Carthaginienſes, data in matrimonium Sophonisba, Hasdrubalis Gisgonis filia, abſente Maſiniſſa, eum ſibi conciliarent. Sed quum antea ejusdem Sophonisbae, pulcherrimae foeminae matrimonio Maſiniſſam ſibi adſciviſſent eumque contra Syphacem cum copiis miſiſſent, Maſiniſſa, hac Carthaginienſium perfidia permotus ad Romanos transiit, ab iisque, poſt captum Syphacem, qui in vinculis periit, totius Numidiae regnum accepit. Liv. XXIV, 48. 49. XXVIII, 35. XXX, 12. et 44. Flor. II, 15, 3.

15) *magnum atque late,* magnum atque opulentum fuit.

16) *manu ceperat,* vi et armis occupaverat, adjuvante Maſiniſſa.

17) *imperii vitaeque* etc. i. e. in Romanorum gratia atque regno ſuo usque ad mortem permanſit.

18) *bona atque honeſta,* bene atque honorifice ipſi. (Stromb. „*gut und ehrenmäſsig.*") c. 82. „ſupra bonum atque honeſtum perculſus."

fratris filium, quem Maſiniſſa, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat, eodem cultu, quo liberos ſuos, domi habuit.

Caput VI.

Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, ſed multo maxume ingenio validus, non ſe luxui, neque inertiae corrumpendum dedit; ſed uti mos gentis illius eſt, equitare, jaculari, curſu cum aequalibus certare: et cum omnis gloria anteiret, omnibus tamen carus eſſe: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus, aut in primis ferire: plurimum facere, minumum ipſe de ſe loqui. Quibus rebus Micipſa tametſi initio laetus fuerat, exiſtumans virtutem Ju-

---

19) *fratris,* int ſui. B. falſo intelligit Adherbalis et Hiempſalis.

20) *privatum reliquerat,* haereditate excluſerat.

21) *cultu.* „Cultus omnem educationem, victum et amictum comprehendit." B.

Caput VI.

Micipſa laetus primum ingenio ſtudiisque Jugurthae, eundem, poſteaquam adoleverat, ob filios ſuos aetate minores et ſenectutem ſuam timere coepit, neque tamen auſus eſt dolo interficere; cum popularibus ſuis ob ingenii et corporis praeſtantiam acceptiſſimus eſſet.

1) *viribus* cf. Cat. 1, n. 8.

2) *multo maxime* pro multo magis. Vid. Cat. 56. n. 13. Cf. Jug. 7. n. 8.

3) *luxui.* „Qui antiqua amant, praeferunt *luxu.*" B.

4) *tempora agere* — uti *aetatem, vitam agere.* Vid. Cat. 37. Liv. XL, 23. cum aliquot *menſes egiſſet.*

5) *in primis.* „Sequior aetas *inter primos* dicit." C.

gurthae regno ſuo gloriae fore: tamen poſtquam hominem adoleſcentem, exacta ſua aetate, et parvis liberis, magis magisque creſcere intelligit, vehementer eo negotio permotus, multa cum animo ſuo volvebat. Terrebat eum natura mortalium, avida imperii et praeceps ad explendam animi cupidinem: praeterea opportunitas ſuaeque et liberorum aetatis, quae etiam mediocris viros ſpe praedae transvorſos

6) *tametſi — tamen.* Vid. c. 11. init. it. 13. et Cat. 20. et 21. init. Cic. ad Div. IV, 15. „*tamen etſi* antea ſcripſi — *tamen* hoc tempore breviter commonendum putavi."

7) *exacta — aetate*, vita ſua ad finem jam inclinante.

8) *parvis liberis*, Adherbale et Hiempſale, qui uterque aetate inferiores erant Jugurtha, qui eo tempore circiter viginti annos habebat ſecund. Broſſium. — *et* ante parvis C. delevit.

9) *creſcere*, fama et honore inter ſuos. M.

10) *eo negotio*, ea re. c. 72, „Ne qua ex *eo negotio* ſeditio oriretur." Cat. 49. „ratus id, quod *negotium* poſcebat." Voculam *eo*, C. cum uno Cd. omiſit.

11) *cum animo — volv.* C. 108. extr. „multumque cum animo ſuo *volvere* ſolitum."

12) *praeceps*, prona, propenſa. C. „vehemens, alacer et ardens."

13) *opportunitas*, copia ſ. facultas regni potiundi, ob ſuam ipſius ſenectutem liberorumque pueritiam.

14) *ſuaeque et*, C. 55. ut ſe*que et* exercitum. Liv. I, 6. cum ſitum moenia*que et* urbem etc. Idem XXI, 30. gentes*que et* terrae. Poſitione contraria Cic. ad Div. XI, 13. *et* ab exercitu reliquis*que* rebus. Tertio modo Jug. c. 10. me*que*, regnum*que*. Quinctil. III, 6, 89, quae*que* fecerim, quae*que* — potuerim. Unde ſequitur, Romanos ſuum *et et*, modo in *et que* modo in *que et*, modo denique in *que que* mutaſſe. Quintum non datur.

15) *mediocris*, cupiditatis ſ. indolis modicae. cf. c. 8. „non mediocrem animum."

agit: ad hoc ſtudia Numidarum in Jugurtham accenſa; ex quibus, ſi talem virum dolis interfeciſſet, ne qua ſeditio, aut bellum oriretur, anxius erat.

CAPUT VII.

His difficultatibus circumventus ubi videt, neque per vim, neque inſidiis opprimi poſſe hominem tam acceptum popularibus, quod erat Jugurtha manu promtus et adpetens gloriae militaris, ſtatuit eum

16) *transvorſos agit*, a vera via ſeducit; c. 14. ne quos — amicitia *transvorſos agat.* Senec. Ep. 108. cum coepit *transverſos agere* felicitas.

17) *accenſa*, aut ſupple erant, aut repete *terrebant.* Liv. XXIX, 19. „*accenſis ſtudiis pro* Scipione et *adverſus* Scipionem."

18) *ex quibus* repete ſtudiis, aut Numidis.

19) *dolis* i. e. inſidiis, ſeu mandatis, ad interficiendum eum clam datis. (Vid. c. ſeq. init.) Sed C. hanc vocem, cum paucis Cdd. expunxit. Verum quidem eſt, quod ille dicit, periculis belli objicere Jugurtham, quod Micipſa deinde fecit, nil niſi dolum fuiſſe, ſed talis tamen dolus fuit, qui, dum ſine conſciis fieri poterat, omni periculo caruit, cum quivis alius, in homine omnibus tam caro minus tectus ideoque periculoſior fuiſſet. Eodem modo noſter infra c. 11. extr. negat, Hiempſalem *per dolum* capi potuiſſe, qui tamen revera *dolo* opprimitur. Hinc vulgatam cum H. retinui. Ceterum ob mox ſequentia conjicere quis poſſit *aut vi aut dolis.*

CAPUT VII.

Hinc eum militaris gloriae cupidiſſimum praefecit (Micipſa) copiis, quas Romanis in Hiſpaniam auxilio mittebat, ſperans fore, ut ibi audacia ſua occideret; at praeter patris ſpem non ſolum non interiit, ſed etiam virtute factisque magnam ſibi laudem peperit, Scipionemque Romanorum imperatorem atque alios multos vehementer ſibi conciliavit.

1) *manu promtus.* Vid. Cat. 43. n. 21. Ceterum haec enunciatio ad ſequentia pertinet.

2) *adpetens gloriae.* Vid. Cat. c. 5. n. 7.

objectare periculis et eo modo fortunam tentare. Igitur, bello Numantino, Micipſa cum populo Romano equitum atque peditum auxilia mitteret, ſperans, vel oſtentando virtutem, vel hoſtium ſaevitia facile eum occaſurum, praefecit Numidis, quos in Hiſpaniam mittebat. Sed ea res longe aliter, ac ratus erat, evenit. nam Jugurtha, ut erat impigro atque acri ingenio, ubi naturam P. Scipionis, qui tum Romanis imperator erat, et morem hoſtium cognovit; multo labore multaque cura, praeterea modeſtiſſume parendo et ſaepe obviam eundo periculis in tantam claritudinem brevi pervenerat, ut noſtris vehementer carus, Numantinis maxumo terrori eſſet.

---

3) *fortunam tent.* experiri, an forte in bello occideret.

4) *bello Numantino.* Hoc bellum, quod Romani cum Numantia, Hiſpaniae oppido, ad Duerum ſito, geſſerunt inde ortum eſt, quod Numantini, ſocios conſanguineosque ſuos Segidenſes, Romanorum manibus elapſos, exceperant, et poſt quatuordecim demum annos, a Scipione Africano Minori ita finitum eſt a. u. 621, ut Numantini, poſt duos Romanorum duces devictos, obſidione et fame per annum ac tres menſes preſſi, ſe ipſi cum conjugibus ac liberis perimerent, Romaniſque urbem ſuam in cinere poſitam relinquerent trophaeos. Vid. Flor. II, 18. cf. Vellej. Paterc. II, 4.

5) *facile eum.* Pronomen *eum*, quod, per accuſativi cum infinit. ſtructuram, deeſſe h. l. vix poteſt, ſive ante *occaſurum* ponatur ſive poſt illud, C. cum paucis libris omiſit. Licet enim C., ad Cat. p. 193., locis nonnullis, noſtri ac Ciceronis, probet, penes infinitivum, *me, te, illum, nos, vos* omitti poſſe, tamen haec omiſſio excuſanda potius eſt, quam, praeter neceſſitatem, invitis Cdd. recipienda.

6) *impigro — ingenio.* Stromb. „*unverdroſſenen und feurigen Gemüths.*"

7) *imperator erat.* Vid. c. 5. n. 11. Verbum *erat* C. delevit.

8) *morem*, pugnandi ſ. agendi rationem. Idem fere Hannibal facere ſolebat. Vid. Liv. XXII, 3.

Ac ſane, quod difficillumum in primis eſt, et praelio ſtrenuus erat, et bonus conſilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque ſolet. Igitur imperator omnis fere res aſperas per Jugurtham agere, in amicis habere, magis magisque eum in dies amplecti: quippe cujus neque conſilium, neque inceptum ullum fruſtra erat. Huc accedebat munificentia animi et ingenii ſollertia, quibus rebus ſibi multos ex Romanis familiari amicitia conjunxerat.

Caput VIII.

Ea tempeſtate in exercitu noſtro fuere complures novi atque nobiles, quibus divitiae bono honeſtoque potiores erant, factioſi, domi potentes, apud

---

9) *difficill. in primis* pro difficile in primis ſ. difficillumum, ſine *in primis.* Cf. c. 6. n. 2.

10) *proelio ſtr. — bonus conſil.* Vellej. XXI, 18. „conſiliis dux, miles manu."

11) *quorum alterum* (providentia) conſilium et timorem, alterum (fortitudo) temeritatem adferre ſolet. Thucyd. III, 40. *ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.*

12) *aſperas*, difficiles et periculoſas.

13) *eum* poſt *magisque* C. cum aliquot libr. delevit.

14) *fruſtra*, ſine propero eventu. cf. c. 71. extr. „poſtquam id *fruſtra* erat." c. 72. extr. „ea res *fruſtra* fuit."

15) *quibus.* C. *quis.*

Caput VIII.

Romanorum nonnulli Jugurthae ſpem faciunt, patre mortuo Numidiae regno ſolum potiundi, Scipio contra, futura praevidens, illum ſecreto admonet, ut non paucorum, ſed totius populi Romani amicitiam ſibi comparet.

1) *novi.* Vid. c. 4. n. 20.

ſocios clari magis, quam honeſti: qui Jugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant, *ſi Micipſa rex occidiſſet, fore, uti ſolus imperii Numidiae potiretur; in ipſo maxumam virtutem, Romae omnia venalia eſſe.* Sed poſtquam, Numantia deleta, P. Scipio dimittere auxilia, et ipſe revorti domum decrevit: donatum atque laudatum magnifice pro concione Jugurtham in praetorium adduxit, ibique ſecreto monuit: *uti potius publice, quam privatim amicitiam populi R. coleret; neu quibus largiri inſueſceret: periculoſe a paucis emi, quod multorum eſſet. ſi permanere vellet in ſuis artibus, ultro illi et*

---

2) *apud ſocios* oppoſitum eſt τῷ *domi*, i. e. inter populares.

3) *clari magis* etc. *mehr angeſehen als geachtet.* Liv. VIII, 27. *clari* magis inter populares, quam *honeſti.* Tacit. Hiſt. II, 10. Vibius Criſpus inter *claros* magis quam *honeſtos.* Alii ſic interpungunt: factioſi domi, potentes apud ſoc., clari magis etc.

4) *non mediocrem*, per ſe cupidum et inflammatum. Cf. c. 6. n. 15.

5) *Romae — venalia eſſe.* Cf. c. 55. et Cat. c. 50. Quibus verbis ſatis ſignificabant, ſe ipſos in primis eſſe venales, ſi Jugurtha rex fieri cogitaret.

6) *et* ante *ipſe* C. delevit.

7) *donat. atque laudatum* cf. C. 54. init.

8) *praetorium* i. e. tabernaculum imperatoris, qui omnes olim praetores dicti.

9) *adduxit*, C., e Gruteri conjectura, mutavit in *abduxit*, ſed quum ſenſus eo non mutetur, vulgata quoque bona lectio non mutanda eſt. Nam in *abduxit* reſpicitur locus *e quo*, in *adduxit*, *in quem.*

10) „*Publice* eſt, cum republica et omni populo Romano, publiciſque officiis, *privatim* contra, cum hominibus privatis, nempe muneribus." C.

11) Loco *quibus* libri nonnulli *aliquibus*, quae, niſi vera lectio, interpretatio tamen eſt.

12) *artibus*, virtutibus, fortitudine et obedientia, quas in bello oſtendiſſet. Cf. Cat. 2. n. 14.

gloriam et regnum venturum: ſin properantius pergeret, ſuamet ipſum pecunia praecipitem caſurum.

CAPUT IX.

Sic locutus, cum literis eum, quas Micipſae redderet, dimiſit: earum ſententia haec erat: *Jugurthae tui bello Numantino longe maxuma virtus fuit: quam rem tibi certo ſcio gaudio eſſe. nobis ob merita ſua carus eſt: uti idem Senatui ſit et populo Romano, ſumma ope nitemur. Tibi quidem pro noſtra amicitia gratulor: en habes virum dignum te atque avo ſuo Maſiniſſa.* Igitur rex, ubi ea, quae fama acceperat, ex literis imperatoris ita eſſe cognovit, cum virtute viri, tum gratia permotus, flexit animum ſuum et Jugurtham beneficiis vincere adgreſſus eſt: ſtatim

---

CAPUT IX.

In literis, quibuscum Scipio eum dimiſit, optimum virtutis ejus teſtimonium ſcriptum erat. Hinc Micipſa eum adoptavit et pariter cum filiis ſuis heredem inſtituit, animum ejus cupidum beneficiis fortaſſe victurus.

1) *eum* poſt *literis* C. abjecit.

2) *redderet.* Sic recte Latini. Nam qui tradit, quod accepit, is proprie non dat, ſed *reddit.*

3) *ſententia*, ſumma, ſeu ſummarium, argumentum.

4) *certo ſcio.* Pro *certo* Grut. mavult *certe*, ne eadem terminatio ter recurrat. At. Tacit. Ann. XVI, 5. falſa antea ſomnia ſua; quibus ſimilia plura Jac. Gronovius eidem auctori reſtituit.

5) *ſua* et *eſt* C. delevit.

6) *uti idem* etc. H.: uti idem Senatui Populoque R. ſit.

7) *ubi ea.* Pronomen *ea* apud C. deeſt.

8) *gratia*, qua eum apud Scipionem eſſe videbat.

9) *flexit*, commutavit, aliud conſilium cepit.

10) *vincere*, ſibi obligatum gratumque erga ſe reddere, et ſic voluntati ſuae ſubjicere. Alii explicant: merita ejus beneficiis ſuperare. Alii malunt *vincire*, contra Cdd.

que eum adoptavit, et teſtamento pariter cum filiis heredem inſtituit. Sed ipſe paucos poſt annos, morbo atque aetate confectus, cum ſibi finem vitae adeſſe intelligeret, coram amicis et cognatis, item Adherbale et Hiempſale filiis, dicitur hujuscemodi verba cum Jugurtha habuiſſe.

Caput X.

Parvum ego, Jugurtha, te, amiſſo patre, ſine ſpe, ſine opibus, in meum regnum accepi; exiſtumans non minus me tibi, quam liberis, ſi genuiſſem, ob beneficia carum fore, neque ea res falſum me habuit. Nam ut alia magna et egregia facinora tua omittam, noviſſume rediens Numantia meque regnumque meum

11) *eum* ante *adoptavit* C. omiſit.
12) *finem vitae.* C. 10. ,,nunc quoniam mihi natura *finem vitae* facit."
13) *hujuscemodi.* Cat. c. 20. init. ,,orationem *hujuscemodi* habuit" ubi vid. n. 5. et 50. n. 28. Cic. de Orat. II, 47. ,,verbis, quae a me ſunt *habita.*"

Caput X.

Micipſae moribundi oratio, in qua Jugurtham laudat et obteſtatur, ut fratres ſuos ſibi ſervet amicos, Adherbalem autem et Hiempſalem admonet, ut fratrem ſuum Jugurtham imitentur atque obſervent.

1) *ſine opibus.* C. 5. extr. ,,quem Maſiniſſa privatum reliquerat."
2) *carum fore* i. e. me non minus dilectum iri a te, quam a liberis, ſi quos genuiſſem. Quum autem Micipſa Jugurtham acciperet, quo tempore ipſe nondum liberos habebat, recte de illo tempore loquens, Jugurtham et liberos ſibi futuros, in amore comparavit. M. aut *liberis* aut *ſi genuiſſem* expungendum conjicit.
3) *falſum habuit*, fefelſit. Vid. Cat. 25. n. 13.
4) *facinora.* Hanc vocem alii omittunt, alii *facta* legunt.

gloria honoraviſti: tua virtute nobis Romanos ex amicis amiciſſumos feciſti: in Hiſpania nomen familiae renovatum eſt: poſtremo, quod difficillumum inter mortalis, gloria invidiam viciſti. Nunc, quoniam mihi natura vitae finem facit, per hanc dextram, per regni fidem moneo obteſtorque, uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres ſunt, caros habeas: neu malis alienos adjungere, quam ſanguine conjunctos retinere. Non exercitus, neque theſauri praeſidia regni ſunt, verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio et fide pariuntur. Quis autem amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, ſi tuis hoſtis fueris? Equidem ego vobis regnum trado firmum, ſi boni eritis; ſin mali, imbecillum. Nam concordia parvae res creſcunt, discordia maxumae dilabuntur. Celerum ante hos te, Jugurtha, qui aetate et ſapientia prior es, ne aliter quid eveniat, providere decet.

5) *nomen*, quod comparaverat ſibi Maſiniſſa, quo tempore a Carthaginienſium partibus ſtabat. Vid. c. 5. n. 15.
6) *eſt* poſt *renovatum* C. omiſit.
7) *regni fidem*, ,,per fidem, quam in regnum acceptus debes." C. Rectius puto: per fidem regis, quae ſacra eſt ſicuti dextra. c. 24. ,,per majeſtatem imperii."
8) *obteſtorque.* Libri aliquot *te* adjiciunt.
9) *verum amici.* Xenoph. Cyrop. VIII, 7, 15. ,,*οὐ τόδε τὸ χρυσοῦν σκῆπτρον τὸ τὴν βασιλείαν διασῶζόν ἐστιν, ἀλλ' οἱ πιστοὶ φίλοι* etc. cf. Herodian. I, 4, 4.
10) *frater fratri.* Quinctil. Declam. 321. init. ,,quae poteſt amicitia eſſe tam felix, quae imitetur fraternitatem? Certe quoties blandiri volumus his, qui eſſe amici videntur, nulla adulatio procedere ultra hoc nomen poteſt, quam ut *fratres* vocemus."
11) *boni*, i. e. concordes, *mali* discordes. Alii explicant: *brav*, *wohlgeſinnt.*
12) *Nam concordia* etc. Hanc ſententiam repetit Seneca Epp. 94.

Nam in omni certamine, qui opulentior eſt, etiam ſi accipit injuriam, quia plus poteſt, facere videtur. Vos autem, Adherbal et Hiempſal, colite, obſervate talem hunc virum, imitamini virtutem et enitimini, ne ego meliores liberos ſumſiſſe videar, quam genuiſſe.

Caput XI.

Ad ea Jugurtha, tametſi regem ficta locutum, intelligebat, et ipſe longe aliter animo agitabat: tamen pro tempore benigne reſpondit. Micipſa paucis diebus moritur. Poſtquam illi, more regio, juſta magnifice fecerant reguli, in unum convenere, uti

13) *Nam in omni* etc. Seneca Phoen. V. 585. „Animus enim infirmo ſemper favet." Herodian. IV, 5. τοῖς μὲν γὰρ δυστυχήσασιν ἔλεος, τοῖς δὲ κρατήσασι φθόνος κεῖσθαι, τὸ δὲ νικῆσαν παρακολουθεῖ. καὶ τὸ μὲν ἡττηθὲν τοῖς τοιούτοις ἀδι-ἀδικεῖν δοκεῖ. Ceterum *opulentior* i. q. viribus ſuperior et *facere* injuriam i. q. inferre.
14) *talem*, tam praeclarum.
15) *ſumſiſſe*, adoptaſſe.

Caput XI.

Jugurtha promittit quidem, ſe patris votis ſatisfacturum eſſe, ſed e primo ſtatim cum fratribus conventu tam hoſtili animo diſcedit, ut Hiempſalem, a quo laeſus erat, dolo interficere ſecum conſtitueret.

1) *ficta*, non ex animo tam benevole locutum eſſe, ſed timore permotum. De Broſſ. „*Jugurtha ſentit bien, que le Roi ne parloit pas tout-à-fait ſelon ſa penſée.*"
2) *longe aliter*. Non enim concors eſſe cum fratribus, ſed totum regnum ad ſe rapere cupivit.
3) *tametſi — tamen*. Vid. c. 6. n. 6.
4) *benigne*, e patris votis.
5) *moritur*. Secund. Broſſ. mortuus eſt Cirtae a. u. 635, poſtquam regnaverat annos triginta.
6) *juſta*, graece τὰ νομιζόμενα, exequias.
7) *reguli*, Adherbal, Hiempſal et Jugurtha, qui et ob tertiam, quam quisque acceperat Numidiae partem, et ob parvam aetatem ita vocantur. Cf. Liv. 45, 15. et Juſtin. 43, 4.

inter ſe de cunctis negotiis diſceptarent. Sed Hiempſal, qui minumus ex illis erat, natura ferox, etiam antea ignobilitatem Jugurthae, quia materno genere impar erat, deſpiciens, dextera Adherbalem adſedit: ne medius ex tribus, quod apud Numidas honori ducitur, Jugurtha foret. Dein tamen, uti aetati concederet, fatigatus a fratre, vix in partem alteram transductus eſt. Ibi cum multa de adminiſtrando imperio diſſererent, Jugurtha inter alias res jacit: *oportere quinquennii conſulta omnia et decreta reſcindi. nam per ea tempora confectum annis Micipſam parum animo valuiſſe.* Tum, *idem*, Hiempſal, *placere ſibi*, reſpondit: *nam ipſum illum tribus his proxumis annis adoptatione in regnum perveniſſe.* Quod ver-

8) *minumus* ſupple *aetate*. Liv. I, 53. „qui *minimus* ex tribus erat."
9) *antea*. Cdd. aliq. *ante* legunt, quod poſitum eſſet pro antea; nam *ignobilitatem* a *deſpiciens* pendet.
10) *quia—erat*. Haec verba contra omnium Cdd. auctoritatem C. incluſit, tanquam e. c. 108. huc perperam translata. Cf. c. 5. extr.
11) *Adherbalem* i. q. Adherbali, ita ut Adherbal medium locum, ipſe inferiorem haberet, Jugurtha denique infimum ad Adherbalis ſiniſtram occupare cogeretur.
12) *quod apud Num.* Medium locum non apud Romanos ſolum, ſed etiam apud nos, aliosque eſſe in tribus perſonis honorificentiſſimum, ſatis conſtat. Hinc ſuperſedere potuiſſet addere: quod apud Numidas honori ducitur.
13) *aetati*, Jugurthae, qui aetate prior erat.
14) *fatigatus*. C. 66. „Vagenſes *fatigati* regis ſuppliciis." Juſtin. VI, 2. „Conon, diu rege per epiſtolas fruſtra *fatigato*."
15) *jacit*, obiter commemorat (*wirft hin*). Tacit. Ann. I, 10. quaedam de habitu cultuque et inſtitutis *jecerat*. Liv. 34, 5. „in quos conſul haec *jecit*."
16) *quinquennii* int. poſtremi.
17) *reſcindi*, aboleri, reſolvi.
18) Vocem *annis* C. perperam incluſit.
19) *adoptatione* i. q. adoptione, ad analogiam vocum *optio* et *optatio*, *notio* et *notatio*.

bum in pectus Jugurthae altius, quam quisquam ratus erat, deſcendit. Itaque ex eo tempore ira et metu anxius moliri, parare, atque ea modo cum animo habere, quibus Hiempſal per dolum caperetur. Quae ubi tardius procedunt, neque lenitur animus ferox, ſtatuit quovis modo inceptum perficere.

Caput XII.

Primo conventu, quem ab regulis factum ſupra memoravi, propter disſenſionem placuerat, dividi theſauros finisque imperii ſingulis conſtitui. Itaque tempus ad utramque rem decernitur, ſed maturius ad pecuniam distribuendam. Reguli interea in loca propinqua theſauris alius alio conceſſere.

---

20) *ratus erat*. Vocem *erat* C. delevit.
21) *anxius*, commotus Tacit. Hiſt. II, 92. *anxii odiis*, Annal. I, 14. „*anxius invidia*."
22) *cum animo*. In nonnullis *cum* eſt omiſſum. Cf. c. 13. „*cum* animo reputans." c. 70. proinde reputaret *cum* animo ſuo. Terent. Adelph. III, 5, 55. „*cum* animo cogites."
23) *per dolum*. Vid. c. 6. extr. Huic oppoſitum eſt ſtatim ſequens: *quovis modo*.

Caput XII.

Hiempſal in oppido Thirmida a militibus Jugurthae noctu in domum, ubi habitabat a hoſpite inmiſſis trucidatur caputque ejus ad Jugurtham defertur.

1) *ſupra*, paullo ante c. 11.
2) *propter disſenſionem*, quum in regno communiter adminiſtrando, quod pater voluiſſe videtur, convenire non potuiſſent. Broſſ. „*déſeſpérant de ſ' accorder*." B. „ne disſenſioni locus eſſet."
3) *alius alio*. Quod ob discordiam factum videtur, quoniam ad conſtitutum diviſionis tempus in patria ſede manere non poterant. Iſtos autem theſauros in oppidis diverſis fuiſſe ſervatos, capp. 37. 75. 92. docent. Quare vero non in ipſas urbes, ubi theſauri

Sed Hiempſal in oppido Thirmida forte ejus domo utebatur, qui proxumus lictor Jugurthae, carus acceptusque ei ſemper fuerat. quem ille caſu miniſtrum oblatum promiſſis onerat impellitque, uti tamquam ſuam viſens domum eat, portarum clavis adulterinas paret; nam verae ad Hiempſalem referebantur. ceterum, ubi res poſtularet, ſe ipſum cum magna manu venturum. Numida mandata brevi

---

erant, ſeceſſerint, ſed tantum in loca *theſauris* propinqua, id non intelligo. Ad has difficultates tollendas M. vocem *theſauris* non male incluſit. Tunc ad *propinqua* intelligend. erit *Cirtae*. Reguli ſcilicet poſt Micipſae exequias ob discordiam non uno loco manebant, ſed diverſa domicilia ſibi eligebant, donec finibus cujusque imperii conſtitutis, quisque ſuam regiam ſedem occuparet.
4) *Thirmida* oppidum ignotum. Nomen ejus, ut omnia nomina propria minus ſaepe occurentia in Cdd. varie ſcribitur. M. conjicit in oppido *Cirta*.
5) *proxumus lictor*, „i. e. eſt proxime praecedens regem vel magiſtratum, alias primus dictus. Lictor Romano more vocatus h. l *ſatelles* eſt.
6) *ei* i. e. Jugurthae, C. *ei* unius Cd. auctoritate delet. B. illud retinendum cenſet et ad Hiempſalem refert, ut cauſa adſit, cur ejus domo uſus ſit. Sed tum auctori fuiſſet h. l. (ob ambiguitatem) dicendum, non *ei*, ſed *ſibi*. Accedit, quod Hiempſal non *conſilio*, ſed *forte* utebatur ejus domo, quae fors omnem rationem excludit.
7) *onerat*, cumulat, obruit. — *impellitque* C. contra Cdd. auctoritatem pro gloſſemate ejecit.
8) *clavis adulterin.* (*Nachſchlüſſel*) quae h. l. opponuntur *veris*. Cic. *nummos* adulterinos opponit *bonis*. De Off. III, 23.
9) *paret*, antea, ſub praetextu domum ſuam viſendi ſibi comparet, ut deinde ope earum noctu ſine tumultu milites introducere poſſet.
10) *referebantur* int. quavis nocte.
11) *magna*. Hanc vocem Waſſius a mala manu eſſe putat. Nam *magna* manu h. l. opus non erat. Sed adjectum eſt: *ubi res poſtularet*, et *magna* non urgendum eſt.

confecit: atque, ut doctus erat, noctu Jugurthae milites introducit. Qui poſtquam in aedis irrupere, diverſi regem quaerere: dormientis alios, alios occurſantis interficere: ſcrutari loca abdita; clauſa effringere: ſtrepitu et tumultu omnia miſcere: cum Hiempſal interim reperitur, occultans ſeſe tugurio mulieris ancillae, quo initio pavidus et ignarus loci perfugerat. Numidae caput ejus, ut juſſi erant, ad Jugurtham referunt.

Caput XIII.

Ceterum fama tanti facinoris per omnem Africam brevi divulgatur; Adherbalem omnisque, qui ſub imperio Micipſae fuerant, metus invadit. in duas partis discedunt Numidae: plures Adherbalem ſe-

---

12) *diverſi*, locis aedium diverſis. Cf. ad Cat. 2. n. 3.
13) *tugurio*. „Gloſſae *caſam* et *καλύβην* exponunt." C. parva et vilis caſa intra murum.
14) *mulieris ancillae*. Apud Nepot. Miltiad. 2. *femina vidua* ſimiliaque apud alios occurrunt, antiquo ſane graecoque more, ubi *vidua*, *ancilla* aliaque adjectiva, ſubſtantivorum partes nondum agebant.
15) *caput — referunt*. Tum fidei caedis peractae cauſſa, tum praemii adquirendi. Vid. Freinsh. ad Flor. IV, 9. Ceterum hac in re diſſentit Liv. Epit. 62. ubi narratur, Hiempſalem in proelio victum a Jugurtha occiſum eſſe.

Caput XIII.

Quo facto Numidae in duas partes discedunt, plures Adherbalem, bello meliores Jugurtham ſequuntur. Sed Adherbal in proelio victus primum in provinciam deinde Romam profugit, Jugurtha, omni Numidia potitus Romam mittit, qui principes pecunia corrumpant; quibus corruptis Adherbali et Jugurthae legatis Senatus datur.

1) *metus invadit*, ob imminens bellum.
2) *Numidae*. Hanc vocem C., cum nonnullis Cdd. expunxit.

quuntur, ſed illum alterum bello meliores. Igitur Jugurtha quam maxumas poteſt copias armat: urbis partim vi, alias voluntate imperio ſuo adjungit: omni Numidiae imperare parat. Adherbal, tametſi Romam legatos miſerat, qui Senatum docerent de caede fratris et fortunis ſuis; tamen fretus multitudine militum, parabat armis contendere. Sed ubi res ad certamen venit, victus ex proelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit. Tum Jugurtha, patratis conſiliis, poſtquam omni Numidia potiebatur, in otio facinus ſuum cum animo reputans, timere populum Romanum, neque advorſus iram ejus usquam, niſi in avaritia nobilitatis et pecunia ſua, ſpem habere. Itaque paucis diebus cum auro et argento multo legatos Romam mittit, quis praecipit, uti primum veteres amicos muneribus exple-

---

3) *bello meliores*, fortiores. Tacit. Germ. c. 32. „ferox bello et *melior*."

4) *fortunis* i. e. de rationibus ſuis omnique rerum ſuarum ſtatu.

5) *ex proelio*. Alii *ex* omittunt et proelio ad *victus* referunt. Sed auctor notare voluit, Adherbalem, proelio facto, non arcem aliquam aut caſtellum petiiſſe, verum ſtatim in provinciam Romanam profugiſſe.

6) *in provinciam* i. e. Africam illam Carthaginienſium, quam P. Scipio Aemilianus (Afric. minor), eruta Carthagine, in formulam provinciae redegit. Vellej. Pat. II, 38.

7) *patratis conſil.* etc. i. e. poſtquam Adherbale victo, omni Numidia potitus erat. C. verba: *poſtq. omni Numid. potiebatur*, ut explanationem verborum antecedent. delevit non cogitans, credo, cauſam (victoriam de Adherbale) probe poſſe diſtingui ab eventu (occupatione Numidiae).

8) *cum animo*. Vid. ad c. 11. n. 22.

9) *legatos* C. delevit.

10) *veteres amicos*. Vid. c. 8.

ant: deinde novos adquirant: poſtremo quemcunque poſſint largiundo parare, ne cunctentur. Sed ubi Romam legati venere et, ex praecepto regis, hoſpitibus aliisque, quorum ea tempeſtate in Senatu auctoritas pollebat, magna munera miſere; tanta commutatio inceſſit, uti ex maxuma invidia in gratiam et favorem nobilitatis Jugurtha veniret. quorum pars ſpe, alii praemio inducti, ſingulos ex Senatu ambiundo, nitebantur, ne gravius in eum conſuleretur. Igitur, legati ubi ſatis confidunt, die conſtituto, Senatus utrisque datur. Tum Adherbalem hoc modo locutum accepimus.

Caput XIV.

Patres conſcripti. Micipſa pater meus moriens praecepit, uti regni Numidiae tantummodo procurationem exiſtumarem meam; ceterum jus et imperium

11) *quemcunque.* Cdd. nonnulli *quaecunque*, quod C. recepit. Quid vero, aliud parare hoc tempore utile fuiſſet, quam *amicos*, quum neque *pecunia*, quam ipſe habebat et miſerat, neque *armis* egeret.
12) *hoſpitibus* int. ſuis, apud quos deverſabantur.
13) *in Senatu.* Haec verba „C. contra Cdd. et nulla probabili ratione abjecit." B.
14) Vocem *munera* „C. fruſtra delevit." B.
15) *conſuleretur*, conſulendo decerneretur.
16) *utrisque*, Adherbali et Jugurthae legatis.
17) *Senatus — datur wird ihnen ein Senat gegeben*, ut dicimus, *eine Audienz geben.* Nep. Hannib. 7. priusquam his *Senatus daretur.* Liv. XXI, 12. extr. *Senatus* Alarco *datus* eſt.

Caput XIV.

Adherbal in Senatu Romano queritur, ſe populo Romano obedientiſſimum, e regno ſuo ab Jugurtha pulſum eſſe et ob majorum ſuorum merita in populum Romanum, auxilium contra Jugurthae injurias petit.

1) *procurationem — meam.* C. legit: uti regn*um* Numidiae tantummodo procuratio*ne* exiſtumarem me*um*. cf. Liv. XLV, 13.
2) Poſt *imperium* plures Cdd. *ejus* addunt.

penes vos eſſe: ſimul eniterer, domi militiaequae maxumo uſui eſſe populo Romano. vos mihi cognatorum, vos in adfinium locum ducerem: ſi ea feciſſem, in veſtra amicitia exercitum, divitias, munimenta regni me habiturum. Quae cum praecepta parentis mei agitarem; Jugurtha, homo omnium, quos terra ſustinet, ſceleratiſſumus, comtemto imperio veſtro, Maſiniſſae me nepotem, et jam ab ſtirpe ſocium et amicum populi Romani regno fortunisque omnibus expulit. Atque ego, Patres conſcripti, quoniam eo miſeriarum venturus eram, vellem, potius ob mea, quam

3) *in — locum* i. q. loco. Juſtin. XII, 12. juſſus Macedonib. praeeſſe *in* Antipatri *locum.* Cic. Verr. VII, 28. *In* piratarum *locum*, cives Romani hoſtil*em in* mod*um* cruciati et necati ſunt."
4) *me habiturum.* C. abjecto *me*, pro *habiturum* legit *habere.*
5) *Quae cum praecepta.* C. e Grut. conject. legit *quae cum agitarem*, ſcilicet ut Salluſt. quam breviſſime loquatur.
6) *ab ſtirpe* (*von Geburt*) i. e. non factus, ſed natus amicus.
7) *populi Romani.* C. e. MSS. ut dicit, *populo Romano.* Utrumque per ſe quidem recte habet. Nam plura adjectiva, *ſimilis*, *amicus* aliaque, ſi ſubſtantive ſumuntur, genitivum ſecum habent, ſi adjective dativum, ſine omni ſignificationis discrimine. Amicus patris (*des Vaters Freund*) amicus patri (*dem Vater Freund*). Hinc Grammaticorum discrimen inter *ſimilis* cum genitivo et idem cum dativo conſtructum, nil niſi mera fictio eſt. In talibus major Cdd. numerus ſolus decernit.
8) *fortunisque omn.* i. e. omnibus bonis cum regni parte acceptis.
9) *eo miſeriarum.* Vid. c. 5.
10) *vellem* etc. Senſus totius eſt: Romanorum auxilium petere malim ob mea potius, quam majorum meorum beneficia, deinde me auxilio Romanor. prorſus non egere, denique ſi utendum eſſet illo, me uti poſſe ut debito. C. omnia hujus loci pronomina *meorum*, *me*

ob majorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere; ac maxume deberi mihi beneficia a populo Romano, quibus non egerem; secundum ea, si desideranda erant; uti debitis uterer. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas, neque mihi in manu fuit, Jugurtha qualis foret: ad vos confugi, Patres conscripti, quibus, quod mihi miserrumum est, cogor prius oneri, quam usui esse. Ceteri reges, aut bello victi in amicitiam a vobis recepti sunt, aut in suis dubiis rebus societatem vestram adpetiverunt. Familia nostra cum populo Romano bello Carthaginiensi amicitiam instituit: quo tempore magis fides ejus, quam fortuna petenda erat. Quorum progeniem vos, Pa-

(post posse) *vobis* et praepositionem *a* ante vobis delevit, scilicet, quia e lege brevitatis, salvo sensu, abesse poterant. Cf. c. 7.

11) Vocem *beneficia* C. expunxit.

12) *secundum ea* etc. Sic vulgo interpungitur et *secundum* cum *ea* copulatur, significatione *hiernächst*, *nach diesem*, sed fortasse comma post *secundum* ponendum est et *ea* ad antecedens *officia*, (*auxilia*) referendum, ita ut *secundum* per se significet *zweitens* s. *hiernächst*. Quid enim impedit, quominus Priscian. ap. Putsch. p. 977. erraverit, praecipiens *secundum* subinde praepositionis locum tenere (secundum *ea*), et unum hunc Sallustii locum ad praeceptum suum firmandum affert. Paullo aliter M. explicat. Cd. Rostoch. *sed ea* habet.

13) *probitas*; quoniam probitate mea, Jugurthae malitiam ortumque ex ea bellum, evitare non poteram.

14) *neque in manu fuit* etc. neque in potestate mea fuit, eum ad observantiam justi et aequi vi adigere.

15) *mihi* et *est* (ante et post *miserrumum*) C. abjecit.

16) *Ceteri reges* etc. Urbane dictum est pro: Alii societatem vestram petierunt in *suis* dubiis rebus, vos contra nostram petiistis in *vestris*, bello Punico secundo Numantinoque.

17) *magis fides* etc. i. e. quo tempore non tam fortuna populi Rom., quae minus prospera fuit, respicienda erat, quam fides.

18) *Quorum* per Synesin positum est pro *cujus* (familiae).

tres conscripti, nolite pati, me, nepotem Masinissae frustra a vobis auxilium petere. Si ad impetrandum nihil causae haberem, praeter miserandam fortunam; quod paullo ante rex, genere, fama atque copiis potens, nunc deformatus aerumnis, inops, alienas opes exspecto: tamen erat majestatis Romani populi, prohibere injuriam, neque pati, cujusquam regnum per scelus crescere. Verum ego his finibus ejectus sum, quos majoribus meis populus Romanus dedit: unde pater et avus una vobiscum expulere Syphacem et Carthaginienses. Vestra beneficia mihi erepta sunt, Patres conscripti: vos in mea injuria despecti estis.

19) Verba *me nep. Mas.* C. delevit, quae quamquam repetita e superioribus, tamen ob emphasin et contra Cdd. auctoritatem minime delenda erant.

20) *ad impetrandum* int. auxilium.

21) *tamen erat. Erat* pro *esset*, quod posterius in hypothesi est usitatius, antecedente praesertim *haberem*. Sed quoniam in hypothesi indicativus quoque locum habere potest, nosterque amat varietatem: altero loco indicativo usus est, altero conjunctivo. Ceterum loci sententia est, etsi ob nullam aliam causam auxilium vestrum exspectare possem, tamen jam miseria mea Jugurthaeque scelus, me vestra ope, quibus ob magnitudinem imperii omnis injuria punienda est, redderent dignissimum.

22) *erat majestatis*. Ad hujus generis genitivum intelligunt vulgo *officium* s. *opus*, praeeunte Sanctio (Minerv. IV, 4.). At si infinitiv. *prohibere injuriam*, substantivi vim habet, non est necesse, ut genitivi hujusce explicandi causa, ad ellipsin confugiamus.

23) *neque pati*. Verbum *pati* C. delevit et *crescere* mutavit in *cresceret*.

24) *unde pater* etc. Vid. c. 5.

25) *beneficia* i. e. regnum, quod vobis debet familia nostra mihi ereptum est. C. *mihi* delevit; quod emphasis, quae pronomini h. l. inest, vix patitur.

26) *in mea injuria*, mihi ab Jugurtha illata. cf. Cat. c. 51. n. 55.

Eheu me miſerum: Huccine, Micipſa pater, beneficia tua evaſere? uti, quem tu parem cum tuis liberis, regnique participem feciſti, is potiſſumum ſtirpis tuae exſtinctor ſit? Numquamne ergo familia noſtra quieta erit? ſemperne in ſanguine, ferro, fuga verſabimur? Dum Carthaginienſes incolumes fuere, jure omnia ſaeva patiebamur: hoſtes ab latere, vos amici procul, ſpes omnis in armis erat. Poſtquam illa peſtis ex Africa ejecta eſt, laeti pacem agitabamus: quippe queis hoſtis nullus, niſi forte quem juſſiſſetis. Ecce autem ex improviſo Jugurtha, intoleranda audacia, ſcelere atque ſuperbia ſeſe eeferens, fratre meo, atque eodem propinquo ſuo interfecto, primum regnum ejus, ſceleris ſui praedam fecit: poſt, ubi me iisdem dolis nequit capere, nihil minus, quam vim, aut bellum exſpectantem in imperio veſtro, ſicuti videtis, extorrem patria, domo, inopem et coopertum miſeriis effecit, ut ubivis tutius, quam in meo regno eſ-

---

27) *Huccine — evaſere benef. tua: iſt es mit deinen Wohlthaten dahin gekommen? tua* C. cum paucis libr. delevit. Ad beneficia ſupple in Jugurtham.

28) *parem cum t. liberis.* Vid. c. 9. *tuis* C. abjecit. De parem *cum* vid. Ducker. ad Flor. II, 4.

29) *jure*, non praeter exſpectationem.

30) *peſtis.* Ita Carthaginienſes dicuntur, propter perniciosam dominationem, ut piratae apud Flor. III, 6.

31) *queis* C. quippe *quis.* Vid. Cat. 1. n. 1.

32) *quem juſſiſſetis* e. c. Numantinos. Vid. c. 7. init.

33) *fratre — interfecto.* Vid. c. 12.

34) *exſpectantem*, timentem. c. 58. alia omnia, quam proelium *exſpectanti.* Cf. Liv. XXII, 19. „nihil minus, quam hoſtem eo die exſpectantes."

35) *in imperio veſtro*, in imperio meo, quod revera veſtrum eſt. Vid. init.

36) *effecit* i. q. reddidit, id efficiens ut ubivis tutior, quam in regno meo eſſem. Ordo autem Salluſtii Hyſteronproteron eſt. Pro ſeq. *tutius* Cdd. nonnulli *tutior*; ſed C. monet, Salluſtium aliosque adverbia ponere adjectivorum loco.

ſem. Ego ſic exiſtumabam, Patres conſcripti, ut praedicantem audiveram patrem meum; qui veſtram amicitiam diligenter colerent, eos multum laborem ſuscipere: ceterum ex omnibus maxume tutos eſſe. Quod in familia noſtra fuit, praeſtitit, uti in omnibus bellis vobis adeſſet. nos uti per otium tuti ſimus, in manu veſtra eſt, Patres conſcripti. Pater nos duos fratres reliquit: tertium, Jugurtham, beneficiis ſuis ratus eſt nobis conjunctum fore. alter eorum necatus, alterius ipſe ego manus impias vix effugi. Quid agam? quo potiſſumum infelix accedam? generis praeſidia omnia exſtincta ſunt: pater, uti neceſſe erat, naturae conceſſit; fratri, quem minume decuit, propinquus, per ſcelus vitam eripuit; adfines, amicos, propinquos ceteros, alium alia clades oppreſſit: capti ab Jugurtha, pars in crucem acti, pars beſtiis objecti; pauci, quibus relicta anima, clauſi in tenebris, cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. Si omnia, quae aut amiſi, aut ex neceſſariis

---

37) *diligenter* C. ut gloſſam delevit.

38) *Quod in fam. noſtra fuit*, quod per familiam noſtram ſtetit, in ea poſitum fuit, id praeſtitit.

39) Pro *adeſſet* C. ex uno Cd. *adeſſent*, ob collectivum *familia* et ut auctor variet.

40) *per otium* i. e. cum pacem habemus et vos nullum bellum juſſiſtis. Ita C. Qua explicatione admiſſa, ſumendum eſt, Adherbalem id bellum, quo ipſe patria eſt ejectus, nolle bellum dicere, quum ſit injuſſu pop. Rom. geſtum. Sed explicare quoque poſſis, uti ſine bello, ſ. in pace tutus vivere poſſim.

41) *ratus eſt.* C. *eſt* omiſit.

42) *generis* i. e. propinquorum meorum adfiniumque.

43) *quem* ad ſequens propinquus referendum eſt.

44) *pars — acti.* Cf. c. 58. init. „magna pars *volnerati* aut *occiſi*" c. 60. extr. „magna pars *confecti* volneribus." Cic. de Fin. V. 30. „quum (Polycrates) ab Oroete in crucem *actus eſt.*"

45) *quae aut amiſi*, ad regnum atque fortunas ſpectant. *quae ex neceſſariis advorſa facta ſunt*, i. e. quae mala mihi

adverſa facta ſunt, incolumia manerent, tamen, ſi quid ex improviſo accidiſſet, vos implorarem, Patres conſcripti; quibus, pro magnitudine imperii, jus et injurias omnis curae eſſe decet. Nunc vero exſul patria, domo, ſolus et omnium honeſtarum rerum egens, quo accedam, aut quos adpellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae noſtrae ob veſtram amicitiam infeſti ſunt? an quoquam adire licet, ubi non majorum meorum hoſtilia monumenta plurima ſint? aut quisquam noſtri miſereri poteſt, qui aliquando vobis hoſtis fuit? Poſtremo Maſiniſſa nos ita inſtituit, Patres conſcripti, ne quem coleremus, niſi populum Romanum, ne ſocietates, ne foedera nova acciperemus: abunde magna praeſidia nobis in veſtra amicitia fore: ſi huic imperio fortuna mutaretur, una nobis occidendum eſſe. Virtute ac diis volentibus magni eſtis et opulenti; omnia ſecunda et obedientia ſunt: quo facilius ſociorum injurias curare licet. Tantum illud ve-

---

ex adfinium clade acciderunt. (Aliter C.) — *incolumia manerent*, (*manſiſſent*) *infecta fuiſſent.* Alii *ex neceſſariis* explicant: a neceſſario meo Jugurtha; ubi conſtruendum erit: quae ex neceſſariis aut amiſi aut advorſa facta ſunt.

46) *accidiſſet* int. levius malum.

47) *implorarem* i. q. imploraſſem.

48) *quibus — curae eſſe decet.* *Quibus* aut referendum eſt ad *curae eſſe* ita ut *decet* abſolute poſitum ſit pro *decorum eſt*, aut *decet* h. l. cum dativo conſtructum eſt, ut apud poetas occurrit. Etiam Gellius IX, 15. „elatius, quam *aetati* ejus *decebat.*" Donat. ad Terentium Adelph. Act. V, ſc. 8. „antiqui, ſi addebant (verbo *decet*) verbum *facere*, *nos* decet facere dicebant, ſi non addebant, *nobis* decet dicebant." — *jus et injurias* i. e. ut ſuum cuique tribuatur, neque quisquam injuriam patiatur.

49) *adpellem.* „Nos ſimiliter *anſprechen*" C. Sed Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 96 ſq. pro *adpellem? nationesne* legendum conjicit *appellam? Ad nationesne.*

50) *ſecunda*, ſubjecta vobis.

reor, ne quos privata amicitia Jugurthae, parum cognita, transvorſos agat: quos ego audio maxuma ope niti, ambire, fatigare vos ſingulos, ne quid de abſente incognita cauſa, ſtatuatis: fingere me verba, fugam ſimulare, cui licuerit in regno manere. Quod utinam illum, cujus impio facinore in has miſerias projectus ſum, eadem haec ſimulantem videam: et aliquando aut apud vos, aut apud deos immortalis rerum humanarum cura oriatur: ut ille, qui nunc ſceleribus ſuis ferox atque praeclarus eſt, omnibus malis excruciatus, impietatis in parentem noſtrum, fratris mei necis, mearumque miſeriarum gravis poenas reddat. Jam jam frater, animo meo cariſſume, quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta eſt: tamen laetandum magis, quam dolendum puto caſum tuum. non enim regnum, ſed fugam, exſilium, egeſtatem et omnis has, quae me premunt, aerumnas cum anima ſimul amiſiſti. At ego infelix, in tanta mala praecipitatus ex patrio regno, rerum humanarum ſpectaculum praebeo: incertus quid agam, tuasne injurias perſequar, ipſe auxilii egens; an regno conſulam

---

51) *parum cognita.* „Grut. mavult *cogniti*, quod certe planius. Sed Cdd. non agnoſcunt." B.

52) *transvorſos agat*, in pravum abſtrahat a via juſtitiae. Vid c. 6.

53) *eadem — ſimulantem vid.* i. e. in eadem fuga videam, quam ex eorum verbis ſimulo. Tellerus locum male intellexit.

54) *ut ille — reddat.* Sic omnes fere Cdd. bene legunt. Sed C. voculam *ut* in *ne* (antique pro *nae*) et *reddat* audacter in *reddet* mutavit, eoque hunc. loc. impeditiorem reddidit.

55) *tibi immaturo.* „C. *tibi* omiſit, cui tamen reſpondet *unde* (a quo) ſequens." B.

56) *non enim regnum* etc. quamquam bona magna (regnum) amiſiſti, tamen et mala majora effugiſti.

57) *rerum humanarum ſpect.* i. e. viciſſitudinis rerum humanarum exemplum, quae ſemper fluxae ac mobiles ſaepius in adverſa mutantur.

cujus vitae necisque poteſtas ex opibus alienis pendet. Utinam emori fortunis meis honeſtus exitus eſſet: ne vivere contemtus viderer, ſi defeſſus malis injuriae conceſſiſſem. Nunc neque vivere lubet, neque mori licet ſine dedecore. Patres conſcripti, per vos, per liberos atque parentes veſtros, per majeſtatem populi R. ſubvenite miſero mihi; ite obviam injuriae: nolite pati, regnum Numidiae, quod veſtrum eſt, per ſcelus et ſanguinem familiae noſtrae tabeſcere.

Caput XV.

Poſtquam rex finem loquendi fecit, legati Jugurthae largitione magis, quam cauſa freti, paucis

58) *alienis pendet* i. e. an de ultione tui ſecurus, regnum tantum meum recuperare quaeram, cum ne vitae quidem meae necisque potens ſim, i. e. per me ipſe eam neque amittere neque ſervare poſſim

59) *Utinam emori* etc. i. e. utinam hanc meam miſeram conditionem cum morte ſine ignominia commutare poſſem, ne contemtus viverem infortunio meo ſuccumbens.

60) *ne* (ante *vivere*) C. e conjectura in *neu* mutavit. Sed quum ſenſus idem prorſus maneat, equidem vulgatam retinui.

61) *ſi defeſſ. malis inj. conceſſ.* Haec verba varie conſtrui poſſunt. Tu, credo, optime facies, ſi vocem *malis* (i. e. infortunio meo) cum defeſſus, et *injuriae* (ſupple a Jugurtha mihi meisque illatae) cum *conceſſiſſem* conjunxeris. Concedere autem injuriae i. q. injuriam inultam ſinere.

62) *per vos, per liberos.* C. ex uno Cd. *per vos liberos atque parentes.*

63) *tabeſcere* „i. e. dignitate ſua privari et paullatim interire, quaſi, ſi Jugurtha teneret (regnum) non tam vetus illa Numidarum gloria, quam Romanorum jus (potentia) periiſſet." C. Cf. c. 2.

Caput XV.

Jugurthae legati omnem culpam in ipſum Adherbalem conferunt. Senatus, vel gratia vel pecunia Jugurthae corruptus, Adherbalis dicta contemnit; Jugurtham laudibus effert. Pauci tantum, in quibus maxime Aem. Scaurus Adherbali ſubveniendum eſſe cenſent.

reſpondent; *Hiempſalem ob ſaevitiam ſuam ab Numidis interfectum; Adherbalem ultro bellum inferentem, poſtquam ſuperatus ſit, queri, quod injuriam facere nequiviſſet. Jugurtham ab Senatu petere, ne alium putarent, ac Numantiae cognitus eſſet, neu verba inimici ante facta ſua ponerent.* Deinde utrique curia egrediuntur. Senatus ſtatim conſulitur: fautores legatorum, praeterea magna pars, gratiâ depravata, Adherbalis dicta contemnere; Jugurthae virtutem extollere laudibus; gratiâ, voce, denique omnibus modis pro alieno ſcelere et flagitio, ſua quaſi pro gloria, nitebantur. At contra pauci, quibus bonum et aequum divitiis carius, ſubveniundum Adherbali et Hiempſalis mortem ſevere vindicandam cenſebant. ſed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factioſus,

1) *Numantiae*, ad Numantiam. Vid. c. 7.

2) *conſulitur* i. e. a conſule ſententiam rogatur. Varro de L. L. *conſul* nominatus, quod *conſulere* populum et Senatum debet" Cf. Cat. c. 48. n. 25.

3) *magna pars.* Cdd. nonnulli addunt *Senatus*, partim ante *magna*, partim poſt *pars*.

4) *gratiâ* (amicitiâ) Jugurthae, non pecuniâ, ut reliqui corrupta.

5) Pro *depravata* (refer ad *pars*) C. ex uno Cod. *depravati* ob Salluſtii morem. c. 14. *pars* in crucem *acti*, *pars* beſtiis *objecti*. c. 58. magna *pars vulnerati*, aut *occiſi*; quem morem Livius aliique ſequuntur. Sed *depravata* eſt conſtans h. l. ceterorum omnium Cdd. lectio.

6) *laudibus — voce.* Grut. ſic diſtinguendum cenſet: „extollere laudibus, gratia, voce." *gratiâ*, auctoritate, qua alios (voce demiſſa) in ſuam ſententiam trahere ſtudebant. — *voce* (clara) et acclamatione.

7) *Aem. Scaurus.* Huic homini neminem parem fuiſſe conſilio, gravitate, conſtantia, ceterisque virtutibus, honoris, ingenii rerumque geſtarum ornamentis, Cic. pro Fontej. c. 7. affirmat. Cf de Off. I, 22 Idem pro Muren. c. 7. Scaurum, memoriam generis ſui, prope intermortuam renovaſſe dicit. Contra Aurel.

avidus potentiae, honoris, divitiarum; ceterum vitia ſua callide occultans. Is poſtquam videt regis largitionem famoſam impudentemque, veritus, quod in tali re ſolet, ne polluta licentia invidiam accenderet animum a conſueta lubidine continuit.

Caput XVI.

Vicit tamen in Senatu pars illa, quae vero pretium aut gratiam anteferebat. Decretum fit, *uti decem legati regnum, quod Micipſa obtinuerat, inter Jugurtham et Adherbalem dividerent.* cujus legationis princeps fuit L. Opimius, homo clarus, et tum

---

Victor c. 76. in vita Scauri: „Legatus Calpurnii, Jugurthae adverſus; *tandem ejus pecunia victus.*" Vitam ejus deſcripſit Broſſius in *Mém. de l'Acad. d. bell. lettr.* Tom. XXIV.

8) *impiger* Broſſ. *entreprenant.*

9) *famoſam* i. e. mala fama notatam (*übel berüchtigte*).

10) *accenderet*, ne foeda haec et immoderata (polluta) corrumpendi licentia (*Frechheit*) invidiam crearet iis, qui ſe (tam manifeſte) corrumpi ſinerent. Paullo aliter C. „ne illi, qui munera accepiſſent, *per impudentem ſuam licentiam*, gravi ſeſe invidia onerarent." Gronov. pro *polluta* conjicit *polluti*, et pro *accenderet*, *accenderent.*

12) *continuit*, repreſſit, et contra Jugurtham ſententiam tulit.

Caput XVI.

E Senatus decreto regnum Numidiae, inter Jugurtham et Adherbalem per decem legatos dividitur. Sed hi, quorum princeps Opimius fuit, a Jugurtha magnam partem corrupti, meliorem regni partem Jugurthae, pejorem Adherbali tradunt.

1) *vero* i. e. aequo bonoque. C. e conject. *qui — anteferebant.* Vid. c. 15.

2) *fit — uti dividerent*, vid. Cat. c. 34. n. 2.

3) *L. Opimius*, conſul fuit cum Q. Fab. Maximo a u. 632. et e Senatus conſulto: ne quid detrimenti res publ. caperet, C. Gracchum tribunum plebis, mortis

in Senatu potens: quia conſul, C. Graccho et M. Fulvio Flacco interfectis, acerrume victoriam nobilitatis in plebem exercuerat. Eum Jugurtha tametſi Romae in inimicis habuerat, tamen adcuratiſſime recepit: dando et pollicendo multa perfecit, uti famae, fidei, poſtremo omnibus ſuis rebus commodum regis anteferret. Reliquos legatos eadem via adgreſſus, plerosque capit: paucis carior fides, quam pecunia fuit. In diviſione, quae pars Numidiae Mauretaniam adtingit, agro, viris opulentior, Jugurthae

---

et legum fratris Tiberii vindicem, qui decem annis ante interemtus erat, oppreſſit, ejusque ſocium M. Fulv. Flaccum cum duobus filiis. Vid. Cic. Cat. I, 2. idem de Orat. II, 25. Vellej. II, 7. Flor. III, 15. Cf. Jug. c. 31.

4) *Romae* in Senatu Romano, cum Jugurthae legati cauſam ejus agerent. Vid. c. anteced. „At contra pauci" etc.

5) *in inimicis.* Sic Cdd. Commelin. Editt. aliquot, teſte Grutero, *inimicum.* Vulgo *in amicis*, quod C. retinuit, etſi alteram lectionem cum Gronovio praefert. Sed ſtatim ſequentia docent, Opimium antea adverſatum eſſe Jugurthae ideoque et ob ſequens *tamen* lectionem in *inimicis* praeferendam eſſe.

6) *accuratiſſime.* officioſiſſime, humaniſſime. (Stromb. „*mit der gröſseſten Aufmerkſamkeit.*") cf. c. 103. „eos ille *accurate* et liberaliter habuit."

7) *pollicendo multa.* C. *pollicitando*, omiſſa voce *multa.* Ad major Cdd. pars receptam tuetur.

8) *famae*, *fidei.* Sic habet B. et ſic vulgo. H. cum paucis Cdd. *famae*, *fide.* C. e duobus tantum: *fama*, *fide*, qui ablativi pro dativo ſubinde inveniuntur, ut C. e noſtro, Cicerone et Tacito probare conatur. Horat. Od. III, 7, 4. „conſtantis juvenem *fide* et idem Satyr. I, 5, 95. „comiſſa *fide*" indicant, genitiv. et dat. hujus vocis cum ablativo eandem terminationem antiquitus habuiſſe. cf. c. 21. et 52 init. ibique not.

9) *omnib. ſuis rebus*, proprio commodo.

10) *quae — Mauretan. adtingit*, eſt occidentalis Numidiae pars.

traditur: illam alteram ſpecie, quam uſu, potiorem, quae portuoſior et aedificiis magis exornata erat, Adherbal poſſedit.

CAPUT XVII.

Res poſtulare videtur Africae ſitum paucis exponere, et eas gentis, quibuscum nobis bellum, aut amicitia fuit, adtingere. Sed quae loca et nationes ob calorem, aut aſperitatem, item ſolitudines minus frequentata ſunt, de his haud facile compertum narraverim: cetera quam pauciſſumis abſolvam.

---

11) *portuoſior* i. e. pluribus portibus inſtructa c. 17. n. 13. *importuoſum*, i. e. ſine portibus, occurrit.
12) *poſſedit*, accepit.

CAPUT XVII.

Africae deſcriptio univerſalis, fontesque hiſtoriae incolarum ejus.

1) *Sed quae loca et nat.* Ob ſequens neutrum *frequentata*, (i. e. viſa, *beſucht*) haec verba melius ſi collocarentur: *ſed quae nationes et loca.* Nam adjectivum ſeu particip, duobus ſubſtantivis diverſi generis appoſitum plerumque poſteriori accommodatur, quum neutrum plurale adjectivi, duobus tantum ſubſtantivis inanimantia denotantibus apponi ſoleat.. Vid. Rathii praecepta elocut. Rom. (Halis 1798.) P. 1. p. 56. ſqq.
2) *aſperitatem*, montes et ſaltus.
3) *haud facile*, etc. i. e. haud facile ſit, aliquid certi ſ. quod certo cognitum ſit narrare. Aliter haec verba conſtruxit de Broſſes (de his narraverim, quod haud facile compertum ſit) vertens: „*je raporterai des choſes peu connues.*" Sed perperam. Nam in ſequente Africae deſcriptione, praeter Gaetulos ſuper Numidiam, et Aethiopas ultra Gaetulos, de quibus utitur verbo *accepimus* (c. 19. extr.) omnes nationes locaque interiora ſilentio praetereuntur, omnesque gentes, de quibus loquitur, orae maris mediterranei adjacent.
4) *cetera* i. e. quae comperta ſunt. — Quum autem hanc Africae deſcriptionem ideo praecipue praeterire

In diviſione orbis terrae plerique (in) partem tertiam Africam poſuere: pauci tantummodo Aſiam et Europam eſſe; ſed Africam in Europa. Ea finis habet ab Occidente fretum noſtri maris et Oceani: ab ortu ſolis declivem latitudinem, quem locum Catabathmon incolae adpellant. Mare ſaevum, im-

---

nollet, quod hiſtoria incolarum, quam ex optimis fontibus (Hiempſalis libris) hauſit, a vulgari narratione discrepabat, et tamen timeret, ne haec digreſſio, hiſtoriam ipſam interrumpens lectoribus eſſet moleſta, ſaepius diverſis verbis repetit, ſe omnia *quam pauciſſumis* abſoluturum.
5) *poſuere* i. e. partem tertiam fecere, ſic C. e Cdd. Vulgo *in parte tertia poſ.* quod retinuit H. Equidem Cort. lectionem ideo ſecutus ſum, quod, abjecta praepoſitione *in*, quam incluſi, omnis difficultas evaneſcit. Nam etſi negari non poteſt, verbum *ponere* etiam quartum caſum ſecum habere, cf. c. 61. („exercitum *in provinciam collocat.*") tamen *in* tertiam ponere partem (*zum dritten Theile ſetzen*) ſine exemplo dictum videtur.
6) *Europam eſſe.* Repete ex verbo *poſuere*, *dicunt* ſeu *voluerunt*, cujus alterutrum duo Cdd. adjiciunt.
7) *ſed* (i. q. *et*) *Africam in Europa.* Vid. Iſocrat. Panegyr. c. 48. init. ibique Mori not. De *ſed* cf. c. 33. n. 11.
8) *Ea* i. e. Africa, orae maris mediterranei adjacens, cujus fines incolasque nunc deſcripturus eſt.
9) *fretum noſtri m. et Oceani* i. e. fretum Gaditanum ſeu Herculeum, quod mare *noſtrum* i. e. Italicum, ſeu mediterraneum, cum Oceano Atlantico conjungit. cf. Flor. III, 9.
10) *ab ortu ſolis* repete habet finem.
11) *Catabathmon* Pomp. Mela I, 8. „Catabathmos, vallis devexa (declivis) in Aegyptum (verſus Aegyptum) finit Africam." Infra c. 19. „ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit." Hos autem fines vituperat Cellarius in Notit. Urb. antiq. I, 11.
12) *Mare*, mediterraneum, totam Africae oram ſeptemtrionalem alluens.

portuoſum; ager frugum fertilis, bonus pecori, arbori infecundus; coelo, terraque penuria aquarum. Genus hominum ſalubri corpore, velox, patiens laborum; plerosque ſenectus disſolvit, niſi qui ferro, aut beſtiis interiere: nam morbus haud ſaepe quemquam ſuperat. ad hoc malefici generis plurima animalia.

Sed qui mortales initio Africam habuerint, quique poſtea acceſſerint, aut quomodo inter ſe permixti ſint: quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, diverſum eſt: tamen uti ex libris Punicis, qui regis Hiempſalis dicebantur, interpretatum nobis eſt; utique rem ſeſe habere cultores ejus terrae putant, quam pauciſſumis dicam. Ceterum fides ejus rei penes auctores erit.

---

13) *importuoſum.* Vid. c. 16.

14) *coelo terraque* (in coelo terraque penuria aquarum eſt) ſ. neque fontes ibi ſunt neque pluvia. C. *terra* dedit, ſine *que.*

15) *patiens laborum.* Vid. Cat. c. 5. n. 7.

16) *Sed qui* etc. Cum exigua hac de Africae incolis praefatione melius inciperet cap. 18.

17) *habuerint.* Cf. Cat. c. 6. n. 2.

18) *obtinet,* quae apud plerosque valet, ſeu quam plerique ſequuntur. Liv. I, 4. „fama *tenet.*"

19) *interpretatum* „paſſive, ut pleraque deponentium participia praeteriti." C. Vid. ad Cat. c. 7. n. 5. Cic. de Div. I, 52. init. male conjecta maleque *interpretata* ſunt. „Ceterum hoc verbum ſignificat, Salluſtium hos Punicos libros latine tantum converſos legiſſe.

20) *utique* pro *et uti,* quemadmodum quoque Cdd. nonnulli legunt.

21) *auctores* i. e. Punicorum librorum ſcriptores et terrae illius incolas.

Caput XVIII.

Africam initio habuere Gaetuli et Libyes, aſperi incultique; queis cibus erat caro ferina atque humi pabulum, uti pecoribus. Hi neque moribus, neque lege, neque imperio cujusquam regebantur: vagi, palantes, quas nox coëgerat, ſedes habebant. Sed poſtquam in Hiſpania Hercules, ſicuti Afri putant, interiit; exercitus ejus, compoſitus ex variis gentibus, amiſſo duce, ac paſſim multis, ſibi quisque, imperium petentibus, brevi dilabitur. Ex eo numero Medi, Perſae et Armenii, navibus in Africam transvecti, pro-

---

Caput XVIII.

Incolarum Africae ſeptemtrionalis maritimae hiſtoria brevis; in qua probe notandum, Salluſtium hiſtoriam, a geographica deſcriptione diſtinguere. Gaetuli indigenae, Perſis ex Hiſpania transvectis permixti, nomine Numidarum, pleramque Africae ſeptemtrionalis oram occupabant, dum alii indigenae Libyes, Medis et Armeniis, ex Aſia transvectis, mixti, nomine Maurorum, prope fretum Gaditanum ſedes collocabant.

1) *incultique.* Encliticam *que* C. delevit.

2) *humi pabulum*, herbae et radices.

3) *moribus*, legibus non ſcriptis, ſ. inſtitutis.

4) *quas nox coëgerat* ſupple *ſedes habere.* Alii Cdd., pro *quas* habent *qua* (quo loco). Sed quum lectio vulgata idem ſignificet, quidquid discriminis C. comminiſcatur, nihil mutandum eſt.

5) *Hercules — interiit.* „Alii Herculem ex Hiſpania, quo contra Geryonem expeditionem fecit incolumem in Italiam rediiſſe memorant. Vid. Dionyſ. Halic. I, 34. Sed quum antiquitas tot Hercules ſibi finxerit, ut non modo ſex (vid Cic. de N. D. c. 16), ſed etiam quadraginta quatuor (vid. Varro apud Serv. ad Virg. Aeneid. VIII, 564.) numeraverit, non mirum, de obitu ejus eſſe quemdam disſenſum." C.

6) *multis — imp. petentibus.* et cum multi in Herculis exercitu, inter ſe discordes, ſibi quisque ſummum imperium arrogarent. *Paſſim* h. l. neque de loco, ne-

xumos noſtro mari locos occupavère. Sed Perſae intra Oceanum magis; iique alveos navium inverſos pro tuguriis habuere; quia neque materia in agris, neque ab Hiſpanis emundi, aut mutandi copia erat; mare magnum et ignara lingua commercia prohibebant. Hi paullatim per connubia Gaetulos ſecum miſcuere: et quia ſaepe tentantes agros, alia, deinde alia loca petiverant, ſemet ipſi Numidas adpellavere. Ceterum adhuc aedificia Numidarum agreſtium, quae mapalia illi vocant, oblonga incurvis lateribus tecta, quaſi navium carinae ſunt. Medis autem et Armeniis acceſſere Libyes (nam hi propius

---

que de tempore, intelligendum eſt, neque denique *promiſcue* ſignificat, ſed *diviſim* ſeu *interſe discordes*. *Quisque* autem eſt pro *quibusque*. C. dedit *quoque* pro *quisque*. Sed *quisque* Cdd. et editi optimi tuentur. In nonnullis *quisque* prorſus omiſſum eſt.

7) *noſtro mari*, i. e. Italiam circumfluente cf. c. 17. n. 9.

8) *intra Ocean. magis* i. e. remotius ab Oceano occidentali, ſeu Atlantico, verſus orientem. Quid enim (e. c.) *magis intra urbis moenia* aliud ſignificet, quam a moenibus remotius, verſus urbem? Reliqui contra interpretes, in contrariam partem haec verba intelligunt, explicantes *propius Oceano*; qua expoſitione admiſſa, totum hoc caput difficultatibus laborat.

9) *iique*, Perſae.

10) *mare magnum*, magnum maris inter Numidiam Hiſpaniamque ſpatium. Reliqui h. l. Oceanum ſeu mare Atlanticum intelligunt.

11) *ignara*, paſſive pro *ignorata*, ſeu *ignota*, *incognita*. Infra c. 93. „cupido *ignara* viſundi."

12) *commercia* int. cum Hiſpanis.

13) *ſecum*, quod vulgo legitur, C. delevit. B. ex aliis Cdd. dedit *ſibi*.

14) *ſemet ipſi*. Alii *ſemet ipſos*. Vid. ad Cat. c. 20. n. 16.

15) *Numidas* „παρὰ τοῦ νέμειν, *paſcere*." C., unde *Nomades*, *Nomaden*.

16) *oblonga* etc. Vel ita diſtinguere et interpretari potes: aedificia eorum oblonga tecta (ſubſtantive) ſunt, incurvis laterib., vel: aedificia oblonga, ſunt incurvis lateribus tecta (adject.) ſenſus manet idem. Ceterum *carina* eſt tota pars inferior navium incurva. Plin. H. N. III, 3. „Numidae vero, Nomades a permutandis pabulis (paſcuis) mapalia ſua, hoc eſt domus, plauſtris circumferentes. cf. Liv. XXX, 3. extr.

mare Africum agitabant; Gaetuli ſub ſole magis, haud procul ab ardoribus) hique mature oppida habuere; nam freto diviſi ab Hiſpania mutare res inter ſe inſtituerant. Nomen eorum paullatim Libyes corrupere, barbara lingua Mauros, pro Medis, adpellantes. Sed res Perſarum brevi adolevit: ac poſtea nomine Numidae, propter multitudinem a parentibus digreſſi, poſſedere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia adpellatur. Dein utrique alteris freti, finitumos armis aut metu ſub imperium cogere, nomen gloriamque ſibi addidere; magis hi, qui ad noſtrum mare proceſſerant; quia Libyes, quam Gaetuli, minus bellicoſi: Denique Africae pars inferior pleraque ab Numidis poſſeſſa eſt; victi omnes in gentem nomenque imperantium conceſſere.

---

17) *mare Africum* idem h. l. quod mediterraneum.

18) *hique*. Libyes cum Medis et Armeniis conjuncti.

19) *freto*, int. Gaditano ſ. Herculeo. Itaque Libyes occidentalem, Gaetuli orientalem orae Africanae ſeptemtrionalis partem habitabant.

20) *nomine Numidae*, ſub nomine Numidarum.

21) *utrique* i. e. Mauri (Medi et Armenii Lybibus permixti) et Numidae (Perſae, Gaetulis permixti.)

22) *magis hi*, *qui* etc. i. e. Numidae (Perſae cum Gaetulis permixti.)

23) *ad noſtrum mare* i. e. quod Italiae propius eſt.

24) *Africae pars infer*. Italiae, vel mari mediterraneo propior.

Caput XIX.

Postea Phoenices, alii multitudinis domi minuendae gratia, pars imperii cupidine, sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis, Hipponem, Hadrumetum, Leptim aliasque urbis in ora maritima condidere: haeque brevi multum auctae, pars originibus praesidio, aliae decori fuere. nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere; quoniam alio properare tempus monet.

Igitur ad Catabathmon, qui locus Aegyptum ab Africa dividit, secundo mari, prima Cyrene est,

Caput XIX.

His populis accessere nonnullae Phoenicum coloniae, et una Thereorum. — Adjuncta est brevis adumbratio geographica. — Initium hujus capitis proprie finis est antecedentis. Continuat enim historiam incolarum, usque ad verba: „Igitur ad Catabathmon," ubi demum geographica adumbratio accurata et brevis incipit.

1) *alii — pars.* Vid. Cat. c. 2. n. 4.

2) *sollicitata plebe*, postquam plebem et alios novar. rerum cupidos sollicitaverant.

3) *Leptim* „intellige *minorem*, quae sita erat intra Hadrumetum et Thapsum. Majorem, quae est inter Syrtes, mox memorat." C.

4) *originibus*, Phoenicibus „Origines sunt metropoles, sive illae urbes, unde sunt profectae coloniae." C. Liv. XXVI, 12. „Albam, unde ipsi oriundi erant, — proruerunt, ne stirpis, ne memoria *originum* exstaret."

5) *de Charthagine*, quae celeberrima fuit Phoenicum in Africa colonia a Didone constituta.

6) *ad Catabathm.* i. q. a Catabathmo. (cf. c. 17. n. 9.) Hinc enim exeuntibus prima est Cyrene versus occidentem. Vid. If. Vofs. ad Melam I, 13. Incipit autem noster ab oriente et in occidente finit. Vid. Argument.

7) *secundo mari* i. q. versus occidentem; nam mare, ab Asiae angulo versus occidentem refluit. Dictum autem est *secundo mari* (*meerabwärts*) ut *flumine secundo* (*flussabwärts*).

colonia Thereôn, ac deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis: dein Philenôn arae, quem locum Aegyptum versus, finem imperii habuere Carthaginienses: post aliae Punicae urbes. Cetera loca usque ad Mauretaniam Numidae tenent: proxume Hispaniam Mauri sunt: super Numidiam Gaetulos accepimus partim in tuguriis, alios incultius vagos agi-

8) *Thereôn* (Θηραίων), pro lat. *Theraeorum*, ut mox *Philenôn* pro *Philenorum*. Theraei autem ab insula Thera (Cycladum una super Cretam) duce Batto profecti, Cyrenen in Africa condiderunt (a. u. 143), a monte Cyra, sive a puella Cyrene nominatam.

9) *duae Syrtes*, „quas late descripsit auctor c. 78. ubi et de hac Lepti (majori)." C.

10) *Philenôn* terminatione Graeca pro *Philenorum*. Strabo Φιλαίνων βωμοί. Fusius de iis loquitur noster c. 79. Eas autem ibi recte collocari, statim post Cyrenem, versus occidentem, verba hoc nostro loco addita docent: *quem locum Aegyptum versus finem imperii habuere Carthaginienses.* Sed quum nihilominus tamen commemoratio earum h. l. post Syrtes demum fiat, quo maxima confusio oritur, quum auctor a Catabathmo inceperit et occidentem versus progrediatur, haec verba sic transponenda esse puto: Igitur ad Catabathmon — prima Cyrene est, colonia Thereôn, *dein Philenôn arae, quem locum Aegyptum versus finem imperii habuere Carthaginienses*, deinceps duae Syrtes, interque eas Leptis, post aliae Punicae urbes. Qua transpositione admissa, omnis difficultas evanescit.

11) *quem locum.* Posteriorem vocem C. omisit cum uno Cd.

12) *proxime Hispaniam* i. e. e regione Hispaniae, ad fret. Herculeum.

13) *Mauri* cf. c. 18.

14) *supera Numid.* i. e. ultra Numid. versus meridiem.

15) *accepimus* int. fama, non hausimus ex libris Punicis. Vid. c. 17.

tare: poſt eos Aethiopas eſſe: dein loca exuſta ſolis ardoribus. Igitur bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida et finis Carthaginienſium, quos noviſſume habuerant, populus Romanus per magiſtratus adminiſtrabat: Gaetulorum magna pars et Numidia usque ad flumen Mulucham ſub Jugurtha erant: Mauris omnibus rex Bocchus imperitabat, praeter nomen, cetera ignarus populi Romani; itemque nobis neque bello, neque pace antea cognitus. De Africa et ejus incolis ad neceſſitudinem rei ſatis dictum.

Caput XX.

Poſtquam, regno diviſo, legati Africa diſceſſere, et Jugurtha contra timorem animi praemia

---

16) *poſt eos.* i. e. ultra Gaetulos, verſus merid.'

17) *finis* i. e. Carthaginienſ. terram.

18) *noviſſume*, ad poſtremum ubi regio eorum a Romanis occupabatur, Carthagine deleta a. u. 608.

19) *Gaetulorum* int. quae infra Numidiam, meridiem verſus habitabant, et unde Numidia incolas ſuas acceperat. Vid. c. 18.

20) *flum. Mulucham.* Mulucha flumen, finis erat inter Numidiam et Mauretaniam.

21) *Bocchus.* Vid. c. 80.

22) *cetera*, (τὰ ἄλλα) cf. 85 et 89. „*cetera* pluvia utebantur."

Caput XX.

Poſt legatorum diſceſſum Jugurtha regnum Adherbalis cum praedatoria manu invadit, ſperans illum hanc injuriam vindicaturum eſſe. Sed Adherbal tantum legatos, qui de injuria quererentur ad fratrem mittit. quo facto Jugurtha ultro ei bellum infert.

1) *regno diviſo.* Vid. c. 16. extr.

2) *contra timorem*, ſecus ac timuerat.

3) *praemia*, quae erant impunitas, et dimidia meliorque pars Numidiae. Vid. c. 16. extr.

ſceleris adeptum ſeſe videt; certum ratus, quod ex amicis apud Numantiam acceperat, omnia Romae venalia eſſe; ſimul et illorum pollicitationibus accenſus, quos paullo ante muneribus expleverat, in regnum Adherbalis animum intendit. ipſe acer, bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriae, metuens magis, quam metuendus. Igitur ex improviſo finis ejus cum magna manu invadit: multos mortalis cum pecore atque alia praeda capit, aedificia incendit, pleraque loca hoſtiliter cum equitatu accedit; dein cum omni multitudine in regnum ſuum convertit; exiſtumans, dolore permotum Adherbalem injurias ſuas manu vindicaturum, eamque rem belli cauſam fore. At ille, quod neque ſe parem armis exiſtumabat, et amicitia populi Romani magis quam Numidis fretus erat; legatos ad Jugurtham de injuriis queſtum miſit. qui tametſi contumelioſa dicta retulerant, prius tamen omnia pati decrevit, quam bellum ſumere: quia tentatum antea ſecus ceſſerat. Neque tamen eo magis cupido Jugurthae minueba-

---

4) *videt.* Cdd. aliquot *vidit* propter *poſtquam* et *diſceſſere.* Sed c. 12. „*confecit* — atque *introducit.*"

5) *venalia eſſe.* Vid. c. 8. n. 5.

6) *munerib. expleverat.* Vid. c. 13.

7) *in regnum* etc. C. 43. „*ad* bellum, — *animum intendit.*"

8) *opportunus injuriae* i. e. cui facile injuria infertur. Flor. IV, 4. „*opportunum injuriae* juvenem.

9) *injurias ſuas*, ſibi (Adherbali) illatas; vel a ſe (Jugurtha) profectas.

10) *ſumere* i. e. ſuscipere. C. 83. „omne bellum *ſumi* facile."

11) *tentatum antea.* Vid. c. 13. — *ſecus* i. q. male c. 25. „ſecus procedit."

12) *magis*, retundat.

tur: quippe qui totum ejus regnum animo jam invaſerat. Itaque non, ut antea, cum praedatoria manu, ſed magno exercitu comparato bellum gerere coepit, et aperte totius Numidiae imperium petere. Ceterum, qua pergebat, urbis, agros vaſtare, praedas agere; ſuis animum, terrorum hoſtibus augere.

Caput XXI.

Adherbal ubi intelligit, eo proceſſum, uti regnum aut relinquendum eſſet, aut armis retinendum: neceſſario copias parat et Jugurthae obvius procedit. Interim haud longe a mari, prope Cirtam oppidum, utriusque conſedit exercitus: et quia diei extremum erat, praelium non inceptum. ubi plerumque noctis proceſſit, obſcuro etiam tum lumine, milites Jugurthini, ſigno dato, caſtra hoſtium invadunt; ſemiſomnos partim, alios arma ſumentes fugant funduntque. Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profugit; et ni multitudo togatorum fuiſſet, quae Numidas inſequentes moenibus

---

Caput XXI.

Adherbal copias contra parare coactus eſt. Sed exercitu ejus nocte ad Cirtam oppreſſo, cum paucis in hoc oppidum profugit, quod Jugurtha deinde obſidet. Quo nuncio accepto Senatus Romanus utrique per legatos nunciat, ut ab armis discedant.

1) *eo proceſſum*, rem eo rediiſſe.

2) *prope Cirtam* i. e. inter mare et Cirtam, quae aliquantum a mari diſtabat, quod Mela ſignificare voluit, cum ſcriberet, eam eſſe *procul* a mari ſitam. Fuerat regia Syphacis, quo devicto, Maſiniſſa eam, cum aliis urbibus, a Romanis dono acceperat. Vid. c. 5.

3) *diei*. C. contra Cdd. correxit *die*. Vid. c. 52.

4) *Cirtam profugit*, cf. Cat. 47. n. 4.

5) *togatorum*. „Romanorum, qui negotiandi, aut itineris cauſa, multi in oppidis Africae erant. Vid. c.

prohibuit, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret. Igitur Jugurtha oppidum circumſedit, vineis turribusque et machinis omnium generum expugnare adgreditur: maxume feſtinans tempus legatorum antecapere, quos, ante praelium factum, Romam ab Adherbale miſſos audiverat. Sed poſtquam Senatus de bello eorum accepit, tres adoleſcentes in Africam legantur, qui ambos reges adeant, Senatus populique Romani verbis nuncient: *Velle et cenſere, eos ab armis discedere; de controverſiis ſuis jure potius, quam bello disceptare: ita ſeque illisque dignum fore.*

47." C. Iidem c. 26. init. Italici vocantur, eorumque magnam ibi multitudinem fuiſſe e c. 26. colligi poteſt.

6) *patratum*, ad finem perductum ſ. perfectum. Cf. Cat. 18. extr. „peſſimum facinus patratum foret." (*ausgeführt.*)

7) *vineis turr. et mach. Vinea* erat machina lignea, ſeu parvum aedificium ligneum et ambulatorium, quo milites tecti ad muros accedebant. Vid. Veget. IV, 15. — *turres* ligneas, vel ambulatorias vel fixas oppugnatores exſtruebant, ut muri altitudinem exaequarent, aut ſuperarent, defenſoresque repellerent. Veget. IV, 17. — *machinae* ſunt balliſtae, muſculi, arietes.

8) *antecapere* i. e. prius expugnare urbem, quam legati Adherbalis Romam profecti cum Romanorum legatis redirent. Vid. Cat. c. 32.

9) *ab Adherbale*. Praepoſitionem *ab* C. omiſit.

10) Voces *tres adol.* C. incluſit. Sed c. 25. „legantur — *majores natu.*"

11) *ambos*. C. vetuſtum *ambo*, ex uno Cd. recepit.

12) *Velle et cenſere* prius de *populo*, poſterius de *Senatu* uſurpatur.

13) *de controverſ. — disceptare*. Stromb. „*ihre Streitigkeiten mehr ausglichen durch Recht als durch Krieg*"

14) *ſeque* etc. int. ſenatu populoque Rom. — *illisque* Adherbale et Hiempſale.

CAPUT XXII.

Legati in Africam maturantes veniunt, eo magis, quod Romae, dum proficisci parant, de praelio facto et oppugnatione Cirtae audiebatur. sed is rumor clemens erat. Quorum Jugurtha accepta oratione respondit: *Sibi neque majus quidquam, neque carius auctoritate Senati: ab adolescentia sua ita se enisum, uti ab optumo quoque probaretur: virtute, non malitia, P. Scipioni, summo viro, placuisse: ob easdem artis a Micipsa, non penuria liberorum, in regnum adoptatum esse: ceterum quo plura bene atque strenue fecisset, eo animum suum injuriam minus tolerare: Adherbalem dolis vitae suae insidiatum: quod ubi comperisset, ejus sceleri obviam isse: populum Romanum neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit: postremo de omnibus rebus legatos Romam brevi missurum.*

CAPUT XXII.

His legatis Jugurtha respondet: Adherbalem sibi insidiatum esse ideoque jure se contra illum arma cepisse; ceterum brevi se legatos Romam missurum. Hoc responso contenti Romam redeunt. Adherbalem adeundi copia illis non fuit.

1) *clemens* i. q. ipsa re levior et infra ejus atrocitatem. Priscian ed. Putch. p. 1202. explicat *non nimius*.

2) *Senati*. Vid. Cat. c. 50. n. 8.

3) *sua ita se*. C. *sua* et *se* delevit. Cf. Cat. 51. n. 21.

4) *P. Scipioni*. Vid. c. 4. n. 12.

5) *easdem artis* int. bonas. Vid. Cat. c. 10. n. 8.

6) *adoptatum esse* vid. c. 9. n. 11. Verb. *esse* C. delevit.

7) *ejus* (ante *sceleri*) C. cum nonnullis Cdd. omisit.

8) *pro bono* i. q. bene s. juste.

9) *ab jure gentium*. Jus gent. h. l. est. quod gentes omnes pro justo habent, nempe vindicare injurias. Nam id quoque jus gentium significare potest. Cf. c 35. n. 20.

Ita utrique digrediuntur. Adherbalis adpellandi copia non fuit.

CAPUT XXIII.

Jugurtha ubi eos Africa decessisse ratus est, neque, propter loci naturam, Cirtam armis expugnare potest; vallo atque fossa moenia circumdat, turris exstruit, easque praesidiis firmat: praeterea, dies noctesque, aut per vim, aut dolis tentare: defensoribus moenium praemia modo, modo formidinem ostentare: suos hortando ad virtutem erigere: prorsus intentus cuncta parare. Adherbal ubi intelligit, omnis suas fortunas in extremo sitas, hostem infe-

10) *utrique* Jugurtha et legati.

11) *adpellandi*, conveniendi, colloquendi. Id vero contra mandatum fiebat. Vid. c. 21. extr.

12) *copia non fuit*, a Jugurtha non dabatur.

CAPUT XXIII.

Dum Jugurtha vi aut dolo Cirtam expugnare contendit, Adherbal inopia pressus et auxilio destitutus duobus e suis persuadet, ut nocte per hostium munitiones literas ad Senatum Romanum perferant.

1) *vallo atque fossa*. Utrumque in diuturna obsidione adhibitum est, ne ab erumpentibus damnum paterentur obsidentes. Cf. Cic. ad Divers. XV, 4.

2) *tentare* int. urbem seu expugnationem. Deinde Sallustium et tempora et modos miscere, docent Cat. c. 19. *edocebat — commodare*. c. 10. Carthago *interiit*, cuncta *patebant*.

3) *formidinem*, poenas, supplicia ubi urbem cepisset

4) *erigere*. H. et alii *arrigere*. Sed phrasi *erigere ad*, etiam Tacit. Curt. Just. utuntur.

5) *intentus — parare*. Infra c. 30. „prorsus intentus — plebis animum accendere."

6) *in extremo sitas*. Tacit. XIV, 61. „vitam ipsam in extremum adductam."

ſtum, auxilii ſpem nullam, penuria rerum neceſſariarum bellum trahi non poſſe; ex his, qui una Cirtam profugerant, duo maxume impigros delegit, eos, multa pollicendo, ac miſerando caſum ſuum confirmat, uti per hoſtium munitiones noctu ad proxumum mare, dein Romam pergerent.

Caput XXIV.

Numidae paucis diebus juſſa efficiunt: literae Adherbalis in Senatu recitatae, quarum ſententia haec fuit.

Non mea culpa ſaepe ad vos oratum mitto, Patres conſcripti; ſed vis Jugurthae ſubigit: quem tanta lubido exſtinguendi me invaſit, uti neque vos, neque deos immortalis in animo habeat; ſanguinem meum, quam omnia, malit. Itaque quintum jam menſem, ſocius et amicus populi Romani armis obſeſſus teneor: neque mihi Micipſae patris mei beneficia, neque veſtra decreta auxiliantur. ferro, an fame acrius urgear, incertus ſum. Plura de Jugurtha ſcribere, dehortatur me fortuna mea: etiam antea expertus ſum. parum fidei miſeris eſſe. Niſi tamen intelligo, illum ſupra, quam ego ſum petere. neque ſimul amicitiam veſtram, et regnum meum ſperare: utrum gravius exiſtumet, nemini occultum eſt. Nam initio occidit Hiempſalem fratrem meum: dein patrio regno me expulit. quae ſane fuerint noſtrae injuriae, nihil ad vos. Verum nunc veſtrum regnum armis tenet: me, quem vos imperatorem Numidis poſuiſtis, clauſum obſidet: legatorum verba quanti fecerit, pericula mea

---

7) *neceſſariarum.* Cdd. nonnulli *neceſſariûm* (ut amphorûm pro amphorarum), quod B. recepit.

8) *bellum trahi* i. e. duci c. 64. „ab imperatore conſulto (bellum) *trahi.*"

9) *confirmat*, animum iis addit et perſuadet.

Caput XXIV.

Literae Adherbalis, in quibus Senatum Romanum obteſtatur, ut ipſum e manibus Jugurthae eripiat.

1) *ſententia.* Significare vult, ſe ſententiam tantum ſ. argumentum (cf. c. 9.) non ipſa verba redditurum.

2) *ſaepe.* Jam ante proelium, e quo Cirtam profugerat, legatos Romam miſerat. Vid. c. 21.

3) *neque vos* etc. i. e. neque vindictam deorum neque veſtram metuat.

4) *ſanguinem meum.* „Si quid intelligendum, particula *ſed* iſtud erit." C.

5) *patris mei.* Vocem *mei* C. cum aliquot Cdd. delevit.— Beneficia ſunt adoptatio Jugurthae.

6) *veſtra decreta.* Vid. c. 21. extr.

7) *me* poſt *dehortatur* C. cum aliquot Cdd. omiſit.

8) *fortuna*, miſera mea conditio.

9) *antea.* Vid. c. 15., ubi dicta ejus contemnebantur.

10) *Niſi tamen.* i. e. etiamſi fidem mihi non habetis, tamen intelligo. Donat. ad Terent. Andr. IV, 1. explicat: *niſi quod intelligo*; Manut. *niſi* h. l. pro *ſed* poſitum putat. Infra c. 100. extr. „*niſi tamen* reſpublica — bene atque decore geſta." ubi *niſi tamen* pro ſimplici *tamen* poſitum eſt, quod et h. l. accipi poteſt.

11) *ſupra, quam ego ſum* i. e. majus et amplius quid, quam ego ſum. Dicere vult, Jugurtham ipſos Romanos petere, eorumque amicitiam contemnere.

12) *neque ſimul* etc. i. e. illumque parvi aeſtimare amicitiam veſtram; quum probe ſciat, non poſſe ſe eſſe amicum veſtrum ſimulque adſpirare regnum meum.

13) *utrum gravius exiſtumet.* utrum regnum meum praeferat, poſſidere cupiat, an amicitiam veſtram, nemini dubium eſſe poteſt.

14) *quae ſane fuerint* etc. Has tamen injurias, ſi dixeritis, non ad vos pertinere, concedo.

15) *quem vos.* Voculam *vos*, cui h. l. emphaſis ineſt, C. delevit. — *imperatorem*, i. q. regem.

16) *legatorum*, quum illorum, qui regnum inter nos diviſerunt (c. 16.) tum qui Jugurtham ab armis diſcedere juſſerunt (c. 21.)

declarant. Quid reliquum, nisi vis vestra, quo moveri possit? Nam ego quidem vellem, et haec, quae scribo, et quae antea in Senatu questus sum, vana forent potius, quam miseria mea fidem verbis faceret. Sed quoniam eo natus sum, ut Jugurthae scelerum ostentui essem, non jam mortem neque aerumnas, tantummodo inimici imperium et cruciatus corporis deprecor. Regno Numidiae, quod vestrum est, uti lubet, consulite: me ex manibus impiis eripite, per majestatem imperii, per amicitiae fidem; si ulla apud vos memoria remanet avi mei Masinissae.

Caput XXV.

His literis recitatis, fuere, qui exercitum in Africam mittendum censerent, et quam primum Adherbali subveniendum: de Jugurtha interim uti consuleretur, quoniam non paruisset legatis. Sed ab iisdem regis fautoribus summa ope enisum, ne decretum fieret. ita bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, privata gratia devictum. Legantur tamen in Africam majores natu nobiles, amplis honoribus: in quîs fuit M. Scaurus, de quo supra memoravimus, consularis, et tum in Senatu princeps. Hi, quod in invidia res erat, simul et ab Numidis obsecrati, triduo navim ascendere: dein brevi Uticam adpulsi, literas ad Jugurtham mittunt: *quam ocissume ad provinciam accedat; seque ad eum ab Senatu missos.* Ille ubi accepit, homines claros, quorum auctoritatem Romae pollere audiverat, contra inceptum suum venisse: primo commotus, metu

---

17) *Quid reliquum* est, quo iste corrigi possit, nisi arma vestra? — *quo* ad *reliquum* pertinet, alii *qua* legunt.

18) *in Senatu*. Vid. c. 14.

19) *ut Jug. scelerum* etc. „ut Jugurtha in me ostenderet scelera sua." C.

20) *remanet*. Hoc verbum C. cum paucis Cdd. abjecit.

Caput XXV.

Quum Jugurthae fautores in Senatu Romano impedissent, quo minus exercitus contra illum mitteretur, legantur in Africam viri natu majores, qui, ubi Jugurtham Uticam ad se venire jusserunt, eique graviter minati sunt, nisi ab oppugnatione Cirtae desisteret, iterum frustra discedunt.

1) *interim*, interea dum exercitus in Africam pararetur.

2) *fautoribus*. Vid. c. 15.

3) *enisum*, passive. Vid. Cat. c. 7. n. 5.

4) *negotiis*, rebus. Vid. c. 1. n. 15.

5) *majores natu*, propter majorem auctoritatem et minorem corruptionis suspicionem. c. 21. extr. tres tantum *adolescentes* legabantur.

6) *in quîs fuit*. Alii in *queis*. Verb. *fuit* C. delevit.

7) *M. Scaurus*, de quo vid. c. 15.

8) *in Senatu*. Alii Cdd. *Senatus princeps*. C. ex arbitrio dedit *Senati princeps*. Cf. Cat. c. 30. n. 8.

9) *in invidia res erat*, quod longior mora, sibi facile invidiam suspicionemque movere posset. Cf. c. 15. Cic. ad Attic. II, 9. „non enim poterimus *ulla esse in invidia*. Liv. XXIX, 37. „*in invidia* cum essent censores."

10) *ab Numidis* i. e. ab Adherbalis legatis.

11) *triduo* int. praeterlapso.

12) *ascendere* C. contra Cdd. *escendere*. Cf. Cat. 55. n. 9.

13) *Uticam*. „Utica est Africae propriae urbs maritima, provinciae Romanae caput, post Carthaginem deletam; Catonis fato nobilis." C. Sita est ad Bagradam flumen annis 287 ante Carthaginem condita. Vid. Vellej. Paterc. I, 2, 6. Justin XVIII, 4.

14) *occissume* (*ociter*, *ocius*) „deducunt ab ὠκύς." C.

15) *primo commotus*, initio inquietus et inter metum ab legatis, cupiditatemque consilii sui patrandi medius fuit.

atque lubidine divorſus agitabatur. Timebat iram Senati, ni paruiſſet legatis: porro animus cupidine caecus ad inceptum ſcelus rapiebat. vicit tamen in avido ingenio pravum conſilium. Igitur, exercitu circumdato, ſumma vi Cirtam irrumpere nititur, maxume ſperans, diducta manu hoſtium, aut vi, aut dolis ſeſe caſum victoriae inventurum. Quod ubi ſecus procedit, neque, quod intenderat, efficere poteſt, uti prius, quam legatos conveniret, Adherbalis potiretur; ne amplius morando Scaurum, quem plurimum metuebat, incenderet, cum paucis equitibus in provinciam venit. Ac tametſi Senati verbis minae graves nunciabantur, quod oppugnatione non deſiſteret; multa tamen oratione conſumta, legati fruſtra diſceſſere.

---

16) *lubidine* i. e. cupidine Cirtae expugnandae Adherbalisque potiundi.

17) *divorſus trahebatur*, in diverſas partes trahebatur.

18) *ni paruiſſet legatis*. Haec tria verba tanquam gloſſam C. incluſit.

19) *porro* ex altera parte. „Eleganter haec particula continuat diverſa; Cat. 46. „laetabatur civitatem periculis ereptam — *porro* autem anxius erat." C.

20) *rapiebat* int. eum. Cdd. aliquot *rapiebatur*.

21) *diducta manu*, disperſa in omnes moenium partes, quum omni ex parte oppugnantibus eſſet reſiſtendum.

22) *caſum victoriae*, occaſionem victoriae, ſeu victoriam ſimpliciter. Cf. c. 56.

23) *ſecus procedit* i. q. contra ſ. male; c. 20. quia tentatum antea *ſecus* ceſſerat."

24) *Adherbalis potir*. Vid. Cat. 47. n. 12.

25) *in provinciam*. Vid. n. 15.

26) *Ac tametſi*. Pro *ac* alii *at*. „Nam in plerisque Cdd. vix aſſequaris, utrum *ac* an *at* ſcripſerint." C.

Caput XXVI.

Ea poſtquam Cirtae audita ſunt, Italici, quorum virtute moenia defenſabantur, confiſi, deditione facta, propter magnitudinem populi Romani inviolatos ſeſe fore, Adherbali ſuadent, uti ſeque et oppidum Jugurthae tradat: tantum ab eo vitam paciſcatur, de ceteris Senatui curae fore. At ille, tametſi omnia potiora fide Jugurthae rebatur; tamen, quia penes eosdem, ſi advorſaretur, cogendi poteſtas erat, ita, uti cenſuerant Italici, deditionem facit. Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: deinde omnis puberes Numidas et negotiatores promiſcue, uti quisque armatus obvius fuerat, interfecit.

Caput XXVI.

Adherbal ſuaſu Italicorum, Senatus Romani auctoritate nitentium Cirtam Jugurthae tradit, qui contra pactionem Adherbalem excruciat ceterosque omnes Numidas puberes nec non Italicos armatos interficit.

1) *Italici* cf. c. 21. n. 5.

2) *magnitudinem*, magnam auctoritatem. cf. c. 5. n. 9.

3) *de ceteris* int. rebus.

4) *tamen* C. cum uno Cd. omiſit.

5) *ita, uti* i. e. ſub ea conditione quam Italici ſuaſerant.

6) *in primis*. Vid. c. 6. n. 4.

7) *omnis puberes* i. e. qui arma ferre poterant.

8) *armatus — fuerat*. Alii Cdd. et ut C. dicit meliores legunt *armatis*; quod explicari poteſt: Jugurthae militibus. *armatus*, qui cum armis inventus eſt. Verb. *fuerat* C. delevit.

9) *interfecit* loco cujus alii Cdd. *interficit* habent, Gerl. incluſit.

Caput XXVII.

Quod poſtquam Romae cognitum, et res in Senatu agitari coepta, idem illi miniſtri regis, interpellando ac ſaepe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem ſacti leniebant. Ac ni C. Memmius, tribunus plebis deſignatus, vir acer et infeſtus potentiae nobilitatis, populum Romanum edocuiſſet, *id agi, uti per paucos factioſos Jugurthae ſcelus condonaretur*, profecto omnis invidia prolatandis conſultationibus dilapſa foret. tanta vis gratiae, atque pecuniae regis erat. Sed ubi Senatus, delicti conſcientia, populum timet; lege Sempronia provinciae

---

Caput XXVII.

Hoc ſcelus denuo condonatum fuiſſet Jugurthae, niſi C. Memmius tribunus plebis per populum effeciſſet, ut bellum contra Jugurtham decerneretur, cui L. Beſtia Calpurnius praeficitur.

1) *coepta.* Alii Cdd. *coepit.*

2) *miniſtri,* Senatores corrupti, qui c. 15. et 25. fautotes vocantur.

3) *gratia* i. q. auctoritate, qua apud reliquos pollebant. de Bross. „*à force de credit.*"

4) C. *Memmius.* Idem eſt, qui poſtea, cum conſulatum peteret, a Saturnino tribuno plebis interemtus eſt. Vid. Cic. in Cat. IV, 2. Flor. III, 16. Adde infra c. 30. init. „Deſignabantur autem tribuni pl. comitiis olim centuriatis poſtea tributis, ante conſules, ante quos etiam magiſtratum inibant." C.

5) *omnis invidia,* Stromb. *jede Gehäſſigkeit.*

6) *dilapſa foret.* C. e duobus Cdd. pro *foret* recepit *erat;* qui indicativus etſi per ſe quidem uſurpari poteſt in hypotheſi (Liv. XXV, 31. Quod ni *ſubveniſſet* — fames *iuſtabat*) tamen non ubique intrudendus eſt.

7) *lege Sempronia,* „lata a C. Sempr. Graccho (631 a. u.), ut quotannis ante comitia conſularia, conſulibus deſignandis decernerentur duae provinciae, ex omni numero ſelectae, quae propterea *conſulares* dictae ſunt. Relinquebatur autem conſulum arbitrio, ut eas provincias, aut inter ſe compararent (*ſich verglichen*) „aut ſorte dividerent, poſtquam Senatus exercitum aliaque iis utilia decreviſſet." C. Cf. Liv. XLII, 31.

8) *Conſules declarantur.* 642. a. u.

9) *obvenit,* ſortitione facta.

10) *portaretur,* transportaretur, trajiceretur.

11) *aliaque, quae.* C. ex uno Cd. *alia, quae.*

futuris Conſulibus, Numidia atque Italia decretae: Conſules declarantur P. Scipio Naſica, L. Beſtia Calpurnius; Calpurnio Numidia, Scipioni Italia obvenit. deinde exercitus, qui in Africam portaretur, ſcribitur: ſtipendium, aliaque, quae bello uſui forent, decernuntur.

Caput XXVIII.

At Jugurtha, contra ſpem nuncio accepto, quippe cui, Romae omnia venum ire, in animo haeſerat; filium, et cum eo duos familiaris ad Senatum legatos mittit: hisque, ut illis, quos, Hiempſale interfecto, miſerat, praecipit, *omnis mortalis pecunia*

Caput XXVIII.

Ut bellum averteret Jugurtha, filium cum duobus familiaribus Romam mittit, qui omnes homines ibi corrumpant. Sed hi non admittuntur. Beſtia conſul avarus, legatis ſibi commodis in iisque Scauro adjumtis exercituque trajecto Numidiam initio acriter ingreditur.

1) *venum ire,* (contracte *venire*) (ut peſſum ire) i. q. venalia eſſe c. 8. Plures Cdd. *venire,* quod ex *venum ire* (propr. *zum Verkauf gehen*) contractum eſt.

2) *duos* C. *duo.* Vid. c. 21.

3) *quos — miſerat.* Vid. c. 13.

4) *praecipit.* C. cum aliquot Cdd. *praecepit.* Vid Cat. 34, n. 2.

adgrediantur. Qui poſtquam Romam adventabant; Senatus a Beſtia conſultus eſt: *placeretne legatos Jugurthae recipi moenibus.* iique decrevere: *niſi regnum, ipſumque deditum veniſſent, uti in diebus proxumis decem Italia decederent.* Conſul Numidis ex Senati decreto nunciari jubet. Ita infectis rebus illi domum discedunt. Interim Calpurnius, parato exercitu, legat ſibi homines nobilis, factioſos, quorum auctoritate, quae deliquiſſet, munita fore ſperabat: in quis fuit Scaurus, cujus de natura et habitu ſupra memoravimus. Nam in Conſule noſtro multae bonaeque artes animi et corporis erant: quas omnis avaritia praepediebat. patiens laborum, acri ingenio, ſatis providens, belli haud ignarus, firmiſſumus contra pericula et inſidias. Sed legiones per Italiam Rhegium, atque inde Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. Igitur Calpurnius ini-

---

5) *conſultus eſt.* C. delevit *eſt.*

6) *moenibus*, intra moenia.

7) *iique.* int. (e voce anteced. *Senatu*) Senatores.

8) *in diebus proxumis decem*, intra dies proximos decem. Vocem *proxumis* C. incluſit.

9) *legat ſibi* i. e. legatos adſumſit. Cic. Ep. ad Div. VI, 6. „Caſſium ſibi *legavit.* moris autem erat, ut in provincias abeuntes, legatos ſibi adſumerent, rerum adminiſtros." C.

10) *munita*, tuta, impunita, velut praeſidio quodam firmata et quaſi in tuto collocata. c. 33. „cujus impudentia *munitus* foret."

11) *ſupra memoravimus.* Vid. c. 15.

12) *artes* cf. c. 8. extr. „Si permanere vellet in ſuis *artibus.*" et Cat. 5. n. 16. et ibid. c. 10. n. 8.

13) *praepediebat.* praepedire proprie eſt, ire ante pedes, hinc *impedire.*

14) *Sed legiones.* De conjunctione *ſed* vid. Cat. 25. n. 1.

15) *Rhegium.* Urbs et promontorium in extrema Italia, verſus Siciliam.

tio, paratis commeatibus, acriter Numidiam ingreſſus eſt, multos mortalis, et urbis aliquot pugnando capit.

Caput XXIX.

Sed ubi Jugurtha per legatos pecunia tentare, bellique, quod adminiſtrabat, aſperitatem oſtendere coepit: animus aeger avaritia facile converſus eſt. Ceterum ſocius et adminiſter omnium conſiliorum adſumitur Scaurus: qui tametſi a principio, plerisque ex factione ejus corruptis, acerrume regem im-

---

16) *paratis com. — ingreſſus eſt.* i. e. ingreſſus ſeu adgreſſus eſt Numidiam, quamdiu commeatus eſſent parati; quibus conſumtis, et cognita belli aſperitate (c. 29), ille ardor elanguit." C.

17) *pugnando* Vid. Cat. 7. n. 14.

Caput XXIX.

Sed paullo poſt Beſtia et Scaurus regis pecunia et belli difficultate facile permoventur, ut cum Jugurtha, qui induciis factis in caſtra eorum pervenerat et ſeſe ad ſpeciem dederat, pacem faciant.

1) *tentare* int. conſulem.

2) *quod adminiſtrabat*, int. Conſul. *adminiſtrare* autem de conſule recte dicitur, qui bellum e populi Senatusque voluntate gerit.

3) *aſperitatem*, difficultatem periculi plenam. c. 92. rem adgreditur non eadem *aſperitate*, ceterum haud ſecus *difficilem.* Cat. 10. dubias atque *aſperas res.*

4) *animus* (Conſulis) *aeger avaritia.* Vid. c. anteced. extr. C. conſtruendum cenſet, animus aeger, i. e. ſollicitus, converſus eſt avaritiâ.

5) *converſus eſt*, aliter ſentire coepit.

6) *ſocius et adminiſter. ſocius* eſt, quocum conſilia communicantur, *adminiſter*, in re agenda adjutor.

7) *plerisque ex factione ejus*; quum jam plurimi ex amicis Scauri (factione ejus) pecunia corrupti eſſent.

8) *acerrume — impugnaverat.* cf. c. 15. extr.

pugnaverat; tamen magnitudine pecuniae a bono honeſtoque in pravum abſtractus eſt. Sed Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, exiſtumans, ſeſe aliquid interim Romae pretio, aut gratia effecturum: poſtea vero quam participem negotii Scaurum accepit; in maxumam ſpem adductus recuperandae pacis, ſtatuit cum eis de omnibus pactionibus praeſens agere. Ceterum interea, fidei cauſa, mittitur a Conſule Sextius Quaeſtor in oppidum Jugurthae Vagam: cujus rei ſpecies erat acceptio frumenti, quod Calpurnius palam legatis imperaverat: quoniam deditionis mora induciae agitabantur. Igitur rex, uti conſtituerat, in caſtra venit: ac pauca, praeſenti conſilio, locutus de invidia facti ſui, atque in deditionem uti acciperetur; reliqua cum

9) *primum* i. e. priusquam Scaurum accepiſſet ſocium.

10) *belli moram*, inducias, dilationem belli pretio quaerebat.

11) *accepit* C. ex aliquot Cdd. *acceperat*.

12) *de omnib. pactionib.* int. pacis.

13) *praeſens* i. e. in caſtris Romanis, ut fidem deditionis eo faceret majorem.

14) *fidei cauſa*, ut Jugurtha conſuli fidem haberet, nec in caſtra Romana venire dubitaret, Quaeſtor, obſidis loco, ſub ſpecie accipiendi frumenti in oppidum Jugurthae miſſus eſt.

15) *Vagam*. Alii *Vaccam* et *Vacam*, quae discrepantia in nominibus propriis rarius occurrentibus in graecis latinisque Codicibus ubique obvia eſt.

16) *palam legatis*. i. e, legatis Jugurthae coram conſilio imperaverat.

17) *deditionis mora*, (per moram) interea dum Jugurtha deditionem, quam per legatos promiſerat, ratam faceret. M. explicat: ad deditionem differendam.

18) *conſilio* int. bellico, quale, Senatus in ſpeciem, imperatori adeſſe ſolebat. Cf. c. 62. et Vellej. II, 80.

19) *invidia facti ſui*, de crimine caedis fraternae, quod diluere conabatur. — *ſui* C. praeter Cdd. ejecit.

Beſtia et Scauro ſecreta transigit: dein poſtero die, quaſi per ſaturam exquiſitis ſententiis, in deditionem accipitur. Sed, uti pro conſilio imperatum erat, elephanti triginta, pecus atque equi multi, cum parvo argenti pondere Quaeſtori traduntur. Calpurnius Romam ad magiſtratus rogandos proficiſcitur. In Numidia et exercitu noſtro pax agitabatur.

Caput XXX.

Poſtquam res in Africa geſtas, quoque modo actae forent fama divolgavit; Romae per omnis locos et conventus de facto Conſulis agitari: apud plebem gravis invidia: Patres ſolliciti erant, probarentne

20) *per ſaturam* i. e. ſine juſto ordine et modo in rogandis ſententiis, ſed ſuffragia confuſe colligendo. Dictio translata a lance ſatura, quae omnigenis frugibus permixtis repleta erat.

21) *in deditionem accipitur* i. e. deditus accipitur; et pax fit, quamquam Jugurtha ſe ipſe verbis modo tradiderat, nec ullo modo punitus erat. Cf. c. 31. „qui (Jugurtha) ſi *dediticius* profecto juſſis veſtris obediens erit etc."

22) *pro conſilio*. c. 62. „ex conſilii decreto."

23) *ad magiſtrat. rogand.* h. e. ad rogandum populum de magiſtratibus, (conſulibus etc.) id proximum annum creandis. Vid. Cat. 26. n. 9.

Caput XXX.

Patribus et plebe hac pace indignantibus et quid facerent dubiis, C. Memmius tribunus populum in concionibus ad vindictam contra nobilitatem multis orationibus adhortatur.

1) *quoque modo*, et quibus artibus pax facta ſit.

2) *per omnes locos* etc. ubicunque homines publice et privatim conveniſſent.

3) Verba: *ſolliciti erant* C. contra Cdd. delevit. Sed nihil h. l. redundat, ſequentia enim *parum (iis) conſtabat*, rationem reddunt, quare fuerint ſolliciti. Proprie dicendum erat: *nam* parum iis conſt.

tantum flagitium, an decretum Consulis subverterent, parum constabat. Ac maxume eos potentia Scauri, quod is auctor et socius Bestiae ferebatur, a vero bonoque impediebat. At C. Memmius, cujus de libertate ingenii et odio potentiae nobilitatis supra diximus, inter dubitationem et moras Senati, concionibus populum ad vindicandum hortari: monere, ne rempublicam, ne libertatem suam desererent: multa superba et crudelia facinora nobilitatis ostendere: prorsus intentus omni modo plebis animum accendebat. Sed quoniam ea tempestate Romae Memmii facundia clara pollensque fuit; decere existumavi, unam ex tam multis orationem perscribere: ac potissumum ea dicam, quae in concione, post reditum Bestiae, hujuscemodi verbis disseruit.

---

4) *decretum*, pacem cum Jugurtha factam, (flagitium).

5) *a vero bonoque*, a pace hac solvenda. Copulam *que* C. abjecit. c. 29. „bono honestoque abstractus.

6) *de libertate*, libertatis studio. — *supra* c. 27.

7) *ad vindicandum* in eos, Bestiam et Scaurum, ad eos puniendos, qui contra rempubl. cum Jugurtha pacem fecissent. Cf. c. 31.

8) *et crudelia*, *et* C. delevit.

9) *prorsus intentus*. Cf. c. 23. n. 5.

10) *Romae* C., cum aliq. Cdd. delevit. Sed quod *Romae* est, non *ubique* est; et hinc *Romae* supervacaneum non est.

11) *Memmii facundia.* Cic. Brut. 36. et de Orat. II, 59 et 70. Memmium vocat oratorem mediocrem et accusatorem acrem atque acerbum. Sed judicare videtur de eo ut nobilis.

12) *perscribere*, transscribere.

13) *ea dicam, quae*. Sic H. e Cdd. melioris notae. Alii *eam dicam quam*. Alii *dicam* omittunt. B. conjicit, *dicam* esse graecum *δίκαν*, i. e. orationem accusatoriam. C. reliqua praeter *quae* delevit.

CAPUT XXXI.

Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium reipublicae omnia superet: opes factionis, vestra patientia, jus nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi, quam honoris est. Nam illa quidem piget dicere, his annis XX. quam ludibrio fueritis superbiae paucorum; quam foede quamque

---

CAPUT XXXI.

Memmii oratio post Bestiae reditum habita ad populum, in qua negligentiae eum atque ignaviae accusat et hortatur, ut libertatis memor hoc nobilitatis scelus non impunitum omittat, ne malis hominibus ignoscendo bonos perditum eat.

1) *dehortantur a vobis*, me a vobis defendendis atque in pristina jura restituendis deterrent. C. a *vobis* explicat *a parte vestrûm*.

2) *studium*, amor meus.

3) *opes factionis*, nobilium (secum conjuratorum) potentia. Paullo post: *factionis potentiae*. De Broff. perperam: „*le credit des cabales.*"

4) *jus nullum*, juris inopia, siquidem nobiles contra leges faciunt, quidquid iis lubet. De Broff. minus recte „*le renversement des loix.*"

5) *innocentiae*, bonis civibus, aequitatis defensoribus.

6) *his annis XX.* Tib. Gracchus qui toti Italiae civitatem pollicendo et promulgatis agrariis legibus summa imis miscuit (Vellej. II, 2.) et qui insimulabatur, regnum sibi parare voluisse (Flor. III, 14.) circiter XX. annos ante hanc orationem occisus erat (a. u. 620.) et Cajus Gracchus, mortis ac legum fratris vindex (Flor. III, 15. et Vellej. II, 6.) X annis ante (a. u. 630). Cdd. inter numeros X, XII et XV (qui posterior vulgatus quidem, sed ineptus est) variant. Numerum XX. rotundum C. e. conjectura dedit, quem et B. recepit. Cf. c. 16.

7) *quam* (ante *ludibrio*) i. q. *quantum*.

inulti perierint veſtri defenſores; ut vobis animus ab ignavia atque ſecordia corruptus ſit: qui ne nunc quidem, obnoxiis inimicis, exſurgitis, atque etiam nunc timetis eos, quibus vos decet terrori eſſe. Sed quamquam haec talia ſunt: tamen obviam ire factionis potentiae animus ſubigit. certe ego libertatem, quae mihi a parente meo tradita eſt, experiar: verum id fruſtra, an ob rem faciam, in veſtra manu ſitum eſt, Quirites. Neque ego vos hortor, quod ſaepe majores veſtri fecere, uti contra injurias armati eatis. Nihil vi, nihil ſeceſſione opus eſt. neceſſe eſt, ſuomet ipſi more praecipites eant. Occiſo Tiberio Graccho, quem regnum parare ajebant, in plebem Romanam quaeſtiones graves habitae ſunt. Poſt C. Gracchi et

---

8) *inulti.* C. 48. „cavete *inulti* animam amittatis. adde ibid. c. 60. *timidi* reſiſtunt et Jug. 44. *certantes* agere. Flor. III, 3. nec *inultus* occubuit. Horat. Sat. II, 8, 34. „nos, moriemur *inulti*."

9) *obnoxiis inimicis*, cum inimici veſtri, in flagitio deprehenſi in poteſtate veſtra ſint. Cf. Cat. 20. u. 25.

10) *eos, quibus vos.* C. pron. *vos* cum aliq. Cdd., et *eos*, proprio Marte, delevit.

11) *a parente meo. meo* C. abjecit.

12) *ob rem*, cum ſucceſſu. Cat. 20. „*in rem* fore credens."

13) *ſitum eſt. eſt*, C. delevit, non minus quam poſt *opus*, in ſtatim ſequentib.

14) *ſeceſſione.* Cat. 33. „ſaepe ipſa plebes armata a patribus ſeceſſit."

15) *occiſo — Graccho*, a. u. 620. Cf. c. 16. et infra c. 42.

16) *quaeſtiones graves.* Poſteriorem vocem, quam multi Cdd. recte tuentur, primus expunxit Grut., quod nulla quaeſtio *levis* foret. Contrarium docent et res ipſa et ſcriptores. Vellej. II, 7. „*crudeles* mox quaeſtiones in amicos clienteſque Gracchorum habitas." Liv. IV, 50. „*acerbis* quaeſtionib." Accedit, quod *graves* ad invidiam faciendam h. l. aptiſſimum eſt.

M. Fulvii caedem, item veſtri ordinis multi mortales in carcere necati ſunt: utriusque cladis non lex, verum lubido eorum finem fecit. Sed ſane fuerit regni paratio, plebi ſua reſtituere. quidquid ſine ſanguine civium ulciſci nequitur jure factum ſit. Superioribus annis taciti indignabamini, aerarium expilari; reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere; penes eosdem et ſummam gloriam, et maxumas divitias eſſe: tamen haec talia facinora impune ſuſcepiſſe, parum habuere. Itaque poſtremo leges, majeſtas ve-

---

17) *C. Gracchi — caedem.* Cf. c. 16.

18) *item veſtri ordinis* etc. C. contra Cdd.. *item multi veſtri ordinis*, omiſſo nomine *mortales*. —

19) *in carcere necati ſunt.* Appian b. c. I. p. 366. „Καὶ τοὺς συμφρονήσαντας ὁ Ὀπίμιος συλλαβὼν ἐς τὴν φυλακὴν ἐνέβαλέ τε καὶ ἀποπνιγῆναι προςέταξε."

20) *cladis.* Hic genitiv. a ſubſtant. *finem* pendet, *utrique cladi* penderet a *fecit*.

21) *nequitur* pro *nequit* uſurparunt veteres Romani. Plaut. Rud. IV, 4, 20. „ut *nequitur* comprimi," Terent. Hecyr. III, 8, 57. „forma noſci non *quita* eſt." Iidemque ſimili modo pro *poteſt*, dicebant *poteſtur*. — *Ulciſci* h. l. paſſive, ſiquidem veteres (e. c. Ennius) *ulciſcere* dixerunt. Liv. II, 17. extr.

22) *jure factum ſit.* Senſus eſt: ſed ea facinora, quae ſine ſupplicio vindicari non poſſunt, jure facta fuerint, ſequentia vero, in quibus tali praetextu (parationis regni) uti non poſſunt, ideo tantum commiſſa ſunt, quod plebs tacita fuit, (indignabatur quidem, ſed tacita manſit) nec per tribunos ſuos inceptis eorum obviam ivit.

23) *superioribus* int. proximis de Broſſ. „*depuis quelque temps.*" De re cf. Cat. 20.

24) *parum habuere*, illis non ſuffecit, ſe haec impunitos feciſſe, ſed majora ſunt auſi. „Paulo infra: illis *parum eſt*, impune male feciſſe." Vellej. II, 76. „*parum habebat*, ſumma accepiſſe." Liv. XXXVIII, 54. „*parum fuiſſe* non laudari — Africanum."

ſtra, divina et humana, omnia hoſtibus tradita ſunt. Neque eos, qui ea fecere, pudet aut poenitet: ſed incedunt per ora veſtra magnifice, ſacerdotia et conſulatus, pars triumphos ſuos oſtentantes; perinde quaſi ea honori, non praedae habeant. Servi aere parati imperia injuſta dominorum non perferunt: vos, Quirites, imperio nati, aequo animo ſervitutem toleratis? At qui ſunt hi, qui rempublicam occupavere? homines ſceleratiſſumi, cruentis manibus, immani avaritia, nocentiſſumi, idemque ſuperbiſſumi; quis fides, decus, pietas, poſtremo honeſta atque inhoneſta omnia quaeſtui ſunt. Pars eorum occidiſſe tribunos plebis; alii quaeſtiones injuſtas; plerique caedem in vos feciſſe, pro munimento habent. Ita quam quisque peſſume fecit, tam maxume tutus eſt. metum a ſcelere ſuo ad ignaviam veſtram transtulere: quos omnis eadem cupere, eadem odiſſe, eadem metuere in unum coëgit. ſed haec inter bonos amicitia

25) *hoſtibus* i. e. Jugurthae *tradita* int. ab iis. Capite extremo: „hoſti accerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium veſtrum."

26) *incedunt* impudentiae oſtentationisque vim habet.

27) Loco *magnifici* C. *magnifice* e Cdd. Salluſtiique uſu. Sed vid. n. 8.

28) *perinde quaſi* etc. perinde quaſi ea honorifice habeant, ac non potius rapuerint.

29) *aere parati*, emti. c. 35. „*pretio parare.*"

30) *idemque.* Sic C. et H. Alii *iidemque.*

31) *quis.* Alii *quibus.*

32) *metum a ſcelere* etc. ipſi, quos decebat timere ob ſcelera ſua, timorem abjecerunt, et injecerunt vobis, qui ipſorum ſcelera non vindicaſtis.

33) *quos omnis* etc. i. e. quos eadem cupido, idem odium, metusque conjunxit. Cat. 20. „unum idemque *velle atque nolle,* ea demum firma amicitia eſt."

inter malos factio eſt. Quod ſi tam vos libertatis curam haberetis, quam illi ad dominationem accenſi ſunt; profecto neque respublica, ſicuti nunc, vaſtaretur; et beneficia veſtra penes optumos, non audaciſſumos, forent. Majores veſtri, parandi juris et majeſtatis conſtituendae gratia, bis, per ſeceſſionem, armati Aventinum occupavere. vos pro libertate, quam ab illis accepiſtis, non ſumma ope nitemini? atque eo vehementius, quo majus dedecus eſt, parta amittere, quam omnino non paraviſſe. Dicet aliquis: Quid igitur cenſes? — vindicandum in eos, qui hoſti prodidere rempublicam: non manu, neque vi; quod magis vos feciſſe, quam illis accidiſſe indignum eſt, verum quaeſtionibus et indicio ipſius Ju-

34) *Quod ſi tam vos.* Pron. *vos* C. cum paucis Cdd. delevit. Malim hoc ordine: *quodſi vos tam.*

35) *beneficia* i. e. conſulatus, ſacerdotia, praetura aliique in republ. honores; qui a populi ſuffragiis pendebant, ideoque illius beneficia erant.

36) *juris* int. *aequi* i. e. libertatis, cf. n. 4. et Liv. III, 55.

37) *majeſtatis — gratia* abrogando decemvirali imperio, ac reſtituendo conſulari, quocum et tribunicia poteſtas reſtituta eſt. (a u. 305.) Vid. Liv. III, 55.

38) *Avent. occupavere.* De his plebis ſeceſſionib. vid. Cat. 33. n. 15. Sed num plebs bis *Aventinum* occupaverit, jam olim dubium fuit. Vid. Liv. II, 32. et III. 50. ſqq.

39) *quo majus* C. *quod* maj. adjiciens: ſi vero *eo* (antecedens) interpreteris *ob id*, tam *quod*, quam *quo* locum tueri poterit.

40) *quod magis vos* etc. quod vobis magis indignum foret facere, quam illis pati. Cat. 51. „magis, quid ſe dignum foret, quam quid in illis jure fieri poſſet, quaerebant." C., unius Cod. auctoritate, expunxit *vos.*

gurthae. qui ſi dediticius eſt, profecto juſſis veſtris obediens erit: ſin ea contemnit; ſcilicet aeſtumabitis, qualis illa pax, aut deditio ſit, ex qua ad Jugurtham ſcelerum impunitas, ad paucos potentis maxumae divitiae, in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. Niſi forte nondum etiam vos dominationis eorum ſatietas tenet, et illa, quam haec tempora, magis placent, cum regna, provinciae, leges, jura, judicia, bella atque paces, poſtremo divina et humana omnia penes paucos erant: vos autem, hoc eſt, populus Romanus, invicti ab hoſtibus, imperatores omnium gentium, ſatis habebatis animam retinere. nam ſervitutem quidem quis veſtrûm recuſare audebat? Atque ego tametſi viro flagitioſiſſumum exiſtumo, im-

41) *dediticius* eſt i. q. in deditionem venit. Voce *dediticius* utuntur quoque Cic. in Ep. ad Brut. 3. extr., Caeſ. B. G. I, 27. et Liv. VII, 31. Plures Cdd. hoc noſtro loco *deditus* legunt.

42) *ſcilicet* C. explicat *certo*, *liquido*. Videtur potius eſſe idem, quod *credo*, *opinor*, noſtrum *wol*. Porro pro *aeſtumabitis* C. habet *exiſtumabitis*, explicans hoc verbum *liquido cognoſcetis*, *intelligetis*; *aeſtumabitis* contra: *judicabitis*, *perpendetis*, quod illi minus aptum videtur. Sed vid. Cat. c. 8. n. 4.

43) Vocem *potentis* B. delevit. De re ipſa cf. Cat. c. 20.

44) *et illa quam haec* etc. „*Illa*, tempora intelligit, cum dominabantur pauci potentes (poſt Gracchorum caedem), *haec* (δεικτικῶς) quibus vindicare poſſumus in obnoxios reipubl. proditores." C. Quem ſecutus eſt B. Difficile eſt, quocumque te vertaris, ſine mutatione, meliorem invenire explicationem. Glarean. quidem, verba *quae haec* delenda cenſet, ſed eo difficultas non tollitur; quae in eo ſita eſt, quod duo tempora discernit, quae re vera non differunt, ſed tantum differre poſſunt, nempe illa, cum omnia in poteſtate paucorum erant, et haec, ubi poteſtatem iis eripiendi copia eſt. M. *haec* non ad tempora refert, ſed ad quaeſtiones et Jugurthae ipſius indicium.

45) *viro flagitioſ.* i. e. quovis indigniſſimum.

pune injuriam accepiſſe; tamen vos hominibus ſceleratiſſumis ignoſcere, quoniam cives ſunt, aequo animo paterer, niſi miſericordia in perniciem caſura eſſet. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum eſt, impune male feciſſe, niſi deinde faciundi licentia eripitur: et vobis aeterna ſollicitudo remanebit, cum intelligetis, aut ſerviundum eſſe, aut per manus libertatem retinendam. Nam fidei quidem, aut concordiae quae ſpes eſt? Dominari illi volunt; vos liberi eſſe: facere illi injurias; vos prohibere: poſtremo ſociis veſtris veluti hoſtibus; hoſtibus pro ſociis utuntur. Poteſtne in tam divorſis mentibus pax, aut amicitia eſſe? Quare moneo hortorque, ne tantum ſcelus impunitum omittatis. Non peculatus aerarii, factus eſt, neque per vim ſociis ereptae pecuniae: quae quamquam gravia; tamen conſuetudine jam pro nihilo habentur. Hoſti acerrumo prodita Senati auctoritas, proditum imperium veſtrum: domi militiaeque reſpublica venalis fuit. Quae niſi quaeſita erunt, ni vindicatum in noxios: quid erit reliquum, niſi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? nam impune quaelibet facere, id eſt Regem eſſe. Neque ego vos, Quirites, hortor, ut malitis civis veſtros perperam, quam recte feciſſe, ſed ne,

46) *Nam et illis* etc. „i. e. nam illi pro ſua effrenata lubidine (cupidine) et audacia incredibili, haud contenti erunt, jam multa injuſta feciſſe, ſed plura audebunt etc." B.

47) *per manus* „per vim et arma." B.

48) *fidei* i. e. amicitiae erga vos.

49) *Hoſti acerrumo* etc. cf. ſupra n. 25. Haec autem omnia dicuntur, quia Jugurtha largitione paucorum illa non reſpicit, ſed contemnit.

50) *ut malitis* etc. h. e. ut veſtrorum civium poena gaudeatis, ſed ut quamquam inviti, tamen exemplum ſtatuatis, ne alii malefacta eorum imitari conentur.

ignoſcendo malis, bonos perditum eatis. Ad hoc in republica multo praeſtat beneficii, quam maleficii immemorem eſſe. bonus tantummodo ſegnior fit, ubi neglegas; at malus improbior. Ad hoc, ſi injuriae non ſint, haud ſaepe auxilii egeas.

Caput XXXII.

Haec atque alia hujuscemodi ſaepe dicundo, Memmius populo Romano perſuadet, uti L. Caſſius, qui tum Praetor erat, ad Jugurtham mitteretur interpoſita fide publica, Romam duceret; quo facilius indicio regis, Scauri et reliquorum, quos pecuniae

---

51) *perditum eatis.* Cat. 52. „ne, dum paucis ſceleratis parcunt, bonos omnis *perditum eant.*"

52) *bonus tantummodo* etc. Thucyd. II, 46. „ἆθλα γὰρ οἷς κεῖται ἀρετῆς μέγιστα τοῖςδε καὶ ἄνδρες ἄριστοι πολιτεύουσι."

53) *auxilii egeas.* „Si poenis deterrueris potentes ab injuriis faciundis, ita, ut hae pauciſſimae fiant, rariſſime quoque Pop. Rom. egebit remediis." B.

Caput XXXII.

Quo facto L. Caſſius Praetor (a. u. 643) *ad Jugurtham miſſus, ut eum interpoſita fide publica Romam ducat ei perſuadet, ut populi Romani miſericordiam potius quam vim experiri malit.*

1) *dicundo* pro *indicendo*, C. e Cdd. repoſuit.

2) Vocem *Romano* C. expulit.

3) *L. Caſſius* idem eſt, qui poſtea conſul ab Helvetiis occiſus eſt. Vid. Caeſ. B. G. I, 7. Liv. Epit. 65.

4) *mitteretur.* De hoc imperf. poſt *perſuadet* vid. Cat. 34. n. 2.

5) *interpoſita fide publ.* i. e. promittens, Senatus populique Romani nomine, eum inviolatum futurum. Fides publica eſt, quod vulgo *ſalvum conductum* vocant Cat. 47. „*fide publica* dicere juſſus." — interponere, *verpfänden.*

captae arceſſebant, delicta patefierent. Dum haec Romae geruntur, qui in Numidia relicti a Beſtia exercitui praeerant, ſecuti morem imperatoris ſui, plurima et flagitioſiſſuma facinora fecere. Fuere, qui auro corrupti, elephantos Jugurthae traderent; alii perfugas vendere; pars ex pacatis praedas agebant. tanta vis avaritiae in animos eorum, veluti tabes, invaſerat. At Caſſius Praetor, perlata rogatione a C. Memmio, ac perculſa omni nobilitate, ad Jugurtham proficiſcitur; ei timido et ex conſcientia

---

6) *captae* pro *acceptae.* — de *arceſſebant* (h. l. idem quod arguebant) vid. Cat. 40. n. 15.

7) *relicti a Beſtia.* Vid. c. 29. extr.

8) *ſui* (poſt *imperatoris*) C. expunxit.

9) *elephantos — traderent.* Vid. c. 29. extr. — *traderent* pro *redderent*, poſitum eſt.

10) *vendere.* Sic C. bene pro vulgato *venderent.* Hoc enim retento, ſaltem legendum eſſet: alii perfugas *qui* venderent. De permixtione autem modorum et temporum vid. c. 23. cf. Cat. 48. n. 4.

11) *ex pacatis* i. e. ex agris ſociorum ſ. pacatorum.

12) *tanta vis av.* Ad verbum: *eine ſolche Gewalt von Habſucht*, nos: *eine ſo gewaltige Habſucht.* C. 53. „pulveris vim magnam." c. 75. „tanta vis aquae." Cf. Cat. 36. n. 21.

13) *in animos.* Plures Cdd. praepoſitionem *in* ante *animos* omittunt. Utrumque recte et Latine. Cat. 36. extr. „tanta vis morbi, — civium animos invaſerat." Cic. de Off. II, 21, 16. „modo enim hoc malum *in* hanc rempubl. invaſit." Idem ad Diverſ. XVI, 12. cum dat. „Sed mirus invaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam *his* etc."

14) *Caſſius Praetor. Praetor* et *Popul. Roman.* ſaepius in Cdd. confunduntur, quoniam utrumque per compendium ſcribitur P. R. Hinc h. l. alii *Praetor* legunt, alii *populi Romani*, quod utrumque C. delevit.

15) *rogatione* i. q. *lege*, quae ideo *rogatio* (*Anfrage*) vocatur, quod populus de ea interrogandus erat.

16) *conſcientia* int. *mala.*

diffidenti rebus ſuis, perſuadet: *quoniam ſe populo Romano dedidiſſet, ne vim, quam miſericordiam ejus, experiri mallet.* Privatim praeterea fidem ſuam interponit, quam ille non minoris, quam publicam ducebat. talis ea tempeſtate fama de Caſſio erat.

Caput XXXIII.

Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxume miſerabili, cum Caſſio Romam venit. Ac tametſi in ipſo magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut ſcelere cuncta ea geſſerat, quae ſupra diximus, C. Baebium tribunum plebis magna mercede parat, cujus impudentia

---

17) Pro *quoniam* C. dedit *quo* (ut legit Cd. Roſtoch.) quod pro *quia*, *quoniam* poni, ad Cat. 51. demonſtravit. At *quō*, per compendium ſcribebatur pro quoniam.

18) *talis ea tempeſt.* etc. „i. e. adeo clara et nobilis erat eo tempore gravitas et fides Caſſii." C.

Caput XXXIII.

Jugurtha cum Caſſio Romam veniens Baebium, tribunum plebis, magna mercede ſibi parat, qui ipſum defendat. Memmius contra, advocata concione, Jugurtham producit ab eoque poſtulat, ut miniſtros ac ſocios ſcelerum ſuorum indicet.

1) *cultu — miſerabili,* i. e. depoſitis regiis inſignibus, neque tantum privato veſtitu, ſed etiam reorum habitu, veſte ſqualida, barba capillisque promiſſis, ut miſericordiam moveret.

2) *ea geſſerat quae — dixim.* C. tantum dedit *cuncta geſſerat.*

3) *C. Baebium.* Editt. aliquot, poſt *Baebium* addunt *tamen*, ob antecedens *tametſi*. Sed quoniam idem mox poſt *quamquam*, aliisque (paucis) locis omittitur, C. illud et h. l. omiſit. cf. c. 6. n. 6.

4) *mercede parat,* pecunia corrumpit. Vid. cap. ſeq.

contra jus et injurias omnis munitus foret. At C. Memmius, advocata concione, quamquam regi infeſta plebes erat, et pars *in vincula duci* jubebat, pars; *ni ſocios ſceleris ſui aperiret, more majorum, de hoſte ſupplicium ſumi*; dignitati, quam irae magis conſulens, ſedare motus, et animos eorum mollire; poſtremo confirmare, *fidem publicam per ſeſe inviolatam fore*, poſt, ubi ſilentium coepit, producto Jugurtha, verba facit: *Romae Numidiaeque facinora ejus memorat; ſcelera in patrem fratresque* oſtendit: *quibus juvantibus, quibusque miniſtris ea egerit, quamquam intelligat populus Romanus; tamen velle manifeſta magis ex illo habere: ſi vera aperiret, in fide et clementia populi Romani magnam ſpem illi ſitam: ſin reticeat, non ſociis ſaluti fore, ſed ſe ſuasque ſpes corrupturum.*

---

5) *contra jus* etc. i. e. contra omnem poenam, vel juſtam, vel injuſtam.

6) *munitus* vid. c. 28. cf. c. 14. „jus et injurias omnes."

7) *fidem publicam.* Vid c. 32. n. 5. — *per ſeſe*, quantum in ipſo ſit.

8) *Romae Numidiaeque.* Romae (per legatos) *Numidiaeque* pro *in Numidia* ob ſubſtantivum *facinora*. Caeſ. B. G. VIII, 1. „Caeſaris noſtri commentarios rerum geſtarum *Galliae* etc. ubi vid. Daviſ. item Flor. I, 18. *Lucaniae* ſuprema pugna, ſub Aruſinis campis; ubi vid. Ducker.

9) *miniſtris.* c. 12. „quem ille miniſtrum oblatum promiſſis onerat."

10) *manifeſta magis.* Cat. 22. init. „fidi magis."

11) *ſed ſe.* C. ex nonnullis Cdd. *ſed* omiſit, et pro *ſe*, ſcripſit *ſeſe*. Equidem legend. puto *et ſe* ut ſenſus exeat: neque *ſociis*, neque *ſibi* ſaluti fore. cf. tamen c. 17. n. 7.

Caput XXXIV.

Dein, ubi Memmius dicundi finem fecit, et Jugurtha reſpondere juſſus eſt, C. Baebius tribunus plebis, quem pecunia corruptum ſupra diximus, regem tacere jubet: ac tametſi multitudo, quae in concione aderat, vehementer accenſa, terrebat eum clamore, voltu, ſaepe impetu atque aliis omnibus, quae ira fieri amat; vicit tamen impudentia. Ita populus ludibrio habitus ex concione diſceſſit: Jugurthae Beſtiaeque et ceteris, quos illa quaeſtio exagitabat, animi augeſcunt.

Caput XXXV.

Ea erat tempeſtate Romae Numida quidam, nomine Maſſiva, Guluſſae filius, Maſiniſſae nepos: qui, quia,

Caput XXXIV.

Baebius Jugurtham, quem tacere jubet, tam graviter et impudenter defendit, ut populus ludibrio habitus e concione diſcederet et Jugurtha Beſtiaque animum reciperent.

1) *ſupra* c. 55. „magna mercede parat."

2) *quae — fieri amat* i. e. quae per iram fieri ſolent. Singular. *amat*, graeco more, ad neutrum plural. *quae* poſitus eſt, ſicuti tota haec phraſis a Graecis deſumta Thucyd. III. 42 et 85. „φιλεῖ γίγνεσθαι." Salluſtium autem plurima e Graeco tranſtuliſſe notavit jam Quinctil. IX, 3. 17.

3) *augeſcunt*, augentur, creſcunt. Tacit. Hiſt. IV, 1. „augeſcente licentia."

Caput XXXV.

Per idem tempus Maſſiva quidam Maſiniſſae nepos, inſidiis Jugurthae Romae obtruncatur. Caedis reus fit Bomilcar, Jugurthae comes et fidus. Is a Jugurtha in Numidiam dimittitur; eumque paucos poſt dies ipſe Jugurtha ſequitur a Senatu Italia decedere juſſus.

1) *Guluſſae filius.* Vid. c. 5 .extr.

in diſſenſione regum, Jugurthae advorſus fuerat; dedita Cirta et Adherbale interfecto, profugus ex Africa abierat. Huic Sp. Albinus, qui proxumo anno poſt Beſtiam cum Q. Minucio Rufo Conſulatum gerebat, perſuadet, quoniam ex ſtirpe Maſiniſſae ſit, Jugurthamque ob ſcelera invidia cum metu urgeat; regnum Numidiae ab Senatu petat. Avidus Conſul belli gerundi movere, quam ſeneſcere omnia malebat. ipſi provincia Numidia; Minucio Macedonia evenerat. Quae poſtquam Maſſiva agitare coepit, neque Jugurthae in amicis ſatis praeſidii eſt: quod eorum alium conſcientia, alium mala fama et timor impediebat: Bomilcari, proxumo ac maxume fido ſibi, imperat, *pretio, ſicuti multa confecerat, inſidiatores Maſſivae paret, ac maxume occulte: ſin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat.* Bomilcar mature regis mandata exſequitur; et per

2) *regum* i. q. regulorum c. 11. a pr.

3) *dedita Cirta* etc. Vid. c. 26.

4) *Sp. Albinus.* Plenum ejus nomen fuit Spurius Poſthumius Albinus.

5) *proxumo anno.* i. e. a. u. 643.

6) *Jugurthamque.* C. et H. copulam omittunt.

7) *invidia cum metu.* i. e. et Jugurtha non modo inviſus ſit Romanis, ſed etiam ab iis timeatur. *Metus* enim et *invidia* h. l. paſſive accipienda ſunt. Cort. contra metum intelligit Jugurthae, ne regno excideret.

8) *movere* i. e. tentare omnia, ut bellum renovaretur. Nonnulli Cdd. *moveri*, quod H. tuetur. B. ex uno *novari* int. bellum.

9) *ſeneſcere* i. e. componi, remitti. Cf. Cat. 20. n. 31. et Liv. V. 21. „pugna ſeneſcit."

10) *et timor.* Nonnulli Cdd. addunt *animi*, quod etiam adjectum eſt Cat. 58. init., ſed in meliorib. hic deeſt.

11) *impediebat* int. quo minus Jugurthae praeſidio eſſet.

12) *Bomilcari.* „Idem Bomilcar dux poſtea eſt exercitus Jugurthini, c. 49.; a Metello corrumpitur c. 61.; Ju-

homines talis negotii artifices itinera egressusque ejus, postremo loca atque tempora cuncta explorat: deinde, ubi res postulabat, insidias tendit. Igitur unus ex eo numero, qui ad caedem parati erant, paullo inconsultius Massivam adgreditur, illum obtruncat: sed ipse deprehensus, multis hortantibus et in primis Albino consule, indicium profitetur. Fit reus magis ex aequo bonoque, quam ex jure gentium, Bomilcar; comes ejus, qui Romam fide publica venerat. At Jugurtha manifestus tanti sceleris non prius omisit contra verum niti, quam animum advortit, supra gratiam atque pecuniam suam, invidiam facti esse. Igitur, quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis, quam vadibus consulens, clam in Numidiam Bomilcarem dimittit: veritus, ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumtum foret. Et ipse paucis diebus profectus est, jussus ab Senatu Italia decedere. Sed postquam Roma egressus est, fertur, saepe eo tacitus respiciens, postremo dixisse: *urbem venalem et mature perituram, si emtorem invenerit.*

---

gurtham ad deditionem impellit c. 62. Inde regi suspectus eundemque suspiciens consilium capit, Jugurtham interficiendi c. 70. Re, per interceptas literas (c. 71.) prodita, a Jugurtha interficitur c. 72." C.

13) *artifices* i. e. gnaros.

14) *egressusque* (*Ausgänge*) tam extra urbem, quam extra domum, differunt ab itineribus. Tacit. Ann. XV, 56. ,,quod — aditurus esset *iter*, cujus ne modicos quidam *egressus* tolerarent.

15) *tempora* int. ubi commodissime opprimi posset.

16) *ubi res postulabat* i. e. occasione data.

17) *indicium profitetur*, indicat, se a Bomilcare in caedem esse subornatum. Tacit. Ann. VI, 5. extr., ,,ni *professus indicium* foret."

18) *magis ex aequo* etc. i. e. in judicium vocatur, (reus fit) magis ex jure naturae, quod quemcunque puniendum esse praecipit, ubi deliquit, quam ex jure gendum, quo etiam comites eorum, qui publica fide venerant, ab omni judicio et poena tuti erant. Contra explicat B., qui dum jus gentium intelligit h. l. id, quod ipsa ratione inter homines justum est (at hoc est *bonum aequumque*) hunc sensum elicit: ,,permittitur Bomilcari, ut in re capitali deprehensus, non ipse detineatur, sed vades dare possit." Sed verba addita: *comes ejus* etc. (siquidem comes erat ejus) rationem reddunt, quare in judicium vocari ex jure gentium nequiverit. Cf. c. 22. n. 10.

19) *manifestus — sceleris*. i. q. tanti sceleris convictus, s. reus. Cat. 52. ,,manifestis rerum capitalium." De genitivo *sceleris* cf. Cat. 7. n. 12.

20) *contra verum niti*, facinus suum negare, sed confiteri se auctorem caedis fuisse.

21) *supra gratiam* etc. i. e. se a fautoribus suis pecunia emtis deseri.

22) *in priore actione* (*im ersten Termine*) Stromb. ,,*im ersten Verhöre*."

23) *ex amicis* int. Romanis.

24) *Vades dederat*. ,,Vades spondebant, capitis reum, ad causam dicendam praesto futurum, aut semetipsos mulctam soluturos." C.

25) *regno magis — consulens* veritus, ne reliquos amicos inter populares cum iisque regnum amitteret. Cdd. aliquot inter *regno* et *magis* interserunt *tamen*, ob *quamquam* anteced. Cf. ad 53.

26) *de illo* Bomilcare, qui supra proximus ac maxime fidus vocatur.

27) *Et ipse paucis diebus* etc. Paullo aliter Liv. Epit. 64. ,,et propter caedem admissam in — Massivam —, quum periclitaretur (Jugurtha) causam capitis dicere jussus, *clam profugit*, et cedens urbe fertur dixisse: O urbem etc. cf. Flor. III, 1.

28) *urbem venalem*. Duo Cdd. legunt: O *urb. ven.* eodemque modo Liv. l. c. et Orosius V, 15. haec verba citant; quod mihi melius esse videtur. De ipsa sentent. cf. c. 28. pr.

Caput XXXVI.

Interim Albinus, renovato bello, commeatum, ſtipendium, aliaque quae militibus uſui forent, maturat in Africam portare; ac ſtatim ipſe profectus, uti ante comitia, quod tempus haud longe aberat, armis, aut deditione, aut quovis modo bellum conficeret. At contra, Jugurtha trahere omnia, et alias, deinde alias morae cauſas facere: polliceri deditionem, ac deinde metum ſimulare: inſtanti cedere, et paullo poſt, ne ſui diffiderent, inſtare: ita belli modo, modo pacis mora Conſulem ludificare. Ac fuere, qui tum Albinum haud ignarum conſilii regis exiſtumarent; neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum ſecordia magis, quam dolo crederent. Sed poſtquam, dilapſo tempore, comitiorum

---

Caput XXXVI.

Albinus in Africam quidem trajicere maturat, ut ante comitia bellum conficiat, ſed illud Jugurthae dolis trahitur, ita ut conſul non ſine conſenſionis ſuſpicione tempore fruſtra dilapſo Romam ad comitia redeat.

1) *Albinus.* Vid. c. anteced. n. 4.

2) *uſui forent* Cf. c. 43. „quae bello — uſui eſſe ſolent"

3) *portare* i. q. transportare.

4) Poſt *profectus* Cdd. nonnulli adjiciunt *eſt.*

5) *ante comitia* Vid. Cat. 26. n. 9. Multum enim anni jam praeterlapſum erat.

6) *trahere.* Vid. c. 23. o.

7) *morae — facere*, cauſas effingere, quibus permotus conſul bellum incipere dubitabat.

8) *inſtanti* i. e. conſuli adgredienti.

9) *ita belli modo* etc. i. e. dum nunc bellum, nunc pacem facere ſe ſimulat, tempus conſumitur.

10) *ex tanta properantia*, i. e. cum Albinus antea tam properaſſet. *Ex* pro *poſt*, ut Cat. 4. „*ex* multis miſeriis."

dies adventabat; Albinus, Aulo fratre in caſtris pro Praetore relicto, Romam deceſſit.

Caput XXXVII.

Ea tempeſtate Romae ſeditionibus tribuniciis atrociter res publica agitabatur. P. Lucullus et L. Annius, tribuni plebis, reſiſtentibus collegis, continuare magiſtratum nitebantur: quae diſſenſio totius anni comitia impediebat. Ea mora in ſpem adductus Aulus, quem pro Praetore in caſtris relictum ſupra diximus, aut conficiundi belli, aut terrore

---

11) *pro Praetore* i. e. loco Praetoris, cum imperio et dignitate Praetoria. Vid. Cat. 19. n. 1. „Eundem, infra c. 38. legatum nominat." C.

12) *deceſſit* i. e. deceſſit Africa et Romam ſe contulit. Latini enim verbo, cum praepoſitione compoſito, alium ſaepe nominis caſum adponunt, quam iſta praepoſitio poſtulat, ut altero verbo ſuperſedeant. Nos: *er ging nach Rom ab*, ubi *ab* locum *unde* denotat. Alii pro *deceſſit* legunt *diſceſſit.*

Caput XXXVII.

Dum comitia Romae turbis tribuniciis impediuntur, Aulus frater Albini pro Praetore in caſtris relictus, oppidum Suthul, quod inexpugnabile erat per hiemem oppugnare parat.

1) *agitabatur*, vehementer commovebatur ſ. concutiebatur.

2) *continuare magiſtratum*, int. ſuum, non conſulum. Tribunatus enim ipſe magiſtratus fuit. Liv. IV, 2. „Aut hunc ordinem (patricium) aut illum *magiſtratum* (tribunorum) tollendum eſſe."

3) *totius anni comitia*, i. e. comitia in hoc toto anno, ſive cum C. „omnia anni comitia, non tantum tribunorum, ſed etiam magiſtratuum majorum.

4) *ſupra*, paullo ante, c. 36. n. 11.

exercitus ab rege pecuniae capiundae, milites menſe Januario ex hibernis in expeditionem evocat; magniſque itineribus, hieme aſpera, pervenit ad oppidum Suthul, ubi regis theſauri erant. Quod quamquam et ſaevitia temporis, et opportunitate loci neque capi, neque obſideri poterat: (nam circum murum, ſitum in praerupti montis extremo, planities limoſa hiemalibus aquis paludem fecerat): tamen aut ſimulandi gratia, quo regi formidinem adderet, aut cupidine caecus, ob theſauros, oppidi potiundi, vineas agere, aggerem jacere, aliaque quae incepto uſui forent, properare.

---

5) *terrore exercitus*, terrendo regem exercitu Romano. Paullo poſt: „quo regi formidinem adderet."

6) *pecuniae cap.* (repete: in ſpem adductus) ab rege.

7) *evocat* i. q. educit.

8) *Suthul.* Nomen et ſitus ejus ignotus eſt. Alii *Sutul*, alii *Suchul* ſcribunt. Vid. c. 12. n 4. Ceterum Strabo XVII, p. 572. *Capſam τὸ γαζοφυλάκιον τοῦ Ἰουγούρθα* nominat, ut adeo in pluribus oppidis Jugurtha theſauros habuerit. Sed noſter ipſe c. 89. de Capſa nihil tale memorat.

9) *in praerupti m. extr.* i. e. qui in montis praerup. radicibus ſ. margine poſitus ſ. exſtructus fuit.

10) *adderet*, injiceret.

11) Verba: *ob theſauros oppidi potiundi*, quae maxima Cdd. pars tuetur, C. reſecuit.

12) *vineas agere.* Cf. c. 21, n. 7. Veget. de re mil. IV, 15 „vinea *agitur*, cum in aggere promovetur."

13) *aggerem jacere.* „Aggerem jaciebant, ut aequarent murorum altitudinem, ſuper eum turres exſtruebant, ex quibus ſimul, et ex ipſo aggere oppidani telis petebantur, ut ceteras machinas tuto admovere liceret." C.

Caput XXXVIII.

At Jugurtha, cognita vanitate atque imperitia legati, ſubdolus ejus augere amentiam: miſſitare ſupplicantis legatos: ipſe, quaſi vitabundus, per ſaltuoſa loca et tramites exercitum ductare. Denique Aulum ſpe pactionis perpulit, uti, relicto Suthule, in abditas regiones ſeſe, veluti cedentem, inſequeretur; ita delicta occultiora fore. Interea per homines callidos die noctuque exercitum tentabat: centuriones ducesque turmarum, partim uti transfugerent, corrumpere; alii, ſigno dato, locum uti deſererent.

Caput XXXVIII.

Aulus a Jugurtha in abditas regiones relicta Suthule pellicitus, ibique nocte oppreſſus, ea conditione, ut ſub jugum mitteretur et decem diebus Numidia decederet pacem facere cogitur.

1) *vanitate*, temeritate et inconſiderantia, vano conſilio, ut Cat. 23. init.

2) *legati*, Auli. Vid. 56.

3) Pronomen *ejus* poſt ſubdolus, C. cum duob. Cdd. omiſit.

4) *miſſitare.* Liv. IX, 45. „*miſſitaverant* — auxilia".

5) *delicta occultiora fore*, putans in his locis obſcuris ſua quoque delicta (ſpe enim pactionis Aulum eo pellexerat) obſcura fore. Niſi *delicta* intelligere malis de foeda Auli pace, vel centurionum transitione. C. qui nullum in his verbis, ſic poſitis, ſenſum videt, ea poſt verba ſequentis ſectionis: *locum uti deſererent*, poſuit, ubi tamen non minus difficilia ſunt. B. ea incluſit et pro *fore* legit e Cd. *fuere*, obſcura quadam explicatione adjecta.

6) *tentabat* i. e. militum animos explorabat, eoſque a duce ſuo abalienare quaerebat. B., perperam credo, „fidem ejus pecunia corrumpebat" non enim totum exercitum, ſed duces nonnullos corrumpebat.

7) *partim uti* etc. i. e. corrumpebat, ut partim transfugerent, partim, (alii) ut ſigno dato locum deſererent. C. verbum *corrumpere*, tanquam ſpurium, incluſit.

Quae poſtquam ex ſententia inſtruxit; intempeſta nocte, de improviſo, multitudine Numidarum Auli caſtra circumvenit. Milites Romani, perculſi tumultu inſolito, arma capere alii, alii ſe abdere, pars territos confirmare; trepidare omnibus locis: vis magna hoſtium, coelum nocte atque nubibus obſcuratum; periculum anceps: poſtremo fugere, an manere tutius foret, in incerto erat. Sed ex eo numero, quos paullo ante corruptos diximus, cohors una Ligurum, cum duabus turmis Thracum, et paucis gregariis militibus, transiere ad regem: et centurio primi pili tertiae legionis, per muni-

---

Sed, ſicuti *tentabat* ad totum exercitum ſpectat, ita *corrumpere* ad ſingulos duces, quos corruptioni idoneos invenit. Paullo infra de iisdem: quos *corruptos diximus*." De orationis forma cf. c. 25. n. 2.

8) Pro *inſtruxit* C. ex aliquot Cdd. *inſtruit*, quod praeſens, poſt *poſtquam* etſi apud noſtrum occurrit, (Cat. 57. „Catilina poſtquam *videt*) tamen non ubique intrudendum eſt.

9) *intempeſta nocte.* Vid. Cat. 27. n. 12.

10) *confirmare* i. e. territis ſ. meticuloſis animum addere. Cf. 23. n. 9.

11) *trepidare.* Vid. Cat. 51. n. 5.

12) *anceps* periculum erat, partim ex magna hoſtium vi (vid. c. 32. n. 12.) partim ex nocte obſcura. Aliter C.

13) *ex eo numero* i. e. ex iis, quos diximus cf. c. 37. „Aulus, quem ſupra diximus.

14) *Ligurum.* Ligures, per multas clades, a. L. Aem. Scauro in deditionem Romanorum accepti erant. Cf. Flor. II, 3.

15) *Thracum.* Thraces, inde a bello Macedonico in exercitu Romano fuerunt. Vid. Flor. III, 4.

16) *gregariis militib.* int. Romanorum.

17) *centurio primi pili.* De legione vid. Cat. 56. n. 5. Ei adjuncti erant triginta turmae equitum, quarum ſingulae triginta equites continebant. Cf. Cat. 32, n. 8.

tionem, quam, uti defenderet, acceperat, locum hoſtibus introeundi dedit: eaque Numidae cuncti irrupere. Noſtri foeda fuga, plerique abjectis armis, proximum collem occupavere. Nox atque praeda caſtrorum hoſtes, quo minus victoria uterentur, remorata ſunt. Deinde Jugurtha poſtero die cum Aulo in colloquio verba facit: *tametſi ipſum cum exercitu fame, ferro clauſum teneat: tamen ſe humanarum rerum memorem, ſi ſecum foedus faceret, incolumis omnis ſub jugum miſſurum: praeterea, uti diebus decem Numidia decederet.* Quae quamquam gravia et

---

Porro in legione erant tria militum genera, *Triarii ſive Pilani*, *Principes* et *Haſtati*. Horum ſingulorum generum viginti centuriones erant, cum ſingulis manipulis duo centuriones, dexter et ſiniſter, praeeſſent. Primus ſ. dexter centurio primi pili Pilanorum ſ. Triariorum dictus eſt *centurio primi pili*, qui tribuno proximus reliquos centuriones Triariorum et primum *Principem* et primum *Haſtatum* dignitate anteibat, ſicuti quoque primus centurio inter Principes (*primus princeps*), et primus inter Haſtatos (*primus Haſtatus*) ſecundum et tertium honore anteibat. Vid. Liv. XLII, 34, cf. Morus ad. Caeſ. B. C. II, 25.

18) *per munitionem.* i. e. per vallum ſeu portam caſtrorum.

19) *remorata ſunt.* De neutro pluralis poſt duo feminina cf. Cat. 20. n. 6. cf. ibid. c. 31. n. 2.

20) *clauſum teneat*, Sic unus Cortii. Vulgo *tenet*, quod C. retinuit. *clauſum* int. in colle, quem Jugurtha copiis circumdederat.

21) *rerum humanar.* Vid. c. 104. verſus fin.

22) *teneat — faceret.* Vid. Cat. 54. n. 2.

23) *ſub jugum miſſurum.* Liv. III, 28. extr. dictator Romanus dicit; „ut exprimatur confeſſio, ſubactam domitamque eſſe gentem (Aequorum), ſub jugum abituros." Liv. adjicit: „Tribus haſtis jugum fit, humi fixis duabus, ſuperque eas transverſa una deligata. Sub hoc jugo dictator Aequos miſit." cf. Dionyſ. Halic. III, 21.

flagitii plena erant: tamen, quia mortis metu mutabant, ficuti regi libuerat, pax convenit.

Caput XXXIX.

Sed ubi ea Romae comperta funt, metus atque moeror civitatem invafere: pars infolita rerum bellicarum timere libertati: Aulo omnes infefti, ac maxume, qui bello faepe praeclari fuerant: quod armatus dedecore potius, quam manu, falutem quaefiverat. Ob ea Conful Albinus, ex delicto fratris invidiam, ac deinde periculum timens, Senatum de foedere confulebat: et tamen interim exercitui fupplementum fcribere: ab fociis et nomine Latino au-

24) *flagitii plena* i. e. contumeliofa. Stromb. „*fchandvoll.*"

25) *quia mortis metu* etc. quia mortem metuentes pacem faciebant. Siquidem jugum h. l. erat incolumitatis f. vitae conditio. *Mutare* autem i. q. *pacifci*, (emere) fiquidem omne pactum mutatio quaedam eft. Cat. 59. nemo nifi victor, pace bellum *mutavit.*" Cf. infra c. 44. Alii pro *mutabant* legunt *nutabant* (dubii erant), alii *mutabantur*, alii aliter. cf. Ruhnk. ad Vellej. Paterc. II, c. 82.

Caput XXXIX.

Quamvis Senatus Romanus hanc pacem non agnofcit et Albinus conful in Africam feftinat, ut fratris cladem ulcifcatur, tamen ob corruptam militum disciplinam nihil tentare poteft.

1) *infolita*, ignara, imperita.

2) *quod armatus* etc. viam per hoftes fibi non aperuiffet vi, fed ignominiofam pacem feciffet. Pro *quaefiverat* H. *quaefiverit.* Vid. Cat. 27. n. 15.

3) *Ob ea* i. e. ob hunc metum moeroremque et indignationem Romanorum primum invidiam deinde periculum timens.

4) *nomine Latino.* nomen Latinum, funt omnes, qui Latini nominabantur, Latium incolentes, qui plura jura cum Romanis communia habebant. Socii contra funt Italici, extra Latium antiquum habitantes.

xilia arceffere: denique modis omnibus feftinare. Senatus ita, uti par fuerat, decernit, *fuo atque populi injuffu nullum potuiffe foedus fieri.* Conful impeditus a tribunis plebis, ne, quas paraverat copias, fecum portaret, paucis diebus in Africam proficifcitur. nam omnis exercitus, uti convenerat, Numidia deductus, in provincia hiemabat. Poftquam eo venit: quamquam perfequi Jugurtham et mederi fraternae invidiae animo ardebat; cognitis militibus, quos praeter fugam, foluto imperio, licentia atque lafcivia corruperat, ex copia rerum ftatuit, nihil fibi agitandum.

Caput XL.

Interea Romae C. Mamilius Limetanus tribunus plebis rogationem ad populum promulgat, *uti*

5) *par fuerat. fuerat* pro *erat.*

6) *a tribunis pleb.* poterant enim tribuni pleb. decretis actionibusque Confulis ac Senatus intercedere.

7) *uti convenerat.* Vid. c. anteced. extr.

8) *in provincia.* Vid. c. 25. n. 13.

9) *animo ardebat.* Nonnulli Cdd. *animus* ardebat, quod C. probat.

10) *foluto imperio* „Imperator enim pari contumelia cum milite notatus, ademtis imperii infignibus armisque, inconditae nunc multitudini, non exercitui praeerat." C.

11) *ex copia rerum*, pro hac rerum conditione five ftatu; uti fe res habebant. c. 98. „Tum Marius *ex copia rerum* confilium trahit." Cf. c. 50.

Caput XL.

C. Mamilii Limetani rogatione populus jubet, de omnibus, qui in rebus Jugurthinis adhuc deliquiffent quaeftione e haberi; hinc tres quaefitores creantur, e quibus et Scaurus unus eft.

1) *promulgat* i. e. publice proponit, ut quicunque voluerit, rogationi intercedat, nullo autem intercedente lex fiat. Vid. Cic. ad Attic. I, 13. ibique Manut.

quaereretur in eos, quorum confilio Jugurtha Senati decreta neglexiffet, quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepiffent; qui elephantos, quique perfugas tradidiffent; item, qui de pace, aut bello cum hoftibus pactiones feciffent. Huic rogationi partim confcii fibi, alii ex partium invidia pericula metuentes, quoniam aperte refiftere non poterant, quin illa et alia talia placere fibi faterentur; occulte per amicos, ac maxume per homines nominis Latini et focios Italicos impedimenta parabant. Sed plebes, incredibile memoratu eft, quam intenta fuerit, quantaque vi rogationem jufferit, decreverit, voluerit;

---

2) *quaereretur* i. q. inquireretur. C. 31. extr. „quae nifi quaefita erunt."

3) *Senati decreta neglex.* Vid. c. 16.. ubi legati in regno dividendo meliorem partem Numidiae dederant Jugurthae, deinde c. 22. et 25., ubi legati infecta re redierant.

4) *aut imperiis* i. e. imperatores, ut Calpurn. Beftia c. 29. et 32.

5) *elephantos tradidiff.* Vid. c. 32.

6) *pactiones feciff.* Vid. c. 38.

7) *partim — alii* Vid. Cat. 2. n. 4.

8) *confcii fibi* int. culpae.

9) *ex partium invidia*, non ex propria culpa, fed ex odio, quo fe fuae partis homines oneraverant.

10) *refiftere* int. huic rogationi.

11) *quin — faterentur.* Sine confeffione, quod talia (delicta) fibi placerent. Cf. Cat. 39. n. 13.

12) *per homines nominis Lat.* etc. Habebant nimirum focii Italici et nomen Latinum (vid. c. 39. n. 4.) in legibus ferendis fuffragia.

13) *incredibile memoratu.* Cf. Cat. 5. n. 8.

14) *intenta* i. e. adverfarios fuos puniendi cupida.

15) *vi* i. e. ftudio, ardore.

16) Verba *decreverit, voluerit* B. cum aliquot Cdd. omifit. C. contra putat, rogationis perlationem, hac

magis odio nobilitatis, cui mala illa parabantur, quam cura reipublicae; tanta lubido in partibus erat. Igitur ceteris metu perculfis, M. Scaurus, quem legatum Beftiae fuiffe fupra docuimus, inter laetitiam plebis, et fuorum fugam, trepida etiam tum civitate, cum ex Mamilia rogatione tres quaefitores rogarentur, effecerat, uti ipfe in eo numero crearetur. Sed quaeftio exercita afpere violenterque ex rumore, et lubidine plebis. ut faepe nobilitatem, fic ea tempeftate plebem ex fecundis rebus infolentia ceperat.

---

verborum accumulatione, melius notari, quamquam alias populus non *decernat.* Sed vid. Vellej. Paterc. II, 18. „legem tulit *ad populum*, qua *decerneretur* bellum."

17) *mala illa* i. q. quaeftiones illae et poenae.

18) *lubido* i. e. ardor f. ftudium nocendi parti adverfariae.

19) Verb. *fuiffe* C. expunxit.

20) *fupra docuimus* c. 28. et 29.

21) *inter — fugam* i. e. dum nobiles plurimi, Scauri focii, ut ipfe a Jugurtha corrupti quaeftiones fuga et exilio evitabant, ipfe prudenter fit unus e quaefitoribus, et ita effugit.

22) *trepida — civitate* i. e. et inter civitatis trepidationem, ob hanc quaetionem, et plebis vindictam.

23) *quaefitores* praeerant judiciis extraordinariis, in criminibus gravioribus, de quibus nulla lex erat.

24) *afpere* i. e. acriter, et multo cum ftudio et ardore.

25) *ex rumore*, prout quisque *fama* tantum delictorum particeps ferebatur.

26) *ex fecundis rebus*, propter rerum fuarum felicem fucceffum.

Caput XLI.

Ceterum mos partium popularium, et Senati factionum, ac deinde omnium malarum artium, paucis ante annis Romae ortus eſt, otio et abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et Senatus Romanus placide modeſteque inter ſe rempublicam tra-

Caput XLI.

Quod nobilium plebejorumque discidium invaluit maxime poſt Carthaginem deletam, otii et pecuniae abundantia. Inde enim ambitio et avaritia, reliquaque vitia quae civitatem Romanam peſſum dederunt, derivanda ſunt. Nam ex his vitiis maximae inter cives turbae oriebantur.

1) *mos.* Morem vocat hoc partium et factionum ſtudium, quoniam poſt Carthaginem deletam, paullatim in morem abierat.

2) *partium — factionum. Partes* populares (populi ſ. plebis), de induſtria diſtinguuntur a Senatus *factionibus*, infra: „nobilitas *factione* magis pollebat." Eſt autem factio, ut ipſe explicat c. 31., injuſtorum hominum conſpiratio, quales a noſtro nobiles habentur. Hinc verba voci *partium* adjecta: *popularium et Senati factionum* cum Grut., quo etiam C. inclinat, pro gloſſemate non habeo. Ceterum aliter hunc locum interpungit B.

3) *malarum artium*, vitiorum, veluti luxuriae et avaritiae.

4) *paucis — annis* i. e. triginta quinque, tot enim fere a Carthagine deleta (608) usque ad hunc belli Jugurthini annum (643) effluxerant.

5) Verb. *eſt* poſt *ortus* C. expunxit:

6) *quae prima* pro *quas primas.* i. e. omnibus anteferendas. Cat. 56 n. 16. „otium atque divitiae, *quae prima* mortales putant." Simili modo Cic. ad Diverſ. XVI, 4. „ſumtui ne parcas, ulla in *re*, *quod* ad valetudinem *opus* ſit." Idem de N. Deor. II, 20. „Animal — *quem* vocamus hominem. Vid Cat. 7. n. 11. Flor. III, 12. „Quae enim res alia furores civiles peperit, quam *nimia felicitas.*"

ctabant: neque gloriae, neque dominationis certamen inter civis erat: metus hoſtilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus diſceſſit; ſcilicet ea, quae ſecundae res amant, laſcivia atque ſuperbia inceſſere. Ita, quod in advorſis rebus optaverant, otium, poſtquam adepti ſunt, aſperius, acerbiusque fuit. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vertere: ſibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta ſunt. respublica, quae

7) *tractabant* i. q. adminiſtrabant. Cat. 6. n. 22. ibid. 51. „Lacedaemonii triginta viros impoſuere, qui rempublicam *tractarent.*" Ceterum notandum eſt, hoc partium ſtudium ſ. nobilium et plebejorum discordiam jam inde a tribunorum plebis creatione (a. u. 260) incepiſſe, quod poſt Carthaginem deletam ad ſummum gradum aſcendit. Hinc dubitandum eſt, an h. l. vere dictum ſit, populum et Senatum rem publicam usque ad Carthaginem deletam *placide* tractaſſe.

8) *gloriae* int. vanae.

9) *inter civis* i. e. inter nobiles et plebejos.

10) *artibus* i. q. moribus. Flor. III, 12. „Poenorum — metus disciplinam veterem continebat."

11) *amant* i. e. ea quae res ſecundas comitari ſolent. *Scilicet ea* Grut. et C. delent. B. loco ſcilicet conjicit *illico.*

12) *laſcivia* i. q. libido (*Uebermuth*) reſpicit ad populum, *ſuperbia* ad Senatum.

13) *aſperius*, gravius, periculoſius reipublicae, int. quam metus hoſtilis hucusque fuerat.

14) *in lubidinem vertere* i. e. non uti ex aequo, ſed abuti ex libidine.

15) *ducere, trahere, rapere.* In his verbis eſt climax. Nam qui primum rempublicam ſ. imperium furtim ad ſe *ducebant*, mox eandem violentius ad ſe *trahebant*, et denique maxima cum ferocia *rapiebant.*

16) *abstracta* i. q. in duas partes *distracta*, et veluti a rapidis canibus, dilacerata. Liv. II, 31. „Dum tri-

media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat: plebis vis ſoluta atque diſperſa, in multitudine minus poterat: paucorum arbitrio belli domique respublica agitabatur: penes eosdem aerarium, provinciae, magiſtratus, gloriae triumphique erant: populus militia atque inopia urgebatur; praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes, aut parvi liberi militum, ut quisque potentiori confinis erat, ſedibus pellebantur. Ita cum potentia, avaritia ſine modo modeſtiaque invadere; polluere et vaſtare omnia; nihil penſi,

---

buni conſulesque ad ſe quisque omnia *trahant*, nihil relictum eſſe in *medio: distraotam laceratamque* rempublicam."

17) *Ceterum nobilitas* etc. Senſus eſt: ſed in hoc certamine de reipublicae poſſeſſione, nobiles vicerunt, ob majorem concordiam, cum numero eſſent pauciores, quam plebs, cujus vis ideo ſoluta ac disperſa erat.

18) *belli domique*, alias *domi militiaeque*.

19) *respublica*. Hanc vocem plures Haverc. Cdd. adjiciunt, quam B. tacite ſed bene credo, recepit. H. ipſe cum C. eam omiſit. — *agitabatur*, vexabatur. cf. Cat. 58. n. 9.

20) *penes eosdem* int. paucos nobiles.

21) *diripiebant*, ſibi ſolis injuſte vindicabant.

22) *militum* i. e. plebejorum qui militabant. — Pro *aut* legere malim *et*. Noſtro conſentit fere Horat. Od. II, 18. „pellitur (ex agri divitum confinio) et uxor et vir, deos paternos in ſinu ferens ſorditosque natos." Loco *militum* M. legend. eſſe conjicit vel *clientum* vel *humiliorum*. cf. Caeſ. B. G. VI, 22. „(ne) potentiores (que) humiliores poſſeſſionibus expellant."

23) *Ita cum potentia* etc. Ita potentiae paucorum nobilium, mox adjuncta eſt avaritia.

24) *ſine modo modeſtiaque*. Vid. Cat. 11. n. 14.

25) *polluere et vaſtare* dicta ſunt ob pulchram, qua utitur, ſimilitudinem horum malorum cum infeſto hoſtium agmine, quod dum irruit, omnibus rebus manus rapaces injicit (polluit) et vaſtat.

26) *nihil penſi* etc. Vid. ad Cat. 5. n. 15.

neque ſancti habere, quoad ſemet ipſa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti ſunt, qui veram gloriam injuſtae potentiae anteponerent; moveri civitas, et disceſſio civilis, quaſi permixtio terrae, oriri coepit.

Caput XLII.

Nam poſtquam Tiberius et C. Gracchus, quorum majores, Punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem

---

27) *praecipitavit*, int. in exitium.

28) Verba: *ex nobilitate* C. tanquam ſpuria incluſit, ſed vereor, ut contextus id patiatur. Ex nobilitate enim oportebat eſſe eos, qui injuſtae potentiae veram gloriam anteponerent, cum nobiles tantum, ſicut hucusque dictum eſt, injuſtam potentiam exercerent. Huc accedit, quod *Gracchi*, quos hic reſpicit auctor, nobiles (quamquam ortu plebeji) erant, ſiquidem pater eorum Tib. Sempron. Gracchus, bis conſul fuit; vid. Plutarch. in vit. Gracch. et Reiske T. IV. p. 610. cf. Cic. Cat. I, 2.

29) *disceſſio civilis* i. e. disceſſio inter nobiles et plebejos, tanta oriri coepit, quanta fuit in prima terrae permixtione, quae chaos vocatur, ubi omnia elementa inter ſe confuſa infeſtaque maximas turbas ciebant; quibus verbis *Gracchorum* turbas depingit. Sed locum hunc vere permiſcuit C., ſine omni neceſſitate corrigens: *permixtio civilis, quaſi disceſſio terrae.*

Caput XLII.

Tiberius et Caj. Gracchi, potentiam nobilium frangere conati, belli civilis auctores fuerunt.

1) *C Cracchus*. De Cracchis vid. c. 31. n. et 16. n. 5.

2) *quorum majores*, Africanus major et minor. vid. c. anteced. n. 28. Cf. Cic. in Catil. I, 2.

3) *addiderant*, reipublicae imperium auxerant.

4) *vindicare in libert.* Cat. 20. „niſi nosmet ipſos vindicamus in libertatem."

et paucorum scelera patefacere coepere: nobilitas noxia, atque eo perculsa, modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis a plebe dimoverat, Gracchorum actionibus obviam ierat: et primo Tiberium, dein paucos post annos eadem ingredientem Cajum, Tribunum alterum, alterum Triumvirum coloniis deducendis, cum M. Fulvio Flacco ferro necaverat. Et sane Gracchis, cupidine victoriae, haud satis moderatus animus fuit. Sed bono vinci satius est, quam

---

5) *scelera* i. e. potestatem injustam et avaritiam.

6) *noxia*, culpae sibi conscia.

7) *nomen Lat.* Vid. c. 39. n. 4.

8) *per equites.* Equites quodammodo medius quidam inter nobiles et plebem ordo fuit, quem nobilitatem pecuniariam dicere possis, quemque nobiles saepe in partes suas traxerunt.

9) *Tiberium* Vid. c. 31. n. 6.

10) *ingredientem*, aggredientem, seu fratris incepta persequentem, seu, quod melius, eadem (via) ingredientem.

11) *Tribunum alterum.* i. e. quamquam alter eorum (Tib. Gracchus) tribunus, alter (Caj) triumvir coloniis deducendis s. agris dividendis fuit. sed Plutarcho in Gracch. et Freinsh. in Suppl. Liv. LVIII, 27. auctoribus, uterque et tribunus et triumvir agris divid. fuerunt. Hinc *alterum alterum* explicandum videtur: unum itemque Tribunum et Triumvirum.

12) *M Fulv. Flacco.* Hic interfectus est, cum duobus filiis, quia a C. Graccho in locum Tib. fratris triumvir nominatus et socius regalis potentiae assumtus erat. Cf. Cic. in Cat. I, 2.

13) *Sed bono vinci* etc. Sensus est: sed quamquam Gracchi non satis moderati fuerunt eamque ob causam oppressi, tamen bonis moribus (bonos) fuisse et vinci, iis majoris gloriae fuit, quam (malis moribus) esse, sicuti adversarii nobiles, et vincere. Alii ad *bono* supplent *viro*.

malo more injuriam vincere. Igitur ea victoria nobilitas ex lubidine sua usa, multos mortalis ferro, aut fuga exstinxit; plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae, addidit. Quae res plerumque magnas civitatis pessum dedit: dum alteri alteros vincere quovis modo; et victos acerbius ulcisci volunt. Sed de studiis partium et omnibus civitatis moribus, si singulatim, aut pro magnitudine parem disserere, tempus, quam res, maturius me deserat. Quamobrem ad inceptum redeo.

Caput XLIII.

Post Auli foedus exercitusque nostri foedam fugam, Q. Metellus et M. Silanus Consules designati

---

14) *fuga exstinxit.* E verbo *exstinxit*, quod convenit tantum ferro, depromas *expulit* c. 58. „fame ferroque *clausum*."

15) *Quae res*, i. e. quae civilis contentio. Cf. cum nostro Thucyd. III, 82.

16) *parem disserere* singula quaeque pro rei gravitate tractare velim. (*parem* a parare).

17) *me deserat.* tempus citius quam materia me deficiat. *me* e plurib. Cdd. revocavi. H. pro *deserat* legit *deseret*.

Caput XLIII.

Tum Q. Metellus, consul in annum u. c. 644. designatus, cui Numidia evenerat, novis militibus scriptis, magna civium spe, si quidem vir optimae famae et ab avaritia alienus erat in Numidiam proficiscitur.

1) *foedam fugam* Vid. c. 38.

2) *Q.* (Caecilius) *Metellus* (consul 644.), ab hac expeditione *Numidicus* cognominatus, vir summae constantiae fuit. Nam unus e senatoribus fuit, qui in Saturnini leges jurare recusavit, et hanc ob causam in exilium missus, nonnisi precibus lacrymisque filii commotus, qui inde Pii nomen traxit, Romam rediit. Vid. Flor. III, 16.

3) *M.* (*Jun.*) *Silanus*, postea consul, in Gallia contra Cimbros male pugnavit. Flor. III, 3.

provincias inter ſe partiverant: Metelloque Numidia evenerat, acri viro, et, quamquam advorſo populi partium, fama tamen aequabili et inviolata. Is ubi primum magiſtratum ingreſſus eſt, alia omnia ſibi cum collega ratus, ad bellum, quod geſturus erat, animum intendit. Igitur diffidens veteri exercitui, milites ſcribere, praeſidia undique arceſſere: arma, tela, equos, cetera inſtrumenta militiae parare: ad hoc commeatum affatim: denique omnia, quae bello vario et multarum rerum egenti uſui eſſe ſolent. Ceterum ad ea patranda Senatus auctoritate, ſocii nomenque Latinum et reges ultro auxilia mittendo, poſtremo omnis civitas ſummo ſtudio adni-

4) Pro *partiverant*, i. e. ſorte inter ſe diviſerant, Victorius ad Cic. ad Diverſ. I, 9. et Gronovius in Obſervatt. I, 10. legere malunt *paraverunt* i. e. ſine ſorte de provinciis inter ſe convenerant, quod C. non ſolum, in *paraverunt* mutatum recepit, ſed etiam *provincias* tanquam ſpurium incluſit. Sed huic omni conjecturae, non neceſſariae, adverſatur ſequens *evenerat*, quod, quidquid contra dicat Gronov., non niſi de *ſorte* commode dici poteſt. Cf. Liv. 42, 31. Vulgatam inſuper confirmat Serv. ad Virg. Aen. I. v. 194.

5) *acri viro* Eodem modo Memmius ſupra c. 27. „vir *acer* (*thätig.*) et infeſtus potentiae nobilitatis" vocatur. et c. 45. hunc Metellum magnum et ſapientem virum vocat.

6) *advorſo* h. l. ſubſtantive pro *adverſario*, unde genitiv. ſecum habet, ut alia adjectiva ſic poſita.

7) *aequabili*, aequali ſeu aeque bona, apud nobilitatem et plebem.

8) *alia omnia* int. communia i. e. nullum conſulatus negotium negligens, ſed cum collega communiter curans.

9) *arceſſere*. De hoc verbo Vid. Cat. 40. n. 15.

10) *patranda* i. e. perficienda. c. 21. „coeptum atque *patratum* bellum foret. Cf. Cat. 18 extr.

tebatur. Itaque; ex ſententia omnibus rebus paratis compoſitisque, in Numidiam proficiſcitur, magna ſpe civium, cum propter bonas artes, tum maxume, quod advorſum divitias animum invictum gerebat, et avaritia magiſtratuum ante id tempus in Numidia noſtrae opes contuſae, hoſtiumque auctae erant.

Caput XLIV.

Sed ubi in Africam venit, exercitus ei traditur Sp. Albini Proconſulis iners, imbellis, neque peri-

11) *adnitebatur*. Senſus eſt: in quo novo bello parando ſummum cujusque ſtudium apparuit. Nam ſenatus, *auctoritate*, ſocii nomenque Lat. et reges *ultro* auxilia *mittendo*, omnis civitas *ſummo ſtudio* adnitebantur. Hoc modo quae alias *juſſu* tantum, nunc ultro fiebant. Qui ſenſus ſi verbis ineſt, ut reliqua docent, locus hic nequaquam eſt cum C., contra omnes alios, mutandus ſic: *ſenati* auctoritate ſocii nomenque Lat., reges (omiſſo *et* ante hanc vocem) ultro auxilio *mittere* etc. hoc ſenſu: ſocii nomenque Lat. juſſu Senatus, reges *ultro* auxilia miſere. Nam ſic jure quaeras, ubi tandem ſummum civitatis ſtudium ſeſe oſtenderit. — Pro *adnitebatur* B. recepit e paucis *adnitebantur*. Vid. Cat. 25. n. 10.

12) *paratis compoſitisque*. c. 94. init. „paratis compoſitisque omnibus." Stromb. „*angeordnet und bereitet*."

13) *bonas artes* i. q. virtutes. Vid. Cat. 2. n. 14.

14) *advorſum divitias* etc. Cic. de Off. II, 11. „maximeque admirantur eum qui pecunia non movetur: quod in quo viro perſpectum ſit, hunc igni ſpectatum arbitrantur." cf. Seneca Conſ. ad Helv. c. 5. „invictum animum *tenet*."

15) *contuſae* i. e. fractae, imminutae. Tacit. Annal. XII, 31. „nec proeliis *contuſi*." idem IV, 46. „contuſis Thracum gentibus.

Caput XLIV.

Metello, poſtquam in Africam venit, nihil prius eſt, niſi ut in exercitu Albini Aulique fratris ſocordia admodum corrupto disciplinam majorum revocare ſtudeat.

S 2

culi, neque laboris patiens, lingua, quam manu, promtior, praedator ex fociis, et ipfe praeda hoftium, fine imperio et modeftia habitus. Ita imperatori novo plus ex malis moribus follicitudinis, quam ex copia militum auxilii, aut fpei bonae accedebat. Statuit tamen Metellus, quamquam et aeftivorum tempus comitiorum mora imminuerat, et exfpectatione eventi civium animus intentos putabat, non prius bellum adtingere, quam, majorum disciplina, milites laborare coëgiffet. Nam Albinus, Auli fratris exercitusque clade perculfus, poftquam decreverat non egredi provincia, quantum temporis aeftivorum in imperio fuit, plerumque milites ftativis caftris habebat: nifi cum odos, aut pabuli

1) *laboris patiens* Vid. Cat. 5. n. 7.

2) *lingua — promtior.* i. e. plura de fe jactitavit, quam fecerat: fiquidem omnes fub jugum miffi erant. Vid. c. 38. cf. Liv. VII, 4. ,,lingua impromtus."

3) *fine imperio — habitus* i. e. in fociorum finibus: erant enim in provincia Romana.

4) *praeda hoftium*; erant enim fine armis vid. c. 38.

5) *ex fociis* neque ab imperatore (imperio), neque a fe ipfis (modeftia) intra fines juftos coercitus. — Cf. Cat. 11. n. 17.

6) *fpei bonae.* c. 113. init. ,,fpei bonae pleni."

7) *quamquam* etc. quamquam ob feram confulis electionem (Vid. c. 37.) magna jam aeftatis (644) pars confumta erat. Hinc *aeftivorum* (caftrorum) idem valet quod *aeftivum* (tempus), ut etiam Cdd. nonnulli legunt. *Aeftiva* (caftra) funt, quod nos dicimus *Sommer-Feldzug*, ficuti *hiberna Winter-Feldzug.*

8) *intentos*, abfolute (*gefpannt*).

9) *laborare*, cf. c. 45. extr.

10) *Nam Albinus.* Vid. c. 39. extr.

11) *ftativis* i. e. uno loco fixis.

12) *odos*, qui oriri folet, cum homines pecoraque, eodem loco diutius commorantur. De forma vocis vid. Cat. 15. n. 11.

egeftas locum mutare fubegerat. Sed neque more militari vigiliae deducebantur; uti cuique lubebat, ab fignis aberat. Lixae permixti cum militibus diu noctuque vagabantur; et palantes agros vaftare, villas expugnare, pecoris et mancipiorum praedas certantes agere: eaque mutare cum mercatoribus vino advectitio, et aliis talibus: praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari: poftremo, quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.

Caput XLV.

Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hoftilibus, magnum et fapientem virum fuiffe comperior. tanta temperantia inter ambitio-

13) *deducebantur* i. e. fuis quaeque locis distribuebantur. (*ausgeftellt*) c. 45. extr. ,,vigilias ponere."

14) *fignis* i. q. caftris.

15) *villas expugnare.* Villae, ficuti noftrae, fubinde leviter munitae fuiffe videntur.

16) *certantes.* certatim.

17) *mutare.* Cf. c. 38. n. 25.

18) *advectitio* i. q. peregrino.

19) *et alia amplius* i. e. et praeter luxuriam et ignaviam alia amplius vitia.

Caput XLV.

Sapientibus ac moderatis edictis Metellus disciplinam militarem prohibendo magis a delictis, quam puniendo, emendat.

1) *hoftilibus* i. e. cum hofte gerendis.

2) *tanta temperantia* etc. i. e. et magnum modum habuiffe inter indulgentiam, quibus ambitiofi homines gratiam et inde honores fibi conciliare folent atque faevitiam.

nem saevitiamque moderatum. Namque edicto primum adjumenta ignaviae sustulisse, *ne quisquam in castris panem, aut quem alium coctum cibum venderet, ne lixae exercitum sequerentur; ne miles gregarius in castris, neve in agmine servum aut jumentum haberet;* ceteris arte modum statuisse. praeterea transvorsis itineribus quotidie castra movere, juxta ac si hostes adessent, vallo atque fossa munire, vigilias crebras ponere, et eas ipse cum legatis circumire, item in agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse, ne quisquam ordine egrederetur: uti cum signis frequentes incederent,

---

3) *adjumenta* i. q. alimenta s. pabula.

4) Post *sustulisse* unus e. C. Codd. repetit *comperior*, cujus loco alii addunt *dicitur*.

5) *ne quisquam — panem* etc. nimirum, ut miles cogeretur, panem ex frumento (farina), quod acciperet, sibi ipse coquere (*backen.*)

6) *haberet*. „Stante disciplina rari erant in castris servi, nec nisi ducum tribunorumque. Duces egregii, ut Scipio, saepe illis posuere modum. At sub imperatoribus passim cuique gregario servus erat. — Jumenta Scipio vendidit, ne militem exonerarent. Vid. Liv. Epit. 57." C.

7) *ceteris* i. e. reliquis ignaviae adjumentis, praeter ea, quae *edicto* sustulit, *arte* (prudentia) modum posuit. Aliter, C.: i. e. iis, qui non gregarii essent, arctum servorum jumentorumque numerum permisit."

8) *transvorsis* i. e. non in advorsum, sed in latera ferentibus. (*Seiten- oder Flanken-Märsche.*)

9) *juxta ac* (aeque ac, perinde ac). Vid. Cat. c. 37, n. 27.

10) *vigilias — ponere*. c. 44. n. 13. „vigiliae deducebantur."

11) *in agmine*, in itinere.

12) *uti cum signis*. ne major militum numerus signa, quae praecedebant, nimio spatio linqueret, nec tardius sequeretur.

miles cibum et arma portaret. Ita prohibendo a delictis magis, quam vindicando, exercitum brevi confirmavit.

Caput XLVI.

Interea Jugurtha, ubi, quae Metellus agebat, ex nunciis accepit; simul de innocentia ejus certior Romae factus diffidere suis rebus, ac tum demum veram deditionem facere conatus est. Igitur legatos ad consulem cum suppliciis mittit; qui tantummodo ipsi liberisque vitam peterent, alia omnia dederent populo Romano. Sed Metello jam antea experimentis cognitum erat, genus Numidarum infi-

---

13) *cibum et arma* etc. Cic. Tusc. Quaest. II, 15. „Militiae nostrae, qui labor et quantus agminis (*auf dem Marsche*), ferre plus dimitiati mensis cibaria, ferre, si quid ad usum velint, ferre vallum! nam scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus."

14) *vindicando*, puniendo.

15) *confirmavit* firmum reddidit adversus hostem et in bonis artibus promtum.

Caput XLVI.

Talem imperatorem Jugurtha metuens legatos de deditione ad eum mittit, quibus singulis Metellus multa pollicendo persuadet, ut Jugurtham aut vivum aut necatum sibi tradant. Deinde in Numidiam (e provincia) ingreditur, et quamquam ibi omnia ad speciem pacata invenit, tamen ob Jugurthae dolos ubique cautus et circumspectus incedit.

1) *de innocentia* i. q. invicto ejus adversus divitias animo, morum integritate. Cf. c. 43. extr.

2) *Romae*, cum Romae esset. Vid. c. 53.

3) *cum supliciis*. i. e. pacem petentium signis, qualia erant corollae, vel frondes oleae, seu lauri.

dum, ingenio mobili, novarum rerum avidum esse. Itaque legatos alium ab alio divorsos adgreditur; ac paullatim tentando, postquam opportunos sibi cognovit, multa pollicendo persuadet, *uti Jugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent:* ceterum palam, quae ex voluntate forent, regi nunciari jubet. Deinde ipse paucis diebus, intento atque infesto exercitu, in Numidiam procedit: ubi, contra belli faciem, tuguria plena hominum, pecora cultoresque in agris erant: ex oppidis et mapalibus praefecti regis obvii procedebant, parati frumentum dare, commeatum portare, postremo omnia, quae imperarentur, facere. Neque Metellus idcirco

4) *avidum* i. q. cupidum. Vid. Cat. 28. n. 7. C. *esse* delevit.

5) *alium ab alio div.* separatim.

6) *opportunos sibi,* ad proditionem aptos. Cf. c. 20. et 47. extr.

7) *maxumo* i. e. quod sibi maxime optabile esset.

8) *traderent.* De hoc imperf. post *suadet* vid. ad Cat. 54. n. 2.

9) *palam* i. e. universis legatis, quibuscum antea separatim et clam reliquis egerat. et pro concione cf. c. 8. extr.

10) *infesto* i. e. ad pugnam parato, perinde ac non de deditione sermo fuisset, sed bellum instaret. cf. Liv. XXIV, 35. „intentus atque agmine ad omnes casus composito ibat."

11) *contra belli faciem* i. e. aliter ac in bello fieri solet.

12) *cultoresque.* cultores est idem quod nostrum *Bauern.*

13) *erant* (post *agris*) C. delevit.

14) *mapalibus* i. q. vicis s. pagis. Cf. c. 18. et Heyne ad Virg. Aen. I, 421.

15) *portare,* transportare, ut et milites et jumenta levarent, seu afferre. — Infinitiv. post *parati* etiam apud Caesar. (et alios) B. G. I, 7. extr. obvius est: sese paratos esse — *defendere.*

minus, sed pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere, et insidiis locum tentare. Itaque ipse cum expeditis cohortibus, item funditorum et sagittariorum delecta manu apud primos erat; in postremo C. Marius legatus cum equitibus curabat: in utrumque latus auxiliarios equites tribunis legionum et praefectis cohortium dispertiverat, ut cum his permixti velites, quocumque accederent, equitatus hostium propulsarent. Nam in Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum et militiae erat, ut, absens an praesens, pacem, an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur.

16) *munito,* instructo; quod quomodo Metellus fecerit, paulo post narratur.

17) *ostentui* i. q. ad speciem pacis ostendendam s. simulationem credebat. Cf. c. 24.

18) *tentare* int. Jugurtham s. illos, qui hanc pacis speciem simulabant. Cronov. legend. censet *tentari.*

19) *C. Marius* Plura de Mario vid. c. 63. et 64. et 85. De legati autem dignitate ac munere Cat. 59. n. 19.

20) *curabat* i. q. imperabat. Vid. Cat. 59. n. 13.

21) *in utrumque latus,* int. agminis.

22) *velites.* velites erant militum genus, levis armaturae, pluribus jaculis instructum, quod in equitum equos insiliebat, et cum ad hostem adpropinquasset, perniciter desiliebat, intraque equites pugnabat jaculis suis. Vid. Liv. XXVI, 4. et Valer. Maxim. II, 3, 3.

23) „Pro *quocumque* C, contra omnes *quacumque.*"

24) *pacem.* Ad hanc vocem e sequenti particip. *gerens* int. *agens.*

CAPUT XLVII.

Erat haud longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat, oppidum Numidarum, nomine Vaga, forum rerum venalium totius regni maxume celebratum; ubi et incolere, et mercari conſueverant Italici generis multi mortales. Huc Conſul, ſimul tentandi gratia, et, ſi paterentur opportunitates loci, praeſidium impoſuit; praeterea imperavit frumentum, et alia, quae bello

---

CAPUT XLVII.

Poſtquam Metellus oppido Vagae praeſidium impoſuit Jugurtha iterum legatos ad eum mittit, qui pacem orent et praeter ſuam ac liberorum vitam omnia Metello tradant; quos ſic ut priores ad proditionem illectos Metellus dimittit.

1) *Vaga.* Vid. c. 29. n. 15.

2) *forum — celebratum*, i. e. celeberrimum emporium.

3) *multi mortales* i. q. multi Italici, togati (Vid. c. 21. et 26.) negotiatores.

4) Pro *huc*, Cdd. aliquot legunt *huic*, quod B. recepit. Sed *huc*, ob ſequens verbum *comportare*, quod non minus, quam *impoſuit*, ad hanc vocem pertinet, bene locum habere poteſt.

5) *et, ſi paterentur opportunitates loci.* Sic locus hic vexatiſſimus vulgo legitur, ſed ſic ſenſum vix praebet. Glarean. igitur, qui leniſſimam curationem adhibuit, hoc modo eum refingere tentavit: *ſimul tentandi gratia, ſi* (an) *paterentur, ſimul propter opportunitates loci praeſidium impoſuit.* Ego vero, ut idem ſenſus, qui aptiſſimus eſt, exeat, reliquis omnibus intactis modo *ob*, ante *opportunitates*, adjiciendum puto, quod propter ſequens *op* facile excidere potuit, hoc ſenſu: Huc praeſidium impoſuit et tentandi gratia, an Vagenſes hoc paterentur, et, ſi paterentur, opportunitatis loci cauſa. (ob opportunitates loci). Hoc modo *ſimul — et* poſitum erit pro *et — et*, ſ. *partim — partim*; qua ſignificatione occurrit Jug. 4. et 20. Poſſis tamen leviori etiam medela et eodem ſenſu *opportunitates* mutare in *opportunitate*.

uſui forent comportare: ratus id, quod res monebat, frequentiam negotiatorum et commeatum juvaturum exercitum, etiam paratis rebus munimento fore. Inter haec negotia Jugurtha impenſius modo legatos ſupplices mittere, pacem orare: praeter ſuam liberorumque vitam, omnia Metello dedere. Quos item, uti priores Conſul illectos ad proditionem domum dimittebat: regi pacem, quam poſtulabat, neque abnuere, neque polliceri, et inter eas moras promiſſa legatorum exſpectare.

---

6) Verbum *comportare*, quod ſalvo ſenſu abeſſe vix poteſt, dum non modo frumentum imperat, ſed huc (Vagam), comportari jubet, C. e conjectura delevit, et B. in paſſiv. *comportari*, mutavit. Sed ſicuti poſt *jubere* activum ſtare poteſt pro paſſivo. Cic. Cat. III, 8. „iidem juſſerunt, ſimulacrum — *facere*, et in excelſo *collocare* et — ad orientem *convertere*." ita quoque poſt *imperat* activum admittendum eſt. Cf. Cat. 47. n. 8.

7) *quod res monebat* i. e. ſecum ferebat.

8) *frequentiam* etc. i. e. frequentiam negotiatorum (Italicorum), non minus, quam commeatum hoc loco congeſtum, exercitum poſſe juvare, eandemque Italicorum frequentiam etiam rebus paratis (*den Vorräthen*) munimento futuram. At ſi haec verborum poſitio implicita nimis videatur, facili negotio, ea ita transponere poſſis: et commeatum juvaturum exercitum (et), frequentiam negotiatorum etiam paratis rebus munimento fore. C. verba: *juvaturum exercitum* incluſit, et B. eadem in commeatuum juvaturam, e conjectura mutavit, *commeatuum* explicans commeantium. Praeterea *paratis* mutavit, e conject., in *pacatis*.

9) *impenſius modo* i. e. praeter modum frequentius (*übermäſsig oft*) ſ. ſtudioſius. Idem recurrit c. 75. init.

10) *uti priores.* Vid. c. 46.

11) *promiſſa*, int. Jugurtham tradendi.

Caput XLVIII.

Jugurtha ubi Metelli dicta cum factis composuit, ac se suis artibus tentari animadvortit; quippe cui verbis pax nunciabatur, ceterum re bellum asperrumum erat: urbs maxuma alienata, ager hostibus cognitus, animi popularium tentati, coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. Igitur explorato hostium itinere, in spem victoriae adductus ex opportunitate loci, quam maxumas copias potest omnium generum parat, ac per tramites occultos exercitum Metelli antevenit. Erat in ea parte Numidiae, quam Adherbal in divisione possederat, flumen oriens a meridie, nomine Muthul; a quo aberat mons ferme millia passuum xx. tractu pari, vastus ab natura et humano cultu: sed ex eo medio quasi collis oriebatur, in immensum pertinens, vestitus oleastro ac myrtetis, aliisque generibus arborum, quae humi arido atque arenoso gignuntur. Media autem planities deserta, penuria aquae: praeter flumini propinqua loca: ea consita arbustis, pecore atque cultoribus frequentabantur.

Caput XLIX.


Igitur in eo colle, quem, transvorso itinere, porrectum docuimus, Jugurtha, extenuata suorum

---

Caput XLVIII.

Jugurtha ubi verbis Metelli pacem, factis bellum videt, magnum exercitum comparat et Metellum loco insidiis opportuno antevenit.

1) *composuit*, comparavit ac discrepantiam eorum vidit.
2) *suis artibus* i. e. dolo cf. Liv. XXII, 16. „suis *se artibus* peti."
3) *urbs maxima.* Vaga. C. 47. n. 1.
4) *cognitus* i. q. exploratus. Stromb. *durchspäht.*
5) *ex opportunitate loci*, loci opportuni auxilio, quem sibi in praelio committendo electurus esset.
6) *tramites* c. 58. init. „per saltuosa loca in *tramites* exercitum ductare." Pro *occultos* libri aliquot *occulte* habent. Stromb. „*auf verborgenen Pfaden.*"
7) *in divisione* Vid. c. 16. extr.
8) *tractu pari* i. e. mons et fluvius aequali ubique distantia (*in paralleler Richtung*) septentrionem versus decurrebant.
9) *vastus — cultu: wüst von Natur und Anbau.*
10) *in immensum pertinens* i. e. e medio monte incipiens et longissime sese extendens inter flumen et montem, tractu transverso, hoc modo:



11) *quae humi* etc. Exquisitius dictum est pro *humo arida atque arenosa*, ut Cdd. nonnulli quoque legunt. Sed quoniam noster antiquiora et rariora captat, *humi* posuit pro *humo* (genere mascul. s. neutro), ut apud veteres inveniebatur, teste Prisciano l. VI, p. 718. Vulgatam autem retinere, et Cdd. meliores pluresque et Priscian. l. XVIII, p. 1214. suadent. Alii intelligunt *solo.*
12) *Media* int. inter montem et flumen.
13) *frequentabantur*, ab hominibus et pecoribus incolebantur.

Caput XLIX.

Tum Metello in colle insidias struit et aciem instructam ad virtutem exhortatur. Quod ubi Metellus cognovit et ipse aciem instruit, paucisque admonitam de monte in planum deducit.

1) *transvorso itinere* i. q. tractu transverso (vid. c. antec.) ratione fluminis et montis, quem Metellus trajecturus erat. Cf. figur. c. 48. n. 11.
2) *porrectum*, c. 48. in immensum pertinentem.
3) *extenuata* i. q. extensa et quam minime conferta et condensata, partim, ut Metelli exercitum longitudine

acie, conſedit: elephantis et parti copiarum pedeſtrium Bomilcarem praefecit eumque edocet, quae ageret; ipſe propior montem cum omni equitatu et peditibus dilectis ſuos collocat. dein ſingulas turmas atque manipulos circumiens monet atque obteſtatur, *uti memores priſtinae virtutis et victoriae ſeſe regnumque ſuum ab Romanorum avaritia defendant: cum his certamen fore, quos antea victos ſub jugum miſerint: ducem illis, non animum mutatum: quae ab imperatore decuerint, omnia ſuis proviſa; locum ſuperiorem, uti prudentes cum imperitis, ne pauciores cum pluribus, aut rudes cum bello melioribus manum conſererent. proinde parati intentique*

---

aequaret et omnem ſimul adgredi poſſet, partim, ut eo modo pauciores milites amitteret.

4) *Bomilcarem.* C. 35. n. 12.

5) *edocet — ageret.* Vid. Cat. 54. n. 2.

6) *propior montem* i. e. in ea parte collis, quae montem, quem Metellus trajecturus erat proprior fuit.

7) *cum omni equitatu — collocat.* Sic vulgo legitur, ſed ſine ſenſu. Quid enim eſt, collocat *ſuos* cum equitatu omni et peditib. delectis; quum hic equitatus et hi pedites ipſi *ſui* ſint? Hinc C., e conjectura, ſic correxit: *ipſe proprior montem cum omni equitatu pedites delectos collocat;* quae mutatio, etſi verum ſenſum praebet, juſto tamen violentior eſt. Lenior erit, ſi tantum vocem *ſuos* in *ſe* aut *ſeſe* mecum mutare volueris.

8) *Romanorum avaritia.* Eandem Jugurtha accuſat apud Bocchum c. 81.

9) *ſub jugum miſerint.* Vid. c. 58. extr. (Aulo duce.)

10) *decuerint* int. provideri.

11) Pro *ſuis* (ante *proviſa*) unus Cortii legit *ſatis.*

12) *locum ſuperiorem* int. proviſum ſ. occupatum eſſe.

13) *uti prudentes* etc. h. e. anteſcientes, proelium commiſſum iri cum iis, quibus hoc inopinatum accideret.

14) *rudes* i. q. imperiti et inexercitati in bello.

15) *intentique* i. e rem agendam in oculis habentes. Cf. c. 27.

eſſent, ſigno dato, Romanos invadere: illum diem, aut omnis labores et victorias confirmaturum, aut maxumarum aerumnarum initium fore. Ad hoc viritim, uti quemque, ob militare facinus, pecunia aut honore extulerat, commonefacere beneficii ſui, et eum ipſum aliis oſtentare: poſtremo, pro cujusque ingenio, pollicendo, minitando, obteſtando, alium alio modo excitare: cum interim Metellus, ignarus hoſtium, monte degrediens cum exercitu conſpicitur; primo dubius, quidnam inſolita facies oſtenderet, (nam inter virgulta equi Numidaeque conſederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam eſſet: cum natura loci, tum dolo ipſi atque ſigna militaria obſcurati) dein, brevi cognitis inſidiis, paulisper agmen conſtituit. ibi

---

16) *confirmaturum* i. e. victoriam firmam et ſtabilem redditurum, eoque omnes labores finiturum, aut etc. Tacit. Hiſt. V, 17. extr. „illum diem aut glorioſiſſimum inter majores aut ignominioſiſſimum apud poſteriores fore."

17) *Ad hoc viritim.* Praeterea ſingulos quoque alloquitur, quum ante univerſos appellaſſet.

18) *extulerat*, praemio et honore ornaverat.

19) *oſtentare* int. in exemplum.

20) *ignarus hoſtium — conſpicitur*, neſciens hoſtes in propinquo eſſe. — Pro *conſpicitur* (ab hoſtibus) alii malunt *conſpicatur* (ſenſu activo, hoſtes), ex Donati ad Terent. Eunuch. II, 3. citatione. Sed Metellus non potuit conſpicere Jugurtham, quin ſimul ab ipſo conſpiceretur.

21) *inſolita facies*, hic inſolitus aſpectus.

22) *incerti* paſſive: „de quibus tamen non conſtabat." B.

23) *cum natura loci* etc. cum ipſi atque militaria ſigna et loci natura et dolo obſcurati eſſent.

24) Pro *conſtituit*, (conſiſtere juſſit) ut vulgo legitur, C. ex uno Cd. recepit *conſtitit*, quod explicat active, *conſiſtere fecit*; quo ſenſus non mutatur. Alii nempe *agmen conſtituit* explicare voluerant, agmen paulisper in eodem loco manſit.

commutatis ordinibus, in dextero latere, quod proxumum hoſtis erat, triplicibus ſubſidiis aciem inſtruxit: inter manipulos funditores et ſagittarios dispertit: equitatum omnem in cornibus locat; ac pauca pro tempore milites hortatus, aciem, ſicuti inſtruxerat, transvorſis principiis, in planum deducit.

---

25) *commutatis ordinib.* i. e. quum antea manipuli ſinguli ita proceſſiſſent, ut Haſtati ante Principes et hi ante Triarios fuiſſent, hic ordo ita commutatus eſt, ut nunc Haſtati omnes in latere dextro, verſus collem in quo hoſtis confidebat, principes medii, Triarii denique in ſiniſtro latere procederent, ut, ſi hoſtis a colle, Metellum e monte in planum deducentem, invaderet, nil niſi dimidia converſione dextrorſum opus eſſet, quo impetum ejus adverſa fronte et ordine militum conſueto exciperet.

26) *ſubſidiis — inſtruxit* h. e. aciem fecit triplicem (*er ſtellte ſie drei Mann hoch*) ita formatam, ut in dextro latere, locum primum tenerent omnes cujusque manipuli Haſtati, ſecundum Principes, tertium denique Triarii, qui *ſubſidia* vocantur ordines, quum alteri alteris ſubſidio ſint.

27) *inter manipulos* i. e. inter ſpatia, quae manipulum a manipulo ſeparabant.

28) *in cornibus* eſt i. q. in primo et extremo agmine, ut ſi exercitus dextrorſum contra Jugurtham verteretur, equitatus utrumque cornu tueretur, ſ. in utraque ala eſſet.

29) *transvorſis principiis* h. e. ut frontes aciei (principia) transverſae incederent, et latus dextrum verſus Jugurtham haberent; quod ideo notandum, ne quis putet, Metellum, ſtatim e monte in hoſtem, adverſa fronte duxiſſe, ſed illum ſua via, inſtructa tamen acie et ad incurſionem parata, proceſſiſſe.

Caput L.

Sed ubi Numidas quietos, neque colle degredi animadvortit, veritus, ex anni tempore et inopia aquae, ne ſiti conficeretur exercitus, Rutilium legatum cum expeditis cohortibus et parte equitum praemiſit ad flumen, uti locum caſtris antecaperet: exiſtumans, hoſtis crebro impetu et transvorſis praeliis iter ſuum remoraturos, et quoniam armis diffiderent, laſſitudinem et ſitim militum tentaturos. Dein ipſe pro re atque loco, ſicuti monte deſcenderat, paulatim procedere: Marium poſt principia habere; ipſe cum ſiniſtrae alae equitibus eſſe, qui in agmine principes facti erant. At Jugurtha, ubi

---

Caput L.

Quietis in colle Numidis Metellus legatum cum parte copiarum ad flumen praemittit, ut locum caſtris antecapiat. Ipſe de monte ſuos deducit; quo facto Jugurtha monte de quo Metellus deſcenderat occupato, eum in itinere ab omnibus partibus invadit et conturbat.

1) *ex anni tempore*, propter aeſtatem.
2) *Rutilium.* Hunc eundem habent cum P. Rutil. Rufo, qui conſul fuit cum Cn. Manilio a. u. 648, vir innocentiſſimus, exilio tamen ob cauſam iniquam multatus. Vid. Freinsh. ad Flor. III, 17.
3) *expeditis* i. e. quae ſine inpedimentis erant et leviter armatae.
4) *ad flumen*, Muthul. Vid. c. 48. extr.
5) *transvorſis* i. e. a latere.
6) *laſſitudinem — tentaturos* h. e. ut laſſitudine et ſiti Romanos frangerent ac debilitarent.
7) *pro re atque loco* cum ſequente *paulatim* cohaeret, ſiquidem res praeſentes, et loci natura, celeritatem agminis non permittebant.
8) *Marium.* Vid. c. 46. n. 10.
9) *poſt principia.* Verba difficilia, ideoque vario modo explicita. Equidem explico: in altera agminis parte, ſ. in extremo agmine.

extremum agmen Metelli primos ſuos praetergreſſum videt, praeſidio quaſi duum millium peditum montem occupat, qua Metellus deſcenderat; ne forte cedentibus advorſariis receptui, ac poſt munimento foret. dein, repente ſigno dato, hoſtis invadit. Numidae alii poſtremos caedere; pars a ſiniſtra ac dextera tentare; infenſi adeſſe atque inſtare: omnibus locis Romanorum ordines conturbare, quorum etiam qui firmioribus animis obvii hoſtibus fuerant, ludificati incerto praelio, ipſi modo eminus ſauciabantur, neque contra feriundi, aut manum conſerendi copia erat. ante jam docti ab Jugurtha equites, ubicunque Romanorum turba inſequi coeperat, non confertim, neque in unum ſeſe recipiebant, ſed alius alio quam maxume divorſi. Ita numero priores, ſi abperſequendo hoſtis deterrere nequiverant, disjectos ab tergo, aut lateribus circumveniebant: ſin opportunior fugae collis, quam campi

---

10) *primos ſuos* h. e. eos, quos (Jugurtha) in colle monti de quo Metellus deſcendit proximos collocaverat.

11) *praeſidio quaſi* i. q. duobus millibus, quae quaſi praeſidium eſſent. M. *quaſi* explicat per *circiter*.

12) *tentare* etc. ad pugnam provocare, deinde hoſtiliter advolare atque adgredi.

15) *ipſi modo* etc. i. q. ipſi tantum ſauciabantur, non adverſarii.

14) *contra feriundi* i. q. tela in hoſtes invicem conjiciendi.

15) *Ita numero priores*. Tali modo, cum Romanos perſequentes ab agmine disjunxiſſent, majori numero eos circumveniebant.

16) *quam campi fuerat*. Sic omnes Cdd., editiones vero legunt *fuerant*. At quum utrumque ſit probum, cum alterum ad *collis*, alterum ad *campi* accomodari poſſit, nec Salluſtius eandem ſemper dicendi rationem ſequatur, talia e Cdd. numero decernenda ſunt. — *campi* i. q. planities.

fuerat; ea vero conſueti Numidarum equi facile inter virgulta evadere: noſtros aſperitas et inſolentia loci retinebat.

Caput LI.

Ceterum facies totius negotii varia, incerta, foeda atque miſerabilis: diſperſi a ſuis pars cedere, alii inſequi; neque ſigna, neque ordines obſervare; ubi quemque periculum ceperat, ibi reſiſtere ac propulſare: arma tela, equi viri, hoſtes cives permixti; nihil conſilio, neque imperio agi: fors omnia re-

---

17) *ea vero* i. e. ea via, eo loco ſ. ibi vero, in eum collem per virgulta evaſerunt. c. 38. „*ea* Numidae cuncti irrupere." B. ad *ea* intelligit *loca* ſiquidem dicitur evadere *aliquid* (*etwas paſſiren*). Alii, *ea* trahere volunt ad *conſueti*, dici poſſe putantes, conſuetus *aliquid*. Poſtremo duo Cdd. legunt *eo*, quod interpretatio eſſe videtur *τοῦ ea*, quod noſter veroſimiliter pro *eo* poſuit, ut c. 52. n. 5. *adverſo colle* evadunt, pro in adverſum collem. Deinde, quid *eo* aliud eſt, quam *eo loco*, et nonne hoc ponitur pro *eum in locum?* Quodſi verum eſt, etiam *ea*, int. *via* ſ. *regione*, poni poteſt pro in eam *regionem*. — *inter virgulta* denique idem quod *per* virg.

18) *noſtros* int. equos.

Caput LI.

Ubi multum jam dici exercitus Romanus hoſtium incurſionibus conturbatus et languidus erat, Metellus ordines reſtituit et cohortes legionarias adverſus hoſtium pedites ducit, interea dum nec Jugurtha ſegnis eſt.

1) *facies — negotii* i. q. conditio ſ. adſpectus totius proelii.

2) *diſperſi — pars*. cf. c. 14. n. 44. — *diſperſi* i. q. *disjecti* c. 50. extr.

3) *propulſare* pugnare, ſe defendere.

4) *cives* i. q. Romani.

5) *conſilio*, conſiderate.

gere. Itaque multum diei processerat, cum etiam tum eventus in incerto erat. Denique omnibus, labore et aestu languidis, Metellus ubi videt, Numidas minus instare, paullatim milites in unum conducit, ordines restituit, et cohortes legionarias IIII. advorsum pedites hostium collocat, eorum magna pars superioribus locis fessa consederat. Simul orare, hortari milites, *ne deficerent, neu paterentur hostis fugientes vincere: neque illis castra esse, neque munimentum ullum, quo cedentes tenderent: in armis omnia sita.* Sed ne Jugurtha quidem interea quietus erat; circuire, hortari, renovare praelium, et ipse cum dilectis tentare omnia: subvenire suis, hostibus dubiis instare, quos firmos cognoverat, eminus pugnando retinere.

Caput LII.

Eo modo inter se duo imperatores summi viri, certabant: ipsi pares, ceterum opibus disparibus.

---

6) Pro *diei* C. *die* recepit. Cf. c. 21. n. et 52. n. 4.
7) *cum — erat.* Liv. XXV, 24. init. „*cum* admotae *erant*" et idem XLIV, 10. init. *cum — jusserat.*
8) *omnibus* i. e. tam Romanis, quam Numidis.
9) *cohortes legionarias* i. e. quae e Romanis ipsis, non sociis constabant.
10) *fugientes*, qui in collem (locos superiores) se receperant.
11) *hostibus dubiis inst.* i. e. in fugam inclinantes adgressus est, resistentes vero jaculis petiit.

Caput LII.

Tandem Romani qui virtute superiores, loco inferiores erant, hostes, qui se in collem receperant invadunt fugantque. Bomilcar Rutilio legato ad flumen praemisso acie latius porrecta obviam procedit.

1) *summi viri.* Satis erat: *imperatores summi*, omissa voce *viri*, quod in uno Cd. deest.
2) *opibus disparib.* paraverat enim (celeriter) copias omnium generum. Vid. c. 43.

Nam Metello virtus militum erat, locus advorsus: Jugurthae alia omnia, praeter milites, opportuna. Denique Romani, ubi intellegunt, neque sibi perfugium esse, neque ab hoste copiam pugnandi fieri; et jam diei vesper erat; advorso colle, sicuti praeceptum fuerat, evadunt. Amisso loco, Numidae fusi fugatique, pauci interiere; plerosque velocitas et regio hostibus ignara tutata sunt. Interea Bomilcar, quem elephantis et parti copiarum pedestrium praefectum ab Jugurtha supra diximus, ubi eum Rutilius praetergressus est, paullatim suos in aequum locum deducit: ac, dum legatus ad flumen, quo praemissus erat, festinans pergit, quietus, uti res

---

3) *perfugium.* Alii *profugium.*
4) *jam diei.* Sic fere omnes Cdd. et aliquot tantum *die* habent, quod C., H., B. receperunt. Postremus *die* h. l. pro casu sexto accipit, explicans: „et id diei erat, ubi jam advesperasceret." Reliqui *die*, pro genitivo antiquo accipiunt, cujus meminit Priscian. VIII, p. 780. ut occurrentis in Sallustii Historiarum primo. Deinde Gell. N. A. IX. 15. testatur, sese in Sallustio legisse: vix decima parte *die* reliqua." Sed haec verba infra c. 97. leguntur, ideoque haec observatio nostrum locum non tangit. Cf. Serv, ac Pierius ad Virg. Georg. I, 208. Sin autem Sallustius ubique ita declinasset, Grammatici certe hoc, ut morem illius, adnotassent.
5) *advorso colle* i. q. in adversum collem; ut *eo* pro *in eum locum.* Vid. c. 50. n. 17.
6) *hostib. ignara*, Romanis ignota. Cf. c. 18. n. 11. „mare magnum et *ignara* lingua commercium prohibebant."
7) *supra diximus.* Vid. c. 49. init.
8) *in aequum locum*, in planitium ex collet ransverso, ubi consederat. Vid. c. 49.
9) *dum legatus* etc. Vid. c. 50. init.
10) *quietus — aciem exorn.* ab hoste non turbatus aciem ita instruit, ut res postulabat. Cat. 36. n. 4. vicinitatem armis *exornat.*

poſtulabat, aciem exornat: neque remittit, quid ubique hoſtis ageret, explorare. Poſtquam Rutilium conſediſſe jam, et animo vacuum accepit, ſimulque ex Jugurthae praelio clamorem augeri; veritus, ne legatus, cognita re, laborantibus ſuis auxilio foret, aciem, quam diffidens virtuti militum arte ſtatuerat, quo hoſtium itineri obſiceret, latius porrigit; eoque modo ad Rutilii caſtra procedit.

Caput LIII.

Romani ex improviſo pulveris vim magnam animadvortunt; nam proſpectum ager arbuſtis conſitus prohibebat. Et primo rati humum aridam vento agitari: poſt ubi aequabilem manere, et, ſicuti acies movebatur, magis magisque adpropinquare vident, cognita re, properantes arma capiunt, ac pro caſtris, ſicuti imperabatur, conſiſtunt. Deinde, ubi

---

11) *remittit* intermittit.

12) *vacuum*, a curis quietum et nihil timentem.

13) *laborantibus* vid. Cat. 60. n. 6.

14) *arte* i. e. *arcte*. Cat. 59. „reliqua ſigna in ſubſidio *artius* collocat.

15) *itineri obſiceret*, iter impediret. Vid. Cat. 27. n. 17.

Caput LIII.

Rutilius in caſtris hoſtium adventum e pulvere animadvertens arma capit eosque ante caſtra exſpectat. Hoſtes primo concurſu fugiunt. Elephanti partim capiuntur partim trucidantur. Tum legatus Metello obviam procedit et utrique laeti ſeſe excipiunt.

1) *Romani*, in Rutilii caſtris.

2) *vim magnam*. Vid. c. 52. n. 11.

3) *ager arbuſtis conſitus*. Intellige agrum flumini proximum, ubi Rutilius caſtra poſuerat. cf. c. 48. extr.

4) *pro caſtris*, ante caſtra. Cf. Cat. c. 18. n. 17.

5) *ſicuti imperabatur*, eo ordine, quo imperabatur.

propius ventum eſt, utrimque magno clamore concurrunt. Numidae tantummodo remorati, dum in elephantis auxilium putant; poſtquam eos impeditos ramis arborum, atque ita disjectos circumveniri vident, fugam faciunt: ac plerique, abjectis armis, collis, aut noctis, quae jam aderat, auxilio integri abeunt. Elephanti quatuor capti, reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti. At Romani, quamquam itinere atque opere caſtrorum et praelio feſſi laetique erant; tamen, quod Metellus amplius opinione morabatur, inſtructi intentique obviam procedunt. Nam dolus Numidarum nihil languidi, neque remiſſi patiebatur. Ac primo, obſcura nocte, poſtquam haud procul inter ſe erant, ſtrepitu, velut hoſtes adventare, alteri apud alteros formidinem ſimul, et tumultum facere: et paene imprudentia admiſſum facinus miſerabile, ni utrimque praemiſſi equites rem exploraviſſent. Igitur, pro metu, re-

---

6) *tantummodo remorati*, i. e. tam diu tantum loco manebant, quam ab elephantis auxilium exſpectabant.

7) *eos* (ante impeditos). C. omiſit.

8) *fugam faciunt*. c. 58. fugam *fieri*. Terent. Eunuch. IV, 7, 17. „*facerent* fugam."

9) *quadraginta*. Cdd. nonnulli *triginta* legunt. Supra c. 49 et 52. numerus elephantorum non definitus eſt.

10) *laetique* int. victoria, ideoque nihil amplius ab hoſtibus timentes. Poſt ſeq. *tamen* ſupple *triſtes*. B. recepit ex aliquot Cdd. *laſſique*. Sed *feſſi laſſique* idem eſt.

11) *amplius opinione*, diutius quam opinabantur.

12) *inter ſe* i. e. a ſe. Cf. c. 55. n. 13.

13) *ſtrepitu, velut hoſtes* etc. conſtr. ſtrepitu formidinem faciebant, velut hoſt. adventare. Pro *adventare* alii *adventarent*, quod uſitatius quidem eſt, ſed ſenſum non mutat.

14) *paene — admiſſum eſſet* etc. i. e. paene ſeſe ipſi adgreſſi eſſent.

pente gaudium exortum, milites alius alium laeti adpellant, acta edocent atque audiunt: ſua quisque fortia facta ad coelum fert. Quippe res humanae ita ſeſe habent: in victoria vel ignavis gloriari licet; advorſae res etiam bonos detractant.

Caput LIV.

Metellus in iisdem caſtris quatriduo moratus, ſaucios cum cura reficit, meritos in praeliis more militiae donat, univerſos in concione laudat atque agit gratias; hortatur, *ad cetera, quae levia ſunt, parem animum gerant: pro victoria ſatis jam pugnatum, reliquos labores pro praeda fore.* Tamen interim transfugas et alios opportunos, Jugurtha ubi gentium, aut quid agitaret, cum paucisne eſſet, an

15) *bonos detractant*, clades etiam fortibus (bonis) laudem detrahit. proprie *verkleinert auch die Tapfern.* Vulg. *detrectant*, quae ejusdem verbi alia forma eſt.

Caput LIV.

Hac clade accepta Jugurtha in loca ſaltuoſa et natura munita ſe recipit et a ſuperioribus copiis relictus novas contrahit; Metellus contra agros vaſtat, oppida et caſtella capit incenditque. Eum Jugurtha cum paucis equitibus ſequitur palantesque Romanos noctu aviisque itineribus aggreditur.

1) Pro *iisdem* C. ex aliquot Cdd. *isdem.*

2) *cum cura.* Cat. 51. *cum* ſummo ſtudio. ibid. 56. extr. *cum* magna gloria. Curt. III, 12. „*cum cura* ſepultis militib."

3) Pro *ſunt* (poſt *levia*) Edd. quaedam legunt *ſint*, quod h. l. exſpectatur; ſed omnes Cdd. *ſunt* tuentur, quod ob ſimilem pronunciationem, ſaepius eſt cum altero in Cdd. permutatum. Cf. Cat. 27. n. 15.

4) *ubi gentium* (ſupple *ſit*) Ceterum verba ſequentia: *cum paucisne eſſet, an exercitum haberet, ut ſeſe victus gereret* in Cort. editione omiſſa ſunt.

exercitum haberet, ut ſeſe victus gereret, exploratum miſit. At ille ſeſe in loca ſaltuoſa et natura munita receperat: ibique cogebat exercitum numero hominum ampliorem, ſed hebetem infirmumque, agri ac pecoris magis, quam belli, cultorem. Id ea gratia eveniebat, quod praeter regios equites nemo omnium Numidarum ex fuga regem ſequitur; quo cujusque animus fert, eo discedunt: neque id flagitium militiae ducitur: ita ſe mores habent. Igitur Metellus ubi videt regis etiam tum animum ferocem eſſe; bellum renovari, quod, niſi ex illius lubidine, geri non poſſet; praeterea iniquum certamen ſibi cum hoſtibus, minore detrimento illos vinci, quam ſuos vincere: ſtatuit non praeliis, neque acie, ſed alio more bellum gerundum. Itaque in Numidiae loca opulentiſſuma pergit, agros vaſtat, multa caſtella et oppida temere munita, aut ſine praeſidio, capit incenditque, puberes interficit, jubet alia omnia militum praedam eſſe. Ea formidine multi mortales Romanis dediti obſides, frumentum et alia, quae uſui forent, adfatim praebita: ubicumque res poſtulabat, praeſidium impoſitum. Quae negotia multo magis, quam praelium male pu-

5) *hebetem*, tardum, pigrum. Tacit. Hiſt. II, 99. „*hebes* ad ſuſtinendum laborem miles."

6) *Id ea gratia* etc. i. e. ut novum exercitum colligeret inde veniebat.

7) *neque id flagitium.* Tacit. Ann, II, 14. „ſine pudore *flagitii* fugere."

8) *quod, niſi ex — lubidine* etc., quod bellum nullam aliam ob cauſam a Jugurtha geri poſſet, niſi ut ſitim belli gerendi expleret. C., *niſi* accipiens pro *nonniſi*, cum paucis Cdd. *non* delevit.

9) *temere munita*, leviter munita, ſ. non juſtis munitionib. cincta.

10) *interficit, jubet* etc. Ita omnes fere libri. Nonnulli *interfici jubet* etc. C. *jubet* poſt *interficit* delevit.

gnatum ab ſuis regem terrebant. quippe cujus ſpes omnis in fuga ſita erat, ſequi cogebatur; et qui ſua loca defendere nequiverat, in alienis bellum gerere. Tamen ex inopia, quod optumum videbatur, conſilium capit; exercitum plerumque in iisdem locis opperiri jubet; ipſe cum delectis equitibus Metellum ſequitur, nocturnis et aviis itineribus ignoratus Romanos palantis repente adgreditur. eorum plerique inermes cadunt, multi capiuntur: nemo omnium intactus profugit. et Numidae, priusquam ex caſtris ſubveniretur, ſicuti juſſi erant, in proxumos collis diſcedunt.

Caput LV.[1]

Interim Romae gaudium ingens ortum, cognitis Metelli rebus: ut ſeque et exercitum more majorum

---

11) Verba *ab ſuis* C. incluſit. — pro *cujus* C. *cui* (ante *ſpes.*)

12) *ſua loca* i. e. ſibi opportuna, ſ. ad pugnam aequa. contrarium eſt loca *aliena*. cf. c. 61. n. 1. et Caeſ. B. G. I, 15.

13) *ex inopia* int. conſilii alius. Haec eſt vulgata omnium Cdd. ſed C. ex uno recepit *ex copia*, eodem ſenſu quo c. 39. extr. *ex copia rerum* adfuit.

14) *plerumque* adjective, (maximam exercitus partem) ut Cat. 23. *pleraque* nobilitas et infra c. 79. *pleraeque* Africae.

15) *ignoratus*, i. e. tectus, abditus.

Caput LV.

Inde Romae magnum gaudium oritur et Senatus ob Metelli feliciter facta ſupplicationes decernit. Sed quo clarior Metellus eo cautior ſit. Eum et Marium Jugurtha per colles ſequitur et ubique nocere ſtudet.

1) *gereret* i. q. regeret, haberet. c. 85. extr. meque vosque in omnib. reb. juxta *geram*.

gereret; in advorſo loco, victor tamen virtute fuiſſet; hoſtium agro potiretur; Jugurtham magnificum ex Auli ſecordia, ſpem ſalutis in ſolitudine, aut fuga coëgiſſet habere. Itaque Senatus *ob ea feliciter acta diis immortalibus ſupplicia decernere:* civitas trepida antea et ſollicita de belli eventu, laeta agere; fama de Metello praeclara eſſe. Igitur eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis feſtinare, cavere tamen, necubi hoſti opportunus fieret: meminiſſe, poſt gloriam invidiam ſequi. Ita quo clarior, eo magis anxius erat: neque poſt inſidias Jugurthae effuſo exercitu praedari: ubi frumento, aut pabulo opus erat, cohortes cum omni equitatu praeſidium agitabant: exercitus partem ipſe, reliquos Marius ducebat. Sed igni magis, quam praeda, ager vaſtabatur. Duobus locis, haud longe

---

2) *advorſo* h. e. alieno. Vid. c. 54. n. 12.

3) *virtute*. Vid. c. 52. init.

4) *magnificum* arrogantem, ſuperbum. Vid. 38. extr.

5) *ſupplicia* ſupplicationes. Cat. 52. „non votis neque *ſuppliciis*."

6) *agere*; abſolute, pro vivere ſ. eſſe. ut c. 18., 19. et 89. *agitare*.

7) *ad victoriam* int. plenam, qua bellum finiretur.

8) *opportunus fieret*, hoſti copiam faceret, ſui cum commodo invadendi. Cf. c. 20.

9) *eo magis anxius erat*. anxius i. q. ſollicitus, cautus: C. ſic: ita quo clarior *erat*, eo magis *animi* (hoc e conject.) anxius. Virg. Aen. IV, 529. infelix *animi* Phoeniſſa. Cf. Cat. 7. n. 14.

10) *cohortes* i. e. integrae cohortes. C. contra, ſocios ſ. auxilia intelligit.

11) Pro *partem* C. e. conject. dedit. *partim*, accuſat. antiq. a nominat. *partis*. Vid. Sanct. Minerv. IV, 13. n. 2. Liv. 23, 11. *partim* Samnitium — defeciſſe. id 26, 46. *partim* copiarum — mittit. Cf. 85. n.

12) *ſed igni — vaſtabatur*. Hanc period. B. mavult transponere poſt verba ſuperiora: effuſo exercitu praedari.

inter ſe, caſtra faciebant. ubi vi opus erat, cuncti aderant: ceterum, quo fuga atque formido latius creſceret, divorſi agebant. Eo tempore Jugurtha per collis ſequi: tempus, aut locum pugnae quaerere: qua venturum hoſtem audierat, pabulum et aquarum fontis, quorum penuria erat, corrumpere: modo ſe Metello, interdum Mario oſtendere; poſtremos in agmine tentare, ac ſtatim in collis regredi, rurſus aliis, poſt aliis minitari; neque praelium facere, neque otium pati, tantummodo hoſtem ab incepto retinere.

Caput LVI.

Romanus imperator ubi ſe dolis fatigari videt, neque ab hoſte copiam pugnandi fieri; urbem magnam, et in ea parte, qua ſita erat, arcem regni, nomine Zamam, ſtatuit obpugnare: ratus id, quod negotium poſcebat, Jugurtham laborantibus ſuis auxilio venturum, ibique praelium fore. At ille, quae parabantur, a perfugis edoctus, magnis itineribus Metellum antevenit; oppidanos hortatur, moenia defendant, additis auxilio perfugis: quod genus ex copiis regis, quia fallere nequibat, firmiſſumum erat. Praeterea pollicetur, in tempore ſemet cum exercitu adfore. Ita compoſitis rebus, in loca quam maxume occulta diſcedit, ac poſt paulo cognoſcit, Marium ex itinere frumentatum cum paucis cohortibus Siccam miſſum: quod oppidum primum omnium poſt malam pugnam ab rege defecerat. Eo cum dilectis equitibus noctu pergit, et jam egredientibus Romanis in porta pugnam facit: ſimul magna voce Siccenſes hortatur, *uti cohortis ab tergo circumveniant: fortunam illis praeclari facinoris caſum dare; ſi id fecerint, poſtea ſeſe in regno, illos in libertate ſine metu aetatem acturos.* Ac ni Marius ſigna inferre atque evadere oppido properaviſſet, profecto cuncti, aut magna pars Siccenſium fidem mutaviſſent. tanta mobilitate ſeſe Numidae agunt. Sed milites Jugurthini paulisper ab rege ſuſtentati, poſtquam majore vi hoſtes urgent, paucis amiſſis, profugi diſcedunt.

---

13) *inter ſe* pro a *ſe*. C. 53. n. 11. haud procul *inter ſe*.
14) *cuncti* i. e. conjuncti, Metellus et Marius. — (poſt *latius*) C. *creſcerent*. pro vulg. *creſceret*.
15) *otium pati* i. q. otioſos eos pati.

Caput LVI.

Imperator Romanus quum urbem Zamam oppugnare ſtatuiſſet, Jugurtha antevenit et oppidanos ad defenſionem exhortatur auxilium pollicitus. Deinde in loca occultiſſima ſe recipit et cum Mario ex urbe Sicca egrediente pugnat; ſed milites Jugurthae paulisper reſiſtentes fugiunt.

1) *Zamam.* Oppidum munitum, in Numidia orientali ſ. Maſſylorum terra, quinque dierum iter a Cathagine, Hannibalis clade nobile. Cf. c. ſeq. init. Polyb. XV, 5. et Liv. XXX; 29.
2) *negotium*, res ipſa.
3) *laborantibus ſuis*. i. e. arcis praeſidio. Vid. c. 52. n. 13.

4) *quia fallere nequibat.* quia ob graviſſimas poenas, a Romanis in transfugas conſtitutas, omnem operam adhibere debebant, ne in popularium manus venirent.
5) *Ita compoſitis reb.* hac re ita proviſa.
6) *Siccam.* Sicca (aliis Sica, aliis Siccha (cf. c. 29. n. 15.) cognomine Veneria, ob fanum Veneris Aſſyriae, quod ibi erat (Valer. Max. II, 6.), in eadem terra et haud procul a Zama ſita erat. cf. Plin. H. N. V, 3.
7) *poſt malam pugnam.* Vid. c. 52. init. „*Male* pugnatum" c. 54. adfuit.
8) *facinoris caſum* i. e. facin. opportunitatem, locum; cf. c. 25. extr. „caſum victoriae."
9) *evadere* i. e. q. Graecis *ἐκβαίνειν*.
10) Pro *agunt* quidam *gerunt*. De Numid. mobilitate vid. c. 46. et 66.
11) *ſuſtentati*, aliquamdiu regis hortatu confirmati.

Caput LVII.

Marius ad Zamam pervenit. id oppidum in campo ſitum, magis opere, quam natura munitum erat: nullius idoneae rei egens, armis virisque opulentum. Igitur Metellus, pro tempore atque loco paratis rebus, cuncta moenia exercitu circumvenit. legatis imperat, ubi quisque curaret; deinde, ſigno dato, undique ſimul clamor ingens oritur. neque ea res Numidas terret; infenſi intentique ſine tumultu manent: praelium incipitur. Romani, pro ingenio quisque, pars eminus glande, aut lapidibus pugnare; alii ſuccedere, ac murum modo ſubfodere,

Caput LVII.

Hinc Marius Zamam pervenit cumque eo Metellus hoc oppidum acriter oppugnat; ſed oppidani eos fortiter arcent.

1) *ad Zamam* i. e. in terram, quae ad Zamam eſt.

2) *nullius — rei egens.* Vid. c. 1. n. 8.

3) *cuncta moenia* i. e. moenia ab omnib. partibus.

4) *infenſi intentique.* Cf. c. 50. n. 12 ,,infenſi adeſſe atque inſtare."

5) *pro ingenio* i. q. c. 58. ,,pro moribus." (*nach ſeiner Weiſe*).

6) *glande* i. e. globulo plumbeo, quem funda jaculabant. Ovid. Metam. II, 727. ,,cum Balearica plumbum funda jacit." Cf. Tacit. Hiſt. V, 17. et Auct. B. Afric. c. 29.

7) *ſuccedere* i. e. propius moenia accedunt. Libri nonnulli poſt *pugnare* addunt: *alii evadere,* quod C. cum ſuis Cdd. delevit. Defendit illud Teller. p. 219. et explicat: *murum ascendunt*, ſed id jam adeſt in verbis ſeqq. *modo ſcalis adgredi.* Si quid mutandum, pro *alii evadere* equidem legerem: *alii invadere,* (cum antiq. Teller. edit.) Sic: alii invadunt (murum), alii (iis) ſuccedunt, et modo murum ſuffodiunt, modo ſcalis adgrediuntur.

modo ſcalis adgredi: cupere praelium in manibus facere. Contra ea oppidani in proxumos ſaxa volvere; ſudes, pila, praeterea pice et ſulphure taedam mixtam ardentia mittere. Sed ne illos quidem, qui procul manſerant, timor animi ſatis muniverat. nam pleroſque jacula tormentis, aut manu emiſſa volnerabant: parique periculo, ſed fama impari, boni atque ignavi erant.

Caput LVIII.

Dum apud Zamam ſic certatur, Jugurtha ex improviſo caſtra hoſtium cum magna manu invadit: remiſſis, qui in praeſidio erant, et omnia magis, quam praelium exſpectantibus, portam irrumpit.

8) *in manibus facere* i. e. cominus pugnare ſ. manus conſerere.

9) *contra ea* i. e. ex altera ſ. contraria parte, eodem modo ut nos: *dagegen.* Teller. in indic. explicat *gegenſeitig.*

10) *pice mixtam.* Sic legit Grut. e MSS., quem omnes ſecuti ſunt, praeter C., qui habet: *picem ſulphure et taeda mixtam.* Sed convenientius eſt, taedam eſſe illitam pice et ſulphure, quam picem taeda. — *ardentia* ad ſudes, pila et taedam referend. eſt; pro quo plur. Cdd. *ardenti* habent. C. in linea ſq., e pauc. *ſed nec illos.* De re cf. Liv. XXI. 8.

11) *timor animi* i. q. ignavia. Cf. c. 20. init.

Caput LVIII.

Dum haec ad Zamam geruntur, Jugurtha Metelli caſtra invadit. Quod ubi ex fugientibus Metellus animadvertit, equitatum omnem et Marium cum ſociorum cohortibus ad caſtra mittit. Jugurtha inde expulſo, Metellus nocte ingruente a Zama ſua caſtra redit.

1) *hoſtium* i. e. Metelli.

2) *remiſſis* i. e. non intentis in Jugurtham. C. 53. ,,nihil languidi neque *remiſſi.*"

At noſtri, repetino metu perculſi, ſibi quisque pro moribus conſulunt: alii fugere, alii arma capere: magna pars volnerati, aut occiſi. Ceterum ex omni multitudine non amplius quadraginta, memores nominis Romani, grege facto, locum cepere, paulo, quam alii, editiorem; neque inde maxuma vi depelli quiverunt: ſed tela eminus miſſa remittere, pauci in pluribus minus fruſtrati: ſin Numidae propius acceſſiſſent, ibi vero virtutem oſtendere et eos maxuma vi caedere, fundere atque fugare. Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem et tumultum hoſtilem a tergo accepit: deinde, converſo equo, animadvortit, fugam ad ſe vorſum fieri: quae res indicabat popularis eſſe. Igitur equitatum omnem ad caſtra propere mittit, ac ſtatim C. Marium cum cohortibus ſociorum; eumque lacrumans *per amicitiam perque rempublicam obſecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore, neve hoſtis inultos abire ſinat:* ille brevi mandata efficit. At Jugurtha munimento caſtrorum impeditus, cum alii ſuper vallum praecipitarentur, alii in anguſtiis ipſi ſibi properantes obficerent; multis amiſſis, in loca

3) *pro moribus.* c. 57. ,,pro ingenio,'' ubi vid. n. 5.
4) *pars volnerati* Vid. c. 14. n. 44.
5) *grege facto* Vid. Cat. 50. n. 11.
6) *quàm alii* aut eſt: quam hoſtes ſ. Jugurthini, aut gloſſa eſt, ut C. judicat.
7) *minus fruſtrati* i. e. in telis mittendis minus a ſcopo aberrantes quam hoſtes, quum hi plures et conferti eſſent, ipſi pauci et rari.
8) *ibi vero* Vid. Cat. 58. n. 25.
9) *rem gereret* int. ad Zamam.
10) Voces *et tumultum* C. delevit. — *hoſtilem* i. e. tanquam ab hoſtib. venientem.
11) *praecipitarentur* int. e caſtris.
12) *anguſtiis* i. q. portis.

munita ſeſe recipit. Metellus, infecto negotio, poſtquam nox aderat, in caſtra cum exercitu revortitur.

Caput LIX.

Igitur poſtero die, prius quam ad obpugnandum egrederetur, equitatum omnem in ea parte, qua regis adventus erat, pro caſtris agitare jubet: portas et proxuma loca tribunis dispertit: deinde ipſe pergit ad oppidum, atque, ut ſuperiore die, murum adgreditur. Interim Jugurtha ex occulto repente noſtros invadit. qui in proximo locati fuerant, pauliſper territi perturbantur: reliqui cito ſubveniunt. Neque diutius Numidae reſiſtere quiviſſent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congreſſu facerent. quibus illi freti, non, ut equeſtri

13) *obficerent*, viam ſibi praecluderent.
14) *recipit.* C. *recepit.*
15) *infecto negotio*, Zama non expugnata.

Caput LIX.

Poſtero die, praeſidio ſatis valido ad caſtra relicto Metellus ad oppidi oppugnationem redit, murumque adgreditur. Interim Jugurtha caſtra iterum ex occulto invadit et paene victor diſcedit.

1) *egrederetur*, int. caſtris, ad Zamam denuo oppugnandam.
2) *qua regis advent. erat.* unde regis invaſio maxime exſpectanda erat.
3) *pro caſtris agitare* i. e. ante caſtra cuſtodiam agere.
4) *noſtros* int. qui ad caſtra relicti erant.
5) *in proximo*, Jugurthae advenienti proximi.
6) *pedites — permixti.* Vid. c. 46. n. 22.
7) *facerent*, magnam Romanorum cladem in proelio (congreſſu) feciſſent. cf. Cat. c. 59. n. 15.
8) *quibus* i. e. peditibus. — *illi* equites.

praelio ſolet, ſequi, dein cedere, ſed advorſis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem: ita expeditis peditibus ſuis, hoſtis paene victos dare.

Caput LX.

Eodem tempore apud Zamam magna vi certabatur. Ubi quisque legatus, aut tribunus curabat, eo acerrume niti; neque alius in alio magis, quam in ſeſe ſpem habere: pariter oppidani agere. obpugnare, aut parare omnibus locis: avidius alteri alteros ſauciare, quam ſemet tegere. clamor permixtus hortatione, laetitia, gemitu: item ſtrepitus armorum ad coelum ferri: tela utrimque volare. Sed illi, qui moenia defenſabant, ubi hoſtes paululum modo pugnam remiſerant, intenti praelium equeſtre proſpectabant. eos uti quaeque Jugurthae res erant, laetos modo, modo pavidos animadvor-

---

9) *ſequi* ſequebantur et deinde ſe recipiebant.

10) *implicare*, aciei Romanorum ſeſe immiſcebant.

11) *ita expeditis* i. e. per expeditos ſuos pedites vincebant paene Romanos.

Caput LX.

Eodem tempore magna vi ad Zamam certatur et dum oppidani proelium Jugurthae equeſtre e muris proſpectant, Romani muro fere potiuntur; ſed repelluntur tamen et nox proelium dirimit.

1) *acerrume niti* i. e. ibi milites ſumma vi inſtabant, adgrediebantur, oppugnabant.

2) *obpugnare — parare* Puncto poſito poſt *agere*, C. *obpugnare* de Romanis, *parare* (i. e. contra parare ſ. defendere muros) de oppidanis intelligit. Alii utrumque de oppidanis.

3) *alteri alteros*, Romani oppidanos et viciſſim.

4) *praelium equeſtre* int. praelium Jugurthae ad caſtra Romana, quod haud procul a muris committebatur.

teres: ac, ſicuti audiri a ſuis, aut cerni poſſent, monere alii, alii hortari, aut manu ſignificare, aut niti corporibus, huc et illuc, quaſi vitabundi, aut jacientes tela, agitare. Quod ubi Mario cognitum eſt (nam is in ea parte curabat) conſulto lenius agere, ac diffidentiam rei ſimulare: pati Numidas ſine tumultu regis proelium viſere. Ita illis ſtudio ſuorum adſtrictis, repente magna vi murum adgreditur: et jam ſcalis adgreſſi milites prope ſumma ceperant, cum oppidani concurrunt, lapides, ignem, alia praeterea tela ingerunt. Noſtri primo reſiſtere: deinde, ubi unae atque alterae ſcalae comminutae, qui ſuperſteterant, adflicti ſunt; ceteri quo quisque modo potuere, pauci integri, magna pars confecti

---

5) Pro *ſicuti* B. et T. *ſicubi* i. e. *ſi quando* receperunt.

6) *niti corporibus* i. e. motus facere hoſtem proturbare conantis.

7) *huc et illuc* vulgo. C. ex uno *et huc*, *illuc*. Plures Cdd., quod probo: *et ea* (corpora) *huc* et *illuc* — agitare. Nam agitare abſolute pro corpora agitare, (ſe movere) duriusculum videtur.

8) *lenius agere* remiſſius murum adgreſſus eſt.

9) *illis — adſtrictis*, oppidanis intentis ſ. occupatis, favore popularium.

10) *ſcalis adgreſſi*. Sic vulgo et bene. C. e. nonnull. — *egreſſi*, quod explicat egredi incipientes. Audirem, ſi Salluſtio dicere placuiſſet, *et jam ſcalis* egreſſi milites prope ſumma *erant*; ut C. 93. „prope ad ſummum montis egreſſus eſt.“ Si jam egreſſi fuiſſent, non *prope* ſed re ipsa *ſumma* cepiſſent, nec oppidani in eos lapides etc. ingerere potuiſſent. Sequens autem ſuperſteterant *ad ſcalas*, non muros pertinet. nonnulli *ingreſſi*.

11) *adflicti ſunt*, nempe ſcalis fractis deorſum cadendo.

12) *quo quisque modo*. Sic vulgo. C. cum Grut. *quoquo modo*. Alii *quomodo*.

13) *pars confecti*. Vid. Cat. 45. n. 11. et Jug. 14. n. 44.

volneribus abeunt. Denique utrimque praelium nox diremit.

Caput LXI.

Metellus, poſtquam videt fruſtra inceptum; neque oppidum capi, neque Jugurtham, niſi ex inſidiis, aut ſuo loco pugnam facere, et jam aeſtatem exactam eſſe, ab Zama diſcedit: et in iis urbibus, quae ad ſe defecerant, ſatisque munitae loco, aut moenibus erant, praeſidia imponit. Ceterum exercitum in provinciam, quae proxuma eſt Numidiae, hiemandi gratia collocat. Neque id tempus, ex aliorum more, quieti, aut luxuriae concedit: ſed, quoniam armis bellum parum procedebat, inſidias regi per amicos tendere, et eorum perfidia pro armis

---

14) *Denique.* Sic C. e. Cdd.; vulgo *deinde;* ſed hoc poſterius jam praeceſſit.

Caput LXI.

Aeſtate peracta Metellus, ſpe fruſtratus ab Zama diſcedit et exercitum, poſtquam urbibus munitis, quae ad ſe defecerant praeſidia impoſuit, hiemandi cauſa in provinciam ducit. Per id tempus Bomilcari multis pollicitationibus perſuadet, ut ad ſe veniat et Jugurtham vivum aut necatum tradat.

1) *ſuo loco* i. e. ſibi opportuno. Vid. c. 54. n. 12. (*ſua* loca).

2) *ad ſe.* Sic C. recte ex aliq. Cdd.; vulgo *ab ſe;* alii *a rege* Fortaſſe utrumque conjungend. *a rege ad ſe.* Cf. Cat. 13. n. 2.

3) *munitae loco.* loco (*Lage*) i. q. natura. Cat. 7. extr. „urbis *natura* munitas."

4) *in provinciam.* i. e. in eam provinciae partem quae etc. (B. correxit *qua*). Unde verba ſeqq. *quae — Numidiae*, non ſunt explanatio inſulſa et includenda, ut C. fecit. Ceterum *collocare* a noſtro Cat. 59. n. 7. et cum ablativo ponitur. („in ſubſidio collocat.")

uti parat. Igitur Bomilcarem, qui Romae cum Jugurtha fuerat, et inde, vadibus datis, clam, Maſſivae de nece judicium fugerat, quod ei per maxumam amicitiam, maxuma copia fallendi erat, multis pollicitationibus adgreditur; ac primo efficit, uti ad ſe colloquendi gratia occultus veniat: dein fide data, *ſi Jugurtham vivum aut necatum tradidiſſet, fore, ut illi Senatus impunitatem, et ſua omnia concederet*, facile Numidae perſuadet, cum ingenio infido, tum metuenti: ne, ſi pax cum Romanis fieret, ipſe per conditiones ad ſupplicium traderetur.

Caput LXII.

Is, ubi primum opportunum fuit, Jugurtham anxium ac miſerantem fortunas ſuas accedit: monet atque lacrumans obteſtatur, *uti aliquando ſibi liberisque et genti Numidarum, optume merenti, provideat: omnibus praeliis ſeſe victos, agrum vaſtatum, multos mortalis captos aut occiſos, regni opes comminutas eſſe: ſatis ſaepe jam et virtutem militum, et fortunam tentatam: caveat, ne, illo cunctante,*

---

5) *Bomilcarem, qui* etc. Vid. c. 55.

6) *de nece* judicium i. q. poenam ob necem factam.

7) *ſua omnia*, int. quae fugiens Romae reliquerat. — *fore, ut — concederet.* Cic. de Orat. II. 89. „dixiſti *fore*, ut ſibi *ignoſceremus.*"

Caput LXII.

Inde Jugurtha a Bomilcare ad deditionem impulſus regnum et ſe ipſum per legatos traditurum promittit. Sed, quamquam reliqua imperata facit, tamen, ubi res ad deditionem venit, conſilium mutat et de integro ad bellum redit. Metello a Senatu Romano provincia prorogatur.

1) *fuit*, poſt *opportunum*, C. cum duob. Cdd. omiſit.

2) Pro *merenti* int. de ſe, plures Cdd. *meritae.*

3) Loco *caveat* C., neſcio unde, *caveret.*

Numidae ſibi conſulant. His atque talibus aliis ad deditionem regis animum impellit. Mittuntur ad imperatorem legati qui, *Jugurtham imperata facturum* dicerent, *ac ſine ulla pactione ſeſe regnumque ſuum in illius fidem tradere.* Metellus propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis arceſſiri jubet: eorum atque aliorum, quos idoneos ducebat, conſilium habet. Ita more majorum, ex conſilii decreto, per legatos Jugurthae imperat, argenti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum et armorum aliquantum. Quae poſtquam ſine mora facta ſunt, jubet omnis perfugas vinctos adduci. eorum magna pars, ut juſſum erat, adducti: pauci, cum primum deditio coepit, ad regem Bocchum in Mauretaniam abierant. Igitur Jugurtha, ubi armis viriſque et pecunia ſpoliatus eſt, cum ipſe ad imperandum Tiſi-

4) *ſibi conſulant*, ſeditionem faciant ipſo (illo) cunctante.

5) Verba *qui — dicerent.* C. proprio Marte omiſit. Ceterum de imperf. *dicerent* poſt *mittuntur* vid. Cat. 20. n. 4.

6) *arceſſiri* pro *arceſſi*, a verb. arceſſio. Cf. c. 115. et Caeſ. C. G. V. 11. init. „alias *arceſſiri* jubet."

7) *conſilium habet.* Cf. c. 29. n. 18.

8) *argenti pondo* i. e. librarum. Libra autem centum drachmis ſ. denariis conſtabat, qui a *Rome de l'Isle* quatuor groſſis, numi conventionis aeſtimantur.

9) *Bocchum.* Vid. c. 19. et 80.

10) *ubi* et ſeqq. *eſt*, aut ambo delenda ſunt, aut ambo retinenda. Sequitur enim *cum*, eadem cum *ubi* ſignificatione. C. vero *eſt* tantum delevit.

11) *ad imperandum* C. aliique paſſive explicant: ut ipſi (Jugurthae) imperaretur. (Cic. Epp. ad Fam. IX, 25. init.) Nonnulli Cdd. legunt *imperatorem.* Equidem malim *imperantem.* B. e. conject. dedit *ad oppidum.* Idem *Tiſidium* (quod haud procul ab Utica ponitur) in *Tiſdrum,* (vid. c. 29. n. 15.) *vocaretur* in *evocaretur* mutavit.

dium vocaretur, rurſus coepit flectere animum ſuum, et ex mala conſcientia digna timere. Denique multis diebus per dubitationem conſumtis, cum modo, taedio rerum advorſarum omnia bello potiora duceret; interdum ſecum ipſe reputaret, quam gravis caſus in ſervitium ex regno foret: multis magnisque praeſidiis nequidquam perditis, de integro bellum ſumit. Et Romae Senatus de provinciis conſultus Numidiam Metello decreverat.

Caput LXIII.

Per idem tempus Uticae forte C. Mario per hoſtias diis ſupplicanti, *magna atque mirabilia portendi* haruſpex dixerat: *proinde, quae animo agita-*

12) *flectere animum.* Vid. Jug. 9. n. 9.

13) *digna* i. e. poenam, quam meruerat.

14) *bellum ſumit* Cf. c. 20. n. 10. („bellum ſumere").

15) Voculam *Et* (i. q. etiam) C. cum duab. Edd. vett. delevit.

16) *decreverat*, prorogaverat. Prorogato in annum imperio, (in annum 646. a. u.) Metellus pro Conſule in Numidia res geſſit. Vid. Pighii Annal. T. III. p. 132.

Caput LXIII.

C. Marium Metelli legatum (vid. c. 46. extr.) cujus mores et vita delineantur, haruspex Uticae monet, ut conſulatum petat, quem, etſi jam diu cupiebat, tamen hoc tempore petere non audebat, ubi nobilitas eum ſibi ſoli vindicabat.

1) *Uticae.* Vid. c. 25. n. 13.

2) *per hoſtias.* Intelligendae ſunt hoſtiae conſultatoriae quibus Marius ſaepius utebatur, deditus omnib. religionibus, vatibus et aruſpicibus; imo ſagam quamdam e Syria ſecum ducens. Vid. Plutarch. Mar. c 17. (Reisk. T. II.) Pro *diis ſupplicanti* C. *dis ſupplicante* ex uno Cd.

bat, *fretus diis ageret: fortunam quam faepiffume experiretur; cuncta profpere eventura.* At illum jam antea confulatus ingens cupido exagitabat: ad quem capiundum, praeter vetuftatem familiae, alia omnia abunde erant; induftria, probitas, militiae magna fcientia, animus belli ingens, domi modicus lubidinis et divitiarum victor, tantummodo gloriae avidus. Sed is natus, et omnem pueritiam Arpini altus ubi primum aetas militiae patiens fuit, ftipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis fefe exercuit: ita inter artis bonas integrum ingenium brevi adolevit. Ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus, facile notus per omnis tribus declaratur. Deinde ab eo magiftratu, alium poft alium fibi peperit: femperque in poteftatibus eo modo agitabat, uti ampliore, quam gerebat, dignus haberetur. Tamen is ad id locorum talis vir (nam poftea ambitione praeceps datus eft) Confulatum adpetere non audebat. Etiam tum alios magiftratus plebes, confulatum nobilitas inter fe per manus tradebat. Novus nemo tam clarus, neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quafi pollutus haberetur.

---

3) *agitabat.* De hoc indicativo vid. Cat. 14. n. 16. et 27. n. 15.

4) *praeter vetuftatem fam.* i. e. excepta vetuftate fam. Nam parentes ejus operarii inopes fuere, (Plutarch. l. c. c. 5.); ipfe novus homo (infra c. 75. extr.) erat. Cf. Vellej. II. 11. ibique Ruhnk.

5) *animus belli ingens. Ein grofser Kriegsgeift, ein müfsiger im Frieden.* Vellej. l. c. „quantum bello optimus, tantum pace peffimus."

6) *Sed is.* Pro *is*, quod h. l. redundat B. habet *his* fc. virtutibus. cf. caput extr. „quin *is*."

7) *Arpini altus.* Arpinum Latii oppid., ubi et Cic. natus erat. Vid. Cic. Or. poft red. ad Q. c. 8. de Legib. c. 1. et Plut. l. c. 5. Pro *altus* (i. e. educatus) alii Cdd. *alitus*.

8) *non Graeca facundia* C. 85. ipfe de fe dicit: „neque litteras graecas didici." Cic. pro Arch. c. 9. eum „duriorem ad haec ftudia" dicit. cf. Liv. X, 22. „ad verborum linquaeque certamina rudis."

9) *munditiis* i. e. mollitiis deliciisque. Cf. Cic. Leg. II, 15.

10) *ita — ingenium — adolevit* ita ingenium ejus, quod bonis ftudiis exercuit, incorruptum permanfit et brevi adolevit.

11) *tribunus mil.* Vid. Cat. 59. n. 27. Creabantur autem tribuni milit. a populo, (quamquam non omni tempore) comitiis tributis. Vid. Liv. 42, 51.

12) *facile* i. e. bene; int. rebus geftis f. fama militari. Sic apud Plaut. „tam *facile* quam me." Nifi pro *facile* h. l. legendum cenfeas *factis*, ut *faciem* oppofitum quid habeat.

13) *per omnes tribus*, omnium tribuum fuffragiis (tribunus milit.) declaratur.

14) *poteftatibus* i. q. imperiis, magiftratib. Cic. Agrar. II, 7. „omnes *poteftates*, imperia." Cf. Jug. 85. „Illis difficile eft in tempeftatibus temperare." Horat. Serm. I., 6, 9. „ante *poteftatem* Tulli."

15) *is ad id locorum* etc. i. e. Hic, usque ad hoc tempus (i. e. confulatum) tantus vir. C. 72. „poft id locorum" (i. e.) poftea. et c. 102. „poft ea loca."

16) Vocem *confulatum* C. cum aliq. Cdd. delevit et *adpetere* mutavit in *petere*, falfis rationib. ductus. Nam etfi Marius confulatus erat cupidiffimus tamen eum adpetere non audebat, metu repulfae. Deinde quoque nefcio, quomodo C. *petere* fuum, aliter ac de confulatu intelligere voluerit.

17) *Etiam tum.* Vid. Cat. 2. n. 5.

18) *alios.* i. q. reliquos.

19) *per manus tradebat*, e manib. non dimifit, ut in nullum alium, quam nobilem deveniret.

20) *Novus nemo.* Vid. Cat. 23. n. 7.

21) Pro *quin is* B. babet quin *his* (nobilibus) (e conject.)

Caput LXIV.

Igitur ubi Marius haruſpicis dicta eodem intendere videt, quo cupido animi hortabatur; ab Metello petundi gratia miſſionem rogat: cui quamquam virtus, gloria atque alia optanda bonis ſuperabant, tamen inerat contemtor animus et ſuperbia, commune nobilitatis malum. Itaque primum commotus inſolita re, mirari ejus conſilium, et quaſi per amicitiam monere, *ne tam prava inciperet, neu ſuper fortunam animum gereret: non omnia omnibus cupiunda eſſe: debere illi res ſuas ſatis placere: poſtremo ca-*

Caput LXIV.

Inde Marius conſulatum petendi cauſa commeatum petit. Sed Metellus eum primo dehortari, deinde rem in aliud tempus differre, poſtremo idem ſaepius poſtulantem dictis laedere. Marius contra ira accenſus conſulis ſegnitiem ubique palam vituperare ſeque cum dimidiis copiis bellum brevi finiturum eſſe promittere.

1) *petundi gratia* int. conſulatum ſ. conſulatus, quod Cdd. nonnulli adjiciunt.

2) *miſſionem* i. q. commeatum (*Urlaub*). Vellej. II. 11. et Suet. Jul. c. 7.

3) *optanda bonis*, quae a bonis optantur. Cf. Cat. c. 10. n. 7.

4) *contemtor anim.* omnia faſtidiens ſpernensque, ut animus *victor, rector*. Vid. Bentlej. ad Horat. IV, 9, 39. — *ſuperabant*. cf. Cat. 20. n. 23. („illis divitias *ſuperare*.")

5) *commune nobilitatis m.* Vellej. Pat. II. 11. criminatus — *naturalem* nobilitatis ſuperbiam.

6) *ſuper fortunam* etc. ne ſpes aleret, ſtatu et conditione, in qua natus eſſet, majores. Liv. XXV, 37. „juvenis animi et ingenii aliquanto, quam pro fortuna, in qua erat natus, majoris."

7) Pro *illi* unus Cortii *ipſi*; alius *ſibi*. Sed eod. modo noſter c. 96. magis id laborare, ut *illi* quam plurimi deberent. Apud nos quoque *ihm und ſich* antiquitus permutantur.

veret id petere a populo Romano, quod illi jure negaretur. Poſtquam haec atque alia talia dixit, neque animus Marii flectitur; reſpondit, *ubi primum potuiſſet per negotia publica, facturum ſeſe, quae peteret.* Ac poſtea ſaepius eadem poſtulanti, fertur dixiſſe, *ne feſtinaret abire: ſatis mature illum cum filio ſuo conſulatum petiturum.* Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat, annos natus circiter xx, quae res Marium cum pro honore, quem adfectabat, tum contra Metellum vehementer accenderat. Ita cupidine atque ira, peſſumis conſultoribus, graſſari: neque facto ullo, neque dicto abstinere, quod modo ambitioſum foret: milites, quibus in hibernis praeerat, laxiore imperio, quam antea, habere: apud negotiatores, quorum magna multitudo Uticae erat, criminoſe ſimul, et magnifice de bello loqui: *dimidia pars exercitus*

---

8) *alia* (ante *talia*) C. cum uno Cd. delevit.

9) *facturum — quae peteret*, miſſionem (ſcriptam) illi ſe daturum.

10) *cum filio ſuo* int. Metelli, non Marii. Quum vero conſulatus quadrageſimo tertio demum aetatis peti poſſet, (Vid. Pighii Annal. T. II. p. 334.) et Metelli filius viginti demum annos haberet, facile intelligitur, quale hoc reſponſum fuerit. Cf. Plutarch. Mar. c. 8. ἦν δὲ ὁ παῖς τοῦ Μετέλλου παντάπασι μειράκιον.

11) *contubernio* i. e. ſub oculis et cura. Front. Stratag. IV, 1. „cum — *in contubernio* ſuo filium poſſet habere, in legione militem fecit."

12) *pro honore accenderat* i. e. inſtigaverat ut eo vehementius honorem (conſulatum) cuperet.

13) *graſſari*, ferocire contra Metell.; ſumtum de ingreſſu, qualis in ferocia eſſe ſolet. Cf. c. 1. n. 5.

14) *ambitioſum*, ad favorem ſibi conciliandum aptum.

15) *negotiatores*. Vid. c. 21. n. 5.

16) *criminoſe*, in Metell., *magnifice* de ſe.

ſi ſibi permitteretur, paucis diebus Jugurtham in catenis habiturum; ab imperatore conſulto trahi, quod homo inanis et regiae ſuperbiae imperio nimis gauderet. Quae omnia illis eo firmiora videbantur, quod diuturnitate belli res familiaris corruperant, et animo cupienti nihil ſatis feſtinatur.

Caput LXV.

Erat praeterea in exercitu noſtro Numida quidem, nomine Gauda, Maſtanabalis filius, Maſiniſſae nepos, quem Micipſae teſtamento ſecundum heredem ſcripſerat, morbis confectus, et ob eam cauſam mente paulum imminuta. Cui Metellus, petenti,

---

17) *Si*, ante *ſibi* C., cum nonnull. libr. delevit.

18) *habiturum*. De omiſſo *ſe* vid. c. 7. n. 5.

19) *trahi* ſupple *bellum*, quam vocem Cdd. aliq. huic verbo anteponunt. cf. c. 23. n. 8. De criminatione ſimili cf. Liv. XXII. 25. ubi Metellus tribunus pleb. de Fabio: ,,(dictatorem) in *ducendo* bello ſedulo tempus terere, quo diutius in magiſtratu ſit, ſolusque et Romae et in exercitu imperium habeat."

20) *firmiora*, veriora.

21) *corruperant* i. q. diminuerant. Per bellum enim Uticae negotiari non poterant.

Caput LXV.

Deinde Marius Gaudam, Numidam quemdam, ſpe regni (poſt Jugurtham devictum) et equites Romanos militesque et negotiatores ſpe pacis impellit, ut Romam ſcribentes Metellum criminentur ipſumque loco illius imperatorem poſcant.

1) *Maſtanabalis* Vid. c. 5. extr. n. 19.

2) *ſecundum heredem*. Heres ſecundus erat, cum primus hereditatem adire aut non poterat aut nolebat. Appian. B. C. II, p. 518. ,,ἑτέρους κληρονόμους παραγράφειν Ῥωμαίοις ἔθος, εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι.

more regum uti ſellam juxta poneret; item poſtea, cuſtodiae cauſa, turmam equitum Romanorum, utrumque negaverat: honorem, quod eorum modo foret, quos populus Romanus reges adpellaviſſet; praeſidium, quod contumelioſum in eos foret, ſi equites Romani ſatellites Numidae traderentur. Hunc Marius anxium adgreditur atque hortatur, uti contumeliarum imperatoris cum ſuo auxilio poenas petat. hominem, ab morbos, animo parum valido ſecunda oratione extollit: *illum regem, ingentem virum, Maſiniſſae nepotem eſſe: ſi Jugurtha captus, aut occiſus foret, imperium Numidiae ſine mora habiturum: id adeo mature poſſe evenire, ſi ipſe conſul ad id bellum miſſus foret.* Itaque et illum, et equites Romanos, milites et negotiatores, alios ipſe, plerosque ſpe pacis impellit, uti Romam ad ſuos neceſſarios aſpere in Metellum de bello ſcribant; Marium imperatorem poſcant. Sic illi a multis mortalibus honeſtiſſuma ſuffragatione conſulatus peteba-

---

3) *uti ſellam* etc. i. e. ut ſellam ſuam, ſicuti regibus conveniret, proxime (*juxta*) imperatorem ponere poſſet. Nonnulli Cdd. poſt *petenti* adjiciunt *ut concederet ſibi*.

4) *turmam equit. Rom.*, repeto *petenti*.

5) *honorem* int. proxime imperatorem ſedendi Metellus ei negaverat, quod etc.

6) *praeſidium* int. Romanorum equitum et repete *negaverat*.

7) Verba *in eos* (i. q. iis) Cdd. aliquot et edd. Venet. non agnoſcunt. Hinc B. ea omiſit. Sed defendi poſſunt.

8) *anxium*, ira commotum.

9) *imperatoris* i. e. ab imperatore ſibi illatarum. Sic. C. e. Cdd. Vulgo *in imperatorem*, quod cum ſequente *poenis* conjungendum eſt. Sic Vellej. Pat. II. 126. ,,poena in malos."

10) *hominem, ob morbos* Vid. hujus cap. initium.

11) *id adeo* Vid. Cat. 37. n. 5.

tur, ſimul ea tempeſtate plebes, nobilitate fuſa per legem Mamiliam, novos extollebat. Ita Mario cuncta procedere.

Caput LXVI.

Interim Jugurtha poſtquam, omiſſa deditione, bellum incipit, cum magna cura parare omnia, feſtinare, cogere exercitum: civitates, quae ab ſe defecerant, formidine, aut oſtentando praemia adfectare: communire ſuos locos, arma, tela aliaque quae ſpe pacis amiſerat, reficere, aut commercari: ſervitia Romanorum adlicere, et eos ipſos, qui in praeſidiis erant, pecunia tentare: prorſus nihil intactum, neque quietum pati: cuncta agitare. Igitur Vagenſes, quo Metellus initio, Jugurtha pacificante, praeſidium

12) *per legem Mam.* Vid. c. 40.

Caput LXVI.

Interim Jugurtha bellum parat et ubique amicos ſibi conciliare ſtudet. Itaque Vagenſium principes conjuratione facta praeſidii Romani centuriones tribunosque militum feſto die ad coenam invitatos obtruncant, poſteaque milites inermes plebe adjutore aggrediuntur.

1) *bellum incipit.* Cf. C. 62. extr.

2) *adfectare* i. q. ſtudioſius conciliare ſibi. Vellej. II, 59. „Gallias — ſaepe et *adfectavimus* et amiſimus.

3) Pro *aliaque* C. *alia — quae ſpe pacis amiſ.* cf. c. 62. „Jugurtha ubi armis viriſque et pecunia ſpoliatus eſt."

4) *reficere*, ſupplere, denuo parare.

5) *quietum pati.* C. 88. „nihil apud ſe remiſſum, neque apud illos tutum pati." Cf. c. 53. „nihil languidi neque remiſſi."

6) *Vagenſes* Vid. c. 47 init. Ceterum *Vagenſes* nominat. abſolutus eſt, (quod attinet ad Vagenſes) cujus appoſitionem faciunt verba *principes civitatis*, explicanda: *id eſt pr. civ.*

impoſuerat, fatigati regis ſuppliciis, neque antea voluntate alienati, principes civitatis inter ſe conjurant: (nam volgus, uti plerumque ſolet, et maxume Numidarum, ingenio mobili, ſeditioſum atque diſcordioſum erat; cupidum novarum rerum, quieti et otio advorſum): dein, compoſitis inter ſe rebus: in diem tertium conſtituunt; quod is feſtus celebratusque per omnem Africam ludum et laſciviam magis, quam formidinem oſtentabat. Sed ubi tempus fuit, centuriones tribunosque militares, et ipſum praefectum oppidi T. Turpilium Silanum, alius alium domos ſuas inuitant: eos omnis, praeter Turpilium, inter epulas obtruncant: poſtea milites palantis, inermis, quippe in tali die ac ſine imperio, adgrediuntur. Idem plebes facit, pars edocti ab nobilitate, alii ſtudio talium rerum incitati: quis

7) *ſuppliciis*, precibus cf. c. 46. n. 5.

8) *diſcordioſum* i. q. pronum ad diſcordias. Rarum apud auctores vocabulum, quo uſus eſt ſaepius Sidonius.

9) *quieti et otio advorſ.* inquietum et ſeditioſum.

10) *in diem tert. conſtituunt.* Cdd. nonnulli adjiciunt *caedem*, ſ. *interfectionem.* Sed verb. *conſtituere* abſolute poni et ſubſtantivum e nexu intelligi, docet Gronov. Obſervatt. I, 1. — C. *in*, (ante *diem*) e conject. delevit.

11) *quam formidinem*, i. e. ludum potius atque laſciv. promittebat, quam caedem timere Romanos ſinebat.

12) *tribunosque militares* Cf. Cat. 59. n. 27.

13) *alius alium* Cf. Cat. 6. n. 4.

14) *domos*, omiſſo *in.* c. 76. „domum regiam important."

15) Pro *inermis* C. ex uno Cd. *inermos*, ut intra c. 94. et 107

16) *quippe in tali die.* Haec verba rationem reddunt, quare milites palantes atque inermes fuerint.

17) *quis.* Alias *queis* aut *quibus.* Sed h. l. nulla varietas.

acta conſiliumque ignorantibus tumultus ipſe et res novae ſatis placebant.

Caput LXVII.

Romani milites, improviſo metu, incerti ignarique, quid potiſſumum facerent, trepidare: ad arcem oppidi, ubi ſigna et ſcuta erant, praeſidium hoſtium; portae, ante clauſae, fugam prohibebant. ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum ſaxa, et alia, quae locus praebebat, certatim mittere. Ita neque caveri anceps malum, neque a for-

---

18) *acta conſiliumque.* acta i. e. caedes inter epulas, *conſilium* int. oppidum Jugurthae iterum tradendi.

Caput LXVII.

Milites Romani, quum arce ab hoſtibus occupata neque arma accipere, neque portis clauſis effugere poſſent, praeter unum Turpilium praeſidii Romani praefectum, qui incolumis auffugit, omnes obtruncantur.

1) *fugam prohibebant.* Ita hunc locum interpungendum eſſe cum Glarean., res ipſa ſatis docet. Nam ita omnia clara, quae in vulgata diſtinctione impeditiſſima ſunt. Vulgo ſic: *trepidare ad arcem oppidi, ubi ſigna et ſcuta erant: praeſid. hoſt., portae ante clauſae fugam prohibeb.* Nexus enim poſtulat, ut milites Romani, neque ſe defendere (inermes), neque aufugere poſſint. Nam Vagenſes arcem, ubi arma erant, occupaverant, uti per ſe intelligitur, et portae clauſae erant. — Poſt *praeſidium* int. *erat* aut *erant* in *erat* muta, commate poſt *ſcuta* poſito, ut M. fecit. — De verbo *trepi- dare* vid. Cat. 51. n. 3. Cort. verba quidem reſpexit, ſed ſenſum neglexit.

2) *pro tectis* i. q. in ſ. de tectis. Ut dicitur pro *ſuggeſtu*, pro tribunali. Vid. Ducker ad Flor. IV, 2. Teller. in indice, *nachdem es die Dächer der Häuſer verſtatteten.* Thucyd. II. 4. „τῶν γυναικῶν — ἀπὸ τῶν οἰκιῶν λίθοις — βαλλόντων.

3) *anceps malum.* C. explicat, quod et a Numidis principibus plebeque, et mulieribus et pueris imminebat.

tiſſumis infirmiſſumo generi reſiſti poſſe: juxta boni malique, ſtrenui et imbelles inulti obtruncati. In ea tanta aſperitate, ſaeviſſumis Numidis et oppido undique clauſo, Turpilius unus ex omnibus Italicis profugit intactus: id miſericordiane hoſpitis, an pactione, an caſu ita evenerit, parum comperimus; niſi, quia illi in tanto malo turpis vita fama integra potior fuit, improbus inteſtabilisque videtur.

Caput LXVIII.

Metellus, poſtquam de rebus Vagae actis comperit, pauliſper moeſtus e conſpectu abit: deinde, ubi ira et aegritudo permixta ſunt, cum maxuma cura ultum ire injurias feſtinat. Legionem, cum qua hiemabat, et, quam plurimos poteſt, Numidas

---

4) *inulti*, impune, ſine omni defenſione.

5) *ſaeviſſumis Numidis*, i. e. quum Numidae in maxima ſaevitia (*Wuth*) eſſent.

6) *intactus*, incolumis. Vid. Plut. Marc. c. 8. (ed. Reisk. T. II, p. 814). Cf. c. 69. extr.

7) *hoſpitis* a quo ad epulas invitatus erat. Vid. c. anteced.

8) *niſi* i. q. tamen. ſ. niſi tamen. Vid. c. 24. n. 10.

9) *inteſtabilisque*, abjectus, infamis; proprie, qui teſtimonium dicere non poteſt, qui potiorem partem juri libertatis omiſit.

Caput LXVIII.

Quo nuncio accepto Metellus ex hibernis (cf. c. 61.) has Vagenſium injurias ultum feſtinat, et poſtero die improviſo ad oppidum cum parte copiarum accedit.

1) *ubi ira* etc. i. e. ubi ira ad moeſtitiam acceſſit. De neutro *permixta* vid. Jug. 38. n. 19. — *ſunt* C. delevit.

2) *Numidas equites*, int. quos in ſuum exercitum, cum in Numidia eſſet, receperat; quosque nunc, ut Vagenſes eo melius falleret, ſecum duxerat.

equites pariter cum occaſu ſolis expeditos educit: et poſtera die circiter horam tertiam pervenit in quamdam planitiem, locis paullo ſuperioribus circumventam. Ibi milites feſſos itineris magnitudine, et jam abnuentes omnia docet, *oppidum Vagam non amplius mille paſſuum abeſſe: decere illos reliquum laborem aequo animo pati, dum pro civibus ſuis, viris fortiſſumis atque miſerrumis, poenas caperent.* praeterea praedam benigne oſtentat. Sic animis eorum arrectis, equites in primo late, pedites quam artiſſume ire, ſigna occultare jubet.

---

3) *pariter* i. q. *ſimul.* C. 77. ,,*pariter cum* capta Thala." c. 106. ,,*pariter cum* ortu ſolis."

4) *circiter hor. tert.* Cum Romani diem (tam aeſtivum quam hibernum,) in duodecim horas dividerent (a ſexta matutina ad ſextam veſpertinam) hora eorum tertia noſtrae *nonae* (matutinae) reſpondet. cf. Liv. XXVII, 49.

5) *abnuentes omnia.* abnuentes i. e. vel detractantes ſ. recuſantes (ob laſſitudinem) ulterius procedere cf. c. 84. n. 10. vel graecum *ἀπειρηκότες* (Xenoph. Cyrop. VIII, 6, 17), *ἀπαγορεύοντες, ἀπειποῦντες.* — *Omnia*, melius credo, cum *abnuentes*, quam cum *docet* copulatur.

6) *amplius mille paſſ.* Vid. Cat. 56. n. 8.

7) *benigne*, liberaliter pollicetur.

8) *late.* Sic Palmer. e conject. Vulgo *latere* ſine ſenſu. *Late* potius voluit Metellus procedere Numidas equites, quo et pedites occultarent, et ſpecie ſociorum fallerent oppidanos. *In primo* i. q. in primo agmine. Liv. X, 14. ,,arma — *in primo* adparebant."

Caput LXIX.

Vagenſes ubi animadvertere, ad ſe vorſum exercitum pergere: primo, uti erat res, Metellum eſſe rati, portas clauſere: deinde, ubi neque agros vaſtari, et eos, qui primi aderant, Numidas equites vident; rurſum Jugurtham arbitrati, cum magno gaudio obvii procedunt. Equites peditesque, repente ſigno dato; alii volgum, effuſum oppido, caedere; alii ad portas feſtinare; pars turris capere: ira atque praedae ſpes amplius, quam laſſitudo poſſe. Ita Vagenſes biduum modo ex perfidia laetati: civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae fuit. Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugiſſe, ſupra oſtendimus, juſſus a Metello cauſam dicere, poſtquam ſeſe parum expurgat, contemnatus, verberatusque capite poenas ſolvit. nam is civis ex Latio erat.

Caput LXIX.

Vagenſes Jugurtham ad ſe venire rati eique magno cum gaudio obviam procedentes a Romanis ante portas caeduntur. Deinde oppidum eorum capitur et diripitur.

1) Pro *animadvertere.* C. ex uno *animum advortere.*
2) *eſſe* ante *rati* C. delevit.
3) *neque.* i. q. *et* agros *non* vaſtari. Vid. Cat. 52. n. 3.
4) *volgum* antique pro *volgus.* cf. c. 73. ,,*volgum* excitare." utroque tamen loco plures Cdd. *volgus* habent.
5) *amplius*, *quam.* cf. Cat. c. 56. n. 8.
6) *ex perfidia* etc. poſt perfidiam.
7) *Turpilius* cf. C. 67. extr.
8) *nam is civis* etc. Locum hunc, qui vexavit interprett. optime explicat Liv. XXX, 42. ,,De perfugis gravius, quam de fugitivis conſultum, nominis Latini qui erant, ſecuri percuſſi, Romani in crucem ſubacti." Turpilius profugus et Italic. fuit. Vid. c. 67. Ceterum Plutarch l. c. injuſti hujus ſupplicii culpam in Marium confert.

Caput LXX.

Per idem tempus Bomilcar, cujus impulſu Jugurtha deditionem, quam metu deſeruit, inceperat, ſuspectus regi, et ipſe eum ſuspiciens, novas res cupere: ad perniciem ejus dolum quaerere; diu noctuque fatigare animum. denique omnia tentando, ſocium ſibi adjungit Nabdalſam, hominem nobilem, magnis opibus, clarum, acceptumque popularibus ſuis; qui plerumque ſeorſum ab rege exercitum ductare, et omnes res exſequi ſolitus erat, quae Jugurthae feſſo, aut majoribus adſtricto ſuperaverant: ex quo illi gloria opesque inventae. Igitur utriusque conſilio dies inſidiis ſtatuitur: cetera, uti res posceret, ex tempore parari placuit. Nabdalſa ad exercitum profectus, quem inter hiberna Romanorum juſſus habebat, ne ager, inultis hoſtibus, vaſtaretur. Is poſtquam, magnitudine facinoris perculſus, ad tempus non venit, metusque rem impediebat; Bomilcar ſimul cupidus incepta patrandi, et timore ſocii anxius, ne, omiſſo vetere conſilio, novum quaereret, literas ad eum per homines fidelis mittit, in quis *mollitiem ſecordiamque viri accuſare, teſtari deos, per quos juraviſſet; monere, praemia Metelli in peſtem ne converteret, Jugurthae exitium adeſſe, ceterum ſuane, an virtute Metelli periret, id modo agitari: proinde reputaret cum animo ſuo, praemia, an cruciatum mallet.*

Caput LXX.

Per idem tempus Bomilcar cum Nabdalſa Jugurthae legato diem conſtituit, quo regi inſidiae ſtruantur. Sed quum Nabdulſa timidus ad tempus conſtitum non venit, literas ei ſcribit, in quibus eum promiſſi admonet et morae periculum oſtendit.

1) *cujus impulſu* etc. Vid. c. 62.

2) *eum ſupiciens*, ob conſilium deditionis, quod Bomilcar dederat et Jugurtha non ſecutus erat.

3) *novas res cupere*, novum conſilium cepit.

4) Pro *clarum*. C. cum Waſſ. *carum*, ut *carus acceptusque* conjungantur, uti c. 12. et 108. Sed vulgata, recte diſtincta, bene h. l. habet, ob ſequentia: ex quo illi *gloria* opesque inventae. Nabdalſa erat nobilis, dives, clarus, acceptusque popularib.

5) *ductare*. Tacit. Hiſt. II, 100. „exercitui, quem ipſe *ductaverat*. Cf. Cat. 17. n. 29.

6) *majorib. adſtr. ſuperaverant*, negotiis gravioribus occupato ſuperfuerant.

7) *parari* i. q. componi (*verabredet werden*). ſ. exequi.

Caput LXXI.

Sed cum hae literae adlatae, forte Nabdalſa, exercito corpore feſſus, in lecto quieſcebat, ubi,

---

8) *ne ager — vaſtaretur* int. partim ex urbib. Numidiae, quibus Metellus praeſidia impoſuerat, partim ex provincia, ubi ipſe hiemabat. Vid. c. 61.

9) *timore* i. e. ob timorem ſocii. *anxius* cum ſqq. cohaeret.

10) *novum* (*conſilium*) *quaereret* i. e. conjurationem proderet.

11) *in quis* (al. in queis) C. cum uno Cd. delevit.

12) *accuſare*. C. mendoſe *accuſari*.

13) *praemia Metelli* etc. i. e. ne committeret, ut capto Jugurtha, loco praemii, a Metello ob proditionem necaretur.

14) *ſuane* ad Nabdalſam pertinet. Sanct. (in Minerv. II, 12.) ad Bomilcarem ſimul pertinere dicit.

15) *periret*, int. Jugurtha.

16) *reputaret cum* etc. Vid. c. 13. n. 8.

17) *praemia*. Vid. c. 61. extr.

Caput LXXI.

Has epiſtolas Numida quidam dormiente Nabdalſa invenit et ad regem perfert, Nabdalſa autem experrectus, ubi rem cognovit, indicem perſequitur, ſed illo fruſtra quaeſito ſe ad regem confert eumque placare ſtudet.

1) *adlatae*. Nonnulli Cdd. adjiciunt, vel *eſſent*, vel *fuiſſent*, vel *ſunt*.

cognitis Bomilcaris verbis, primo cura, deinde, uti aegrum animum solet, somnus cepit. Erat ei Numida quidam negotiorum curator, fidus acceptusque et omnium consiliorum, nisi novissumi, particeps. Qui postquam adlatas literas audivit, ex consuetudine ratus opera aut ingenio suo opus esse, in tabernaculum introivit: dormiente illo epistolam, super caput in pulvino temere positam, sumit ac perlegit; dein propere, cognitis insidiis, ad regem pergit. Nabdalsa, post paullo experrectus, ubi neque epistolam reperit, et rem omnem, uti acta erat, cognovit: primo indicem persequi conatus; postquam id frustra fuit, Jugurtham placandi gratia accedit, dicit *quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa:* lacrumans obtestatur *per amicitiam, perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum sese haberet.*

---

2) *somnus cepit* int. *eum*, quod inest in *aegro animo.*

3) *nisi novissumi* i. e. praeter novissimum consilium insidias Jugurthae parandi.

4) *ingenio* auxilio et consilio.

5) *post paullo.* Sic C. et H., cum Rivio, ex uno vett. Cd., ob nostri morem. Vid. Cat. 18. n. 7. et ibid. 51. n. 142. et Jug. 106. Vulgo *paullo post.* Cf. Cat. 9. n. 4. extr.

6) *acta erat. erat* C. delevit.

7) *cognovit.* Vulg. additur *ex perfugis*, (e c. 73. init. sine sensu). Unus Cd. *ex servis*, quod melius est. C. *utrumque* omisit.

8) *conatus.* Unus Cd. *conatur*, alius *conatus est.*

9) *dicit, quae — parav. facere.* c. verba *dicit* et *facere* delevit. cf. c. p. extr.

10) *perfidia client. praeventa* i. e. cum ipse Bomilcaris consilium indicare voluisset, se perfidiose praeventum esse a cliente suo, ut propter moram indicii suspectus regi fieret. Pro *praeventa* vulg. *praeventum.*

11) *super tali scelere,* talis sceleris i. q. f. ob tale scelus. Cic. Epp. ad Att. XIV, 22. extr. cogitesque quid agendum nobis sit *super legatione votiva.* Tacit. Ann. XV, 36. init. „*super ea profectione* adiit Capitolium."

Caput LXXII

Ad ea rex aliter, atque animo gerebat, placide respondit. Bomilcare aliisque multis, quos socios insidiarum cognoverat, interfectis, iram oppresserat; ne qua ex eo negotio seditio oriretur. Neque post id locorum Jugurthae dies aut nox ulla quieta fuit: neque loco, neque mortali cuiquam, aut tempori satis credere: civis, hostis juxta metuere: circumspectare omnia, et omni strepitu pavescere: alio atque alio loco, saepe contra decus regium noctu requiescere: interdum somno excitus, adreptis armis tumultum facere. Ita formidine, quasi vecordia, exagitari.

Caput LXXII.

Bomilcare aliisque insidiarum sociis, excepto Nabdalsa, necatis Jugurtha maxima formidine ad vecordiam usque exagitatur.

1) *gerebat.* c. 11. init. animo *agitabat.*

2) *placide.* c. 11. *benigne.* c. 102. *placide* et *benigne.*

3) *iram obpresserat*, ideoque Nabdalsae, quem interficere insuper timebat benigne excepit.

4) *ex eo negotio.* Vid. c. 6. n. 10.

5) *post id locorum* h. e. postea. c. 63. „ad id *locorum.*" c. 102. init, „Postea loci." Pro sq. *fuit* C. *fuere.* Vid. Cat. 20. n. 6. et 25. n. 10.

6) *hostis* Grut. *hostesque.*

7) *juxta* i. q. pariter. cf. Cat. 57. n. 27.

8) *contra dec. reg.* (cf. c. 53. init.) i. e. saepe iis locis, ubi regem quiescere non decet.

9) *vecordia*, amentia. De *exagitari* cf. Cat. 58. n. 4.

Caput LXXIII.

Igitur Metellus, ubi de caſu Bomilcaris et indicio patefacto ex perfugis cognovit, rurſus, tamquam ad integrum bellum, cuncta parat feſtinatque. Marium, fatigantem de profectione, ſimul et invitum, et offenſum ſibi, parum idoneum ratus, domum dimittit. Et Romae plebes, literis, quae de Metello ac Mario miſſae erant, cognitis, volenti animo de ambobus acceperant. Imperatori nobilitas, quae antea decori fuerat, invidiae eſſe; at illi alteri, generis humilitas favorem addiderat. ceterum in utroque magis ſtudia partium, quam bona, aut mala ſua moderata. Praeterea ſeditioſi magiſtratus volgum exagitare, Metellum omnibus con-

---

Caput LXXIII.

Metellus ubi accepit inſidias male ceſſiſſe, bellum redintegrat et Marium dimittit. Romae plebes per ſe jam et per tribunos contra Metellum accenſa, invito Senatu, Mario conſulatum et imperium contra Jugurtham mandat.

1) *patefacto* i. q. facto, (int. per negotiorum Nabdalſae curatorem). c. 65. indicium *profiteri* pro facere.

2) *fatigantem* int. ſe (*der ihn ermüdet oder ihm zuſetzt.*) c. 11. „fatigatus a fratre."

3) *invitum*, qui invitus in caſtris erat, quum Romam ſemper cogitaret.

4) *volenti animo acceperant*, libentes audierant, Marium ab exercitu in locum Metelli imperatorem poſci. Vid. c 65.

5) Pro *fuerat* alii *fuit*. Utrumque C. delevit, *fuit* G. incluſit.

6) *generis humilitas*. Vid. c. 63. n. 4.

7) *moderata* (ſunt) i. e. hominum judicia de utroque (Mario et Metello) magis a partium ſtudio, quam a virtutibus aut vitiis eorum definiebantur. — *mala ſua*. i. q. mala eorum.

8) *ſeditioſi magiſtratus* i. e. tribuni plebis.

cionibus capitis arceſſere, Marii virtutem in majus celebrare. Denique plebes ſic accenſa, uti opifices agreſtesque omnes, quorum res fidesque in manibus ſitae erant, relictis operibus, frequentarent Marium, et ſua neceſſaria poſt illius honorem ducerent. Ita, perculſa nobilitate, poſt multas tempeſtates novo homini conſulatus mandatur. et poſtea populus a Tribuno plebis Manilio Mancino rogatus, *quem vellet cum Jugurtha bellum gerere?* frequens Marium juſſit. Sed Senatus paulo ante Metello Numidiam decreverat: ea res fruſtra fuit.

Caput LXXIV.

Eodem tempore Jugurtha, amiſſis amicis, quorum plerosque ipſe necaverat, ceteri formidine,

---

9) *in majus* i. e. non modo Marii virtutem praedicabant, ſed etiam majorem faciebant.

10) *res fidesque*, res familiaris et quod barbare dicunt: creditum. Cf. Cat. 48. n. 7.

11) *frequentarent*, frequentes cum Mario eſſent.

12) *et ſua neceſſaria* etc., et ſua negotia illius petitioni poſtponerent.

13) *poſt multas tempeſtates* i. e. quod ex multo tempore factum non erat. Primus poſt Marium novus homo, longo intervallo (646 — 690 a. u.), Cicero conſul (Marii municeps) creatus eſt.

14) *Numidiam*, cui Cdd. nonnulli adjiciunt *provinciam* C. ex Cdd. delevit, mente ſupplens: bellum cum Jugurtha gerendum. Pauci libri pro *Metello* habent *Metellum* (int. bellum gerere), Idem *ſed*, ante *ſenatus* expulit.

Caput LXXIV.

Amicis amiſſis Jugurtha varius incertusque eſt. Inter dubitationes ejus et moras, Metellus repente cum exercitu ſeſe oſtendit. Proelium committitur in quo Jugurtha pellitur et fugatur.

1) *amicis*, conſiliariis, adminiſtris.

2) Poſt *ceteri*. Veneta (1470) cum uno Cd. adjicit *perculſi*.

pars ad Romanos, alii ad regem Bocchum profugerant; cum neque bellum geri ſine adminiſtris poſſet, et novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri periculoſum duceret, varius incertusque agitabatur: Neque illi res, neque conſilium aut quisquam hominum ſatis placebat: itinera praefectosque in dies mutare; modo advorſum hoſtis, interdum in ſolitudines pergere: ſaepe in fuga, ac poſt paullo ſpem in armis habere: dubitare, virtuti an fidei popularium minus crederet. ita, quocumque intenderat, res advorſae erant. Sed inter eas moras repente ſeſe Metellus cum exercitu oſtendit. Numidae ab Jugurtha pro tempore parati inſtructique ſunt: dein praelium incipitur. Qua in parte rex pugnae adfuit, ibi aliquamdiu certatum: ceteri omnes ejus milites primo concurſu pulſi fugatique. Romani ſignorum et armorum aliquanto numero,

---

5) *Bocchum.* (alii *Bocchum.* Vid. c. 29. n.) Vid. c. 19. et 80.

4) *agitabatur.* C. ex aliq. Cdd. *agitabat* i. e. erat) ſed c. 25. divorſus *agitabatur.* Cf. Cat. 9. n. 4. extr.

5) *poſt paullo.* Alii *paullo poſt.* Cf. 71. n. 5.

6) *virtuti an fidei.* C. hoc ordine: virtuti popul. an *fide*; de quo poſtremo vid. c. 52. n. 4.

7) *intenderat* i. q. intendebat, i. e. animum convertebat.

8) *ſunt* (poſt *inſtructique*) C. abjecit.

9) *pugnae adfuit.* C. cum paucis Cdd. *pugnae* abjecit.

10) *ejus milites* C. adſentiente Grut. incluſit.

11) *Roman. ſignorum* etc. Sic locum hunc, cum majori Cdd. numero et exigua mutatione C. conſtituit. Vulgo: Rom. ſignor. et armor. *et* aliq. num. hoſtium potiti. Sed ſequentia docent, hoſtium numerum *prae ceteris* exiguum fuiſſe. Analogon duplicis caſus ad idem verbum (*numero* et *hoſtium potiti*) vid. Cat. 53. n. 8.

hoſtium paucorum potiti. nam ferme Numidas in omnibus praeliis pedes magis, quam arma tuta ſunt.

Caput LXXV.

Ea fuga Jugurtha impenſius modo rebus ſuis diffidens, cum perfugis et parte equitatus in ſollitudines, dein Thalam pervenit, in oppidum magnum et opulentum, ubi plerique theſauri, filiorumque ejus multus pueritiae cultus erat. Quae poſtquam Metello comperta ſunt, quamquam inter Thalam flumenque proximum, ſpatio millium quinquaginta, loca arida atque vaſta eſſe cognoverat: tamen ſpe patrandi belli, ſi ejus oppidi potitus foret, omnis aſperitates ſupervadere, ac naturam etiam vincere adgreditur. Igitur omnia jumenta ſarci-

---

Caput LXXV.

Jugurtha in proelio victus paucis cum equitibus Thalam ſe confert. Quod poſtquam Metellus comperit, omnia parat ut hoc oppido in vaſta et arida regione ſito potiatur et poſtero ſtatim die accedit. Oppidani defenſionem parant.

1) *impenſius modo* i. q. juſto vehementius. Vid. c. 47. n. 9.

2) *Thalam.* Oppid. Numidiae incerti ſitus. Iterum occurrit c. 89. et ap. Flor. III, 21. In mappis Geogr. D'Anvillii *Telepte* ſive *Tala* conſpicitur infra ſollitudines verſus merid., intra grad. 34. et 35.

3) *in oppidum.* Pro *in* alii *id*, al. *ad.* Grut. *in* abjici mavult, C. omnem hanc oppoſitionem (*in opulentum*) deleri.

4) *filiorumque ejus* etc., et ubi multi filii ejus nondum adulti educabantur. Cf. cap. ſq. init. De *cultu* vid. c. 5. n. 21.

5) *millium quinquaginta* int. paſſuum.

6) Verba: *ſi — foret.* C. incluſit.

7) *ſupervadere*, difficultates ſuperare ſ. vincere.

8) *ac naturam etiam vincere* i. e. per ea loca exercitum ducere, ubi, aquae inopia viam natura negaverat.

nis levari jubet, nisi frumento dierum decem: ceterum utres modo, et alia aquae idonea portari. Praeterea conquirit ex agris, quam plurimum potest, domiti pecoris; eoque imponit vasa cujusque modi, pleraque lignea, collecta ex tuguriis Numidarum. Ad hoc finitumis imperat, qui se post regis fugam Metello dederant, quam plurimum quisque aquae portaret, diem locumque, *ubi praesto forent, praedicit*. Ipse ex flumine, quam proxumam oppido aquam supra diximus, jumenta onerat. eo modo instructus ad Thalam proficiscitur. Deinde ubi ad id loci ventum, quo Numidis praeceperat, et castra posita munitaque sunt; tanta repente coelo missa vis aquae dicitur, ut ea modo exercitui satis superque foret. Praeterea commeatus spe amplior: quia Numidae, sicuti plerique in nova deditione, officia intenderant. Ceterum milites religione pluvia magis usi: eaque res multum animis eorum addidit: nam

9) *nisi* i. q. excepto.

10) *eoque* pro eique, nisi *eoque* adverbialiter sumere velis ut c. 66. „Vagenses, *quo* — praesidium imposuerat."

11) *quisque portaret.* (supple *ut*) C. ex uno Cd. *portarent.* Cf. Cat. 43. n. 11.

12) Pro *forent* C. ex aliq. Cdd. *fuerint.*

13) *quam proxumam* etc. pro, quod (flumen) aq. proxumam diximus. Vid. Cat. 7. n. 13. Ceterum ad proxumam int. quamvis longe remotam.

14) *ad id loci.* Vid. c. 72. n. 5. — *quo* int. venire C. alii *quod.*

15) *vis aquae.* cf. c. 32. n. 12.

16) *modo* i. e. sola per se.

17) *spe amplior* int. erat.

18) *officia intenderant* i. q. studia sua duplicaverant.

19) *religione — usi* (sunt) i. e. ob deos, quos pluviae hujus auctores habuere.

rati sese diis immortalibus curae esse. Deinde postero die, contra opinionem Jugurthae, ad Thalam perveniunt. Oppidani, qui se locorum asperitate munitos crediderant, magna atque insolita re perculsi, nihilo segnius bellum parare; idem nostri facere.

Caput LXXVI.

Sed rex nihil jam infectum Metello credens, quippe qui omnia arma, tela, locos, tempora, denique naturam ipsam, ceteris imperitantem, industria vicerat, cum liberis et magna parte pecuniae ex oppido noctu profugit: neque postea in ullo loco amplius una die, aut una nocte moratus, simulabat, sese negotii gratia properare; ceterum proditionem timebat, quam vitare posse celeritate putabat. nam talia consilia per otium, et ex opportunitate capi. At Metellus, ubi oppidanos praelio intentos, simul oppidum et operibus et loco munitum videt, vallo

20) Pro *segnius* (non remissiore studio) C. conjicit *secius*, quod idem significat.

Caput LXXVI.

Metellus oppidum quidem post quadraginta dies vi capit, sed neque Jugurtham, qui cum liberis et magna pecuniae parte ex eo nocte profugerat, neque praedam ibi invenit, quod perfugae cum omnibus rebus pretiosis se combusserant.

1) *nihil — infectum Metello* i. e. nihil esse, quod Metellus efficere non posset.

2) *locos.* Plurimi libri *loca* habent. cf. c. 66. „communire suos *locos.*" c. 54. „in *loca* saltuosa."

3) *amplius una die.* cf. Cat. C. 56. n. 8.

4) *loco*, natura situs.

fossaque moenia circumvenit. Deinde jubet locis ex copia maxume idoneis vineas agere, superque eas aggerem jacere, et super aggerem impositis turribus opus et administros tutari. Contra haec oppidani festinare, parare: prorsus ab utrisque nihil reliquum fieri. Denique Romani, multo ante labore praeliisque fatigati, post dies quadraginta, quam eo ventum erat, oppido modo potiti: praeda omnis ab perfugis corrupta. Ii postquam murum arietibus feriri, resque suas adflictas vident, aurum atque argentum, et alia, quae prima ducuntur, domum regiam comportant: ibi vino et epulis onerati, illaque, et domum, et semet igni corrumpunt; et quas victi ab hostibus poenas metuerant, eas ipsi volentes pependere.

5) *vallo fossaque*. Vid. c. 23. n. 11.

6) *jubet*, C. cum aliq. Cdd. delevit. Cf. Cat. 46. n. 8. Porro priores edd. adjiciunt *duobus*, quod ob sequens *ex copia*, vix rejiciend. videtur. Nam hoc aliter explicari non potest nisi *ex omnibus locis*.

7) *ex copia*, quorum idoneorum locorum plura ibi aderant.

8) *vineas agere*. Vid. c. 21. n. 7.

9) Verba *superque eas* C. invitis Cdd. delevit; G. inclusit. Sed pro *superque eas* (vineas) quod contra rei naturam est, equidem cum Guelph. 5. legendum censeo *supterque eas* i. e. *sub vineis*. Nam aggerem tantum vineis tecti muro adferre poterant.

10) *administros*, operas.

11) Post *potiti* Cdd. nonnulli adjiciunt *sunt*.

12) *ab perfugis* cf. c. 86.

13) *arietibus*. Aries fuit tignum pendens, capite ferreo, in formam arietini capitis, munitum, quo muros continenter pulsabant. Vid. Vitruv. X. 19.

14) *igni corrumpunt*, comburunt. c. 92. „plura igni corrumpit."

15) Pro *metuerant* C. e pauc. Cdd. *metuerent*.

CAPUT LXXVII.

Sed pariter cum capta Thala legati ex oppido Lepti ad Metellum venerant, orantes, *uti praesidium praefectumque eo mitteret; Hamilcarem quemdam, hominem nobilem, factiosum, novis rebus studere; advorsum quem neque imperia magistratuum, neque leges valerent: ni id festinaret, in summo periculo suam salutem, et illorum socios fore.* Nam Leptitani jam inde a principio belli Jugurthini ad Bestiam consulem, et postea Romam miserant, amicitiam societatemque rogatum. Deinde, ubi ea impetrata, semper boni fidelesque mansere, et cuncta a Bestia, Albino, Metelloque imperata nave fecerant. Itaque ab imperatore facile, quae petebant,

CAPUT LXXVII.

Leptitanis Romanorum inde a belli principio sociis, contra Hamilcarem quemdam apud se nobilem et novarum rerum cupidum per legatos praesidium orantibus Metellus aliquot cohortes cum Annio praefecto mittit.

1) *pariter cum*. Vid. c. 68. n. 2.

2) *ex oppido Lepti*. Leptis magna, urbs maritima regionis Syrticae s. Tripolitanae, hoc tempore Romanis nondum subjecta. Cf. cap. sq. et c. 19.

3) *et illorum. et* vulgo non legitur; sed bene id adjiciunt plures Cdd. Nonnulli *illorumque*; int. Romanorum, qui sui socii essent. c. 56. „Siccenses hortatur, cohortes circumveniant, fortunam illis (ipsis) praeclari facinoris casum dare." c. 61. si Jugurtham *sibi* tradidisset, fore ut *illi* (ipsi) senatus — concederet."

4) *ubi ea impetrata*. *Ea* refer ad amicitiam societatemque. Alii adjiciunt *fuere*, alii *sunt*.

5) *nave* i. q. *naviter*, s. *gnaviter*, quomodo alii legunt, i. e. studiose. C. cum Carrione dedit *navi*, ut sit adjectiv. loco adverbii.

adepti. Emiſſae eo cohortes Ligurum quatuor, et C. Annius praefectus.

Caput LXXVIII.

Id oppidum ab Sidoniis conditum eſt, quos accepimus, profugos ob discordias civilis, navibus in eos locos veniſſe: ceterum ſitum inter duas Syrtis, quibus nomen ex re inditum. Nam duo ſunt ſinus, prope in extrema Africa, impares magnitudine, pari natura: quorum proxuma terrae praealta ſunt;

---

6) *Emiſſae* Juſtin. XLII, 4. „partem legionum *emiſit*" ut nos *ſchickte aus*. B. e. duob. Cdd. *eo miſſae*. Alii libri *eoque miſſae* habent.

7) *Ligurum*. Vid. c. 58. n. 14.

Caput LXXVIII.

Oppidi Leptis origo et brevis deſcriptio.

1) *Sidoniis*, Cf. c. 19. init. Plin. V, 19. Leptin dicit coloniam Tyriorum, qui ſaepius cum Sidoniis confunduntur.

2) *ex re* i. e. ex natura ſua (a *σύρειν*,) quia limum, arenam, ſaxa *trahunt*. Vid. n. 8. Hinc fit, ut quivis ſinus arenoſus Syrtis nominari poſſit. Vid. Heyne Fxc. IV. ad Virg. Aen. I.

3) *prope in extrema Africa*; ſiquidem regio Syrtica, Cyrenaicae proxima eſt, quae Africae maritimae verſus orientem extrema regio eſt. (Vid. c. 19.) Hinc *prope* in extr. Africa auctor dicit.

4) *quorum proxuma terrae* i. e. quorum (ſinuum) partes littori proximae, valde profundae (praealta) ſunt. Poſt *proxima* Cdd. nonnulli adjiciunt *loca*. Voce *praealtus* utitur quoque Tacit. Hiſt. V, 15. „cum *praealtis* paludib. arma equique haurirentur." Ceterum quod *profundum*, idem *altum* eſt, prout locus, ex quo judicas, vel ſuperior eſt, vel inferior. Hinc altum mare i. q. profundum. *Fahret auf die Höhe* i. e. ubi mare profundum eſt.

cetera, uti fors tulit, alta; alia in tempeſtate vadoſa. Nam ubi mare magnum eſſe, et ſaevire ventis coepit, limum arenamque et ſaxa ingentia fluctus trahunt: ita facies locorum cum ventis ſimul mutatur. Ejus civitatis lingua modo converſa connubio Numidarum: legum, cultusque pleraque Sidonica. quae eo facilius retinebant, quod procul ab imperio regis aetatem agebant. Inter illos et frequentem Numidiam multi vaſtique loci erant.

---

5) *cetera*, quae a terra remotiora ſunt.

6) *alta; alia in tempeſt. vadoſa* i. e. alio tempore (alia in tempeſtate) alta, alio vadoſa ſunt.

7) *magnum* i. e. tumidum, procelloſum.

8) *trahunt* i. e. ſecum in fundo maris trahunt, (unde *Σύρτις*) nam littus ibi magnam partem arenoſum eſt.

9) *facies locorum* i. e. ſinuum fundus.

10) Poſt *mutatur* in omnib. Cdd. legitur: *Syrtes ab tractu nominatae*, quae verba, ut gloſſam C., adſtipulante Grut., cum edd. vett. omiſit.

11) *modo converſa* (Cdd. aliq addunt *eſt*) i. e. lingua tantummodo mutata eſt ejus oppidi Leptis.

12) *legum* etc. i. e. maxima pars legum, generisque vivendi (cultus), Sidonica permanſit. C. pro *legum* ex nonnull. recepit *leges*. Alii: *leges, cultusque et inſtituta pleraque.*

13) *quod procul ab* etc. i. e. quod nulli regi ſubjecti erant; qui talia ſaepius mutare ſolet. Vid. Teller. p. 224. ſqq. et 265.

14) *frequentem Numidiam* i. e. oppidis et auctoribus frequentatam.

Caput LXXIX.

Sed quoniam in has regiones per Leptitanorum negotia venimus; non indignum videtur, egregium atque mirabile facinus duorum Carthaginienſium memorare. eam rem locus nos admonuit. Qua tempeſtate Carthaginienſes pleraeque Africae imperitabant, Cyrenenſes quoque magni atque opulenti fuere. Ager in medio arenoſus, una ſpecie neque flumen, neque mons erat, qui finis eorum discerneret; quae res eos in magno diuturno bello inter ſe habuit. Poſtquam utrimque legiones, item claſſes fuſae fugataeque, et alteri alteros aliquantum adtriverant; veriti, ne mox victos victoresque defeſſos alius adgrederetur, per inducias ſponſionem faciunt, *uti certo die legati domo proficiſcerentur; quo in loco inter ſe obvii fuiſſent, is communis utriusque populi finis haberetur.* Igitur Carthagine duo

fratres miſſi, quibus nomen Philaenis erat, maturavere iter pergere: Cyrenenſes tardius iere. Id ſecordiane, an caſu acciderit, parum cognovi. Ceterum ſolet in illis locis tempeſtas haud ſecus, atque in mari retinere. Nam ubi per loca aequalia et nuda gignentium ventus coortus arenam humo excitavit, ea magna vi agitata, ora oculosque implere ſolet: ita proſpectu impedito, morari iter. Poſtquam Cyrenenſes aliquanto poſteriores ſe eſſe vident, et ob rem corruptam domi poenas metuunt; criminari, Carthaginienſes ante tempus domo digreſſos, conturbare rem: denique omnia malle, quam victi abire. Sed cum Poeni aliam conditionem, tantummodo aequam, peterent, Graeci optionem Carthaginienſium faciunt, *vel illi, quos finis populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur*; *vel eadem*

Caput LXXIX.

De egregio et mirabili Philaenorum, fratrum duorum Carthaginienſium facto per hanc occaſionem brevis narratio.

1) *per Leptit. negotia*, i. e. ob res, quae Lepti evenerunt. Vid. c. 6. n. 8.

2) *non indignum* (οὐκ ἀνάξιον) i. q. non alienum.

3) *nos admonuit. nos* C. cum aliq. Cdd. delevit.

4) *pleraeque* i. q. maximae parti. Cat. 23. extr. et 38 *pleraque* nobilitas. Jug. c. 56. „exercitum *plerumque*."

5) *Cyrenenſes*. Vid. c. 19. n. 6.

6) *in medio* int. Carthaginienſium et Cyrenenſium.

7) *una ſpecie* (ejusdem habitus, aequalis). Stromb. „*Eines Anblickes, worin weder Berg noch Fluſs.*"

8) *inter ſe habuit* i. q. exercuit, ſ. magno bello immiſcuit.

9) *legiones* i. q. copiae pedeſtres.

10) *ſponſionem*, pactum. Cic. Offic. III, 19. „cum is *ſponſionem* feciſſet."

11) *Philaenis*. De hoc dativo. Vid. c. 5. n. 12. et de ipſis his perſonis c. 19. n. 10.

12) *retinere*, morari, retardare (int. viatores).

13) *gignentium* i. q. genitorum (arborum, fruticum); c. 93. „natura gignentium." nam quodcumque *genitum* eſt, id quoque *gignit*. De *nuda* cum genit. vid. Cat. 7. n. 12.

14) *corruptam*, male geſtam. Cat. c. 43. n. 18. „magnas opportunitates corrumpere."

15) *criminari*, falſo accuſant.

16) *digreſſos*. Alii *egreſſos*, ut c. 25. Roma *egreſſus*. Sed *digreſſos* reſpicit loca diverſa.

17) *conturbare rem* i. e. irritam declarabant (Cyrenenſ.) et Carthaginienſib. erant irati. Haec enim verba ad Carthaginienſ. referre ſequens *denique* vix permittit.

18) *Graeci* i. e. Cyrenenſes. Vid. c. 19. n. 8.

19) *optionem — faciunt*, copiam dant., ex alterutro eligendi. *Carthaginienſium* pro *Carthaginienſib.* Sed genit. a ſubſtant. *optionem* pendet, ſicuti dativ. penderet a verbo faciunt. Vid. c. 4. n. 17.

20) *vel illi* int. Carthaginienſes.

conditione sese, quem in locum vellent, processuros. Philaeni, conditione probata, sequi vitamque suam reipublicae condonavere. ita vivi obruti. Carthaginienses in eo loco Philaenis fratribus aras consecravere; aliique illis domi honores instituti. Nunc ad rem redeo.

Caput LXXX.

Jugurtha postquam, amisso Thala, nihil satis firmum contra Metellum putat, per magnas solitudines cum paucis profectus, pervenit ad Gaetulos, genus hominum ferum incultumque, et eo tempore ignarum nominis Romani. Eorum multitudinem in unum cogit: ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere. Praeterea regis Bocchi proxumos magnis muneribus, et majoribus promissis ad studium sui perducit, quis adjutoribus regem adgressus, impellit, uti advorsum Romanos bellum suscipiat. Id ea gratia facilius proniusque fuit, quod Bocchus initio hujusce belli legatos Romam miserat, foedus et amicitiam petitum. quam rem obportunissumam incepto bello pauci impediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat. Etiam antea Jugurthae filia Bocchi nupserat. Verum ea necessitudo apud Numidas Maurosque levis ducitur; quod singuli, pro opibus quisque, quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent; sed reges eo amplius. Ita animus multitudine distrahitur; nullam pro socia obtinet: pariter omnes viles sunt.

---

21) *conditione probata* i. q. conditione Cyrenensium accepta.

22) *suam* (post *vitamque*) C. delevit.

23) *aras*. Vid. c. 19. n. 10.

Caput LXXX.

Amissa Thala Jugurtha cum paucis ad Gaetulos se confert eorumque regi Boccho facile persuadet, ut contra Romanos bellum suscipiat.

1) *amissa Thala*. Vid. c. 76.

2) *Gaetulos*. Vid. c. 18.

3) *ordines habere* (*Reihe und Glied halten*). Liv. XXVI, 48. „*servare* ordines docuit."

4) *imperium observare*: *Auf's Commando zu hören.*

5) *ad studium — perducit*, in amicitiam suam pellicit.

6) Pro *quis* Al. *queis*, ut alibi.

7) *facilius proniusque*, sine discrimine, quod C. fingit, et quasi proverbialiter h. l. conjuncta sunt.

8) *obportunissumam — bello*, utilissimam Romanis in bello Jugurthino.

9) *pauci* int. Romae.

10) *caeci avaritia* i. e. a Jugurtha corrupti.

11) *quis — mos erat*. Vid. Cat. 4. n. 2. Sed B. haec omnia: *quis omnia — mos erat*, ut supervacanea et repetita e Cat. 39. inclusit.

12) *Bocchi*. Vulgo *Boccho*, ita ut Bocchus sit gener, Jugurtha socer. Sed cum Plutarch. in Mar. c. 10. (ubi graec. πενθερὸς, errore, in versione redditum est *gener*) et Flor. III, 1.. contrarium doceant, C. e Cdd. recepit *Bocchi*.

13) *amplius* i. e. plurimas, plus quam denas.

14) *Pro socia obtinet*, pro socia (vitae) habet, cum qua et gaudia et luctus communicet. Pro *nullam* C. e. Cdd. *nulla*.

Caput LXXXI.

Igitur in locum ambobus placitum exercitus conveniunt. ibi, fide data et accepta Jugurtha Bocchi animum oratione accendit: *Romanos injuſtos, profunda avaritia, communis omnium hoſtis eſſe: eamdem illos cauſam belli cum Boccho habere, quam ſecum et cum aliis gentibus, lubidinem imperitandi: quis omnia regna advorſa ſint: tum ſeſe, paullo ante Carthaginenſes, item regem Perſen, poſt, uti quisque opulentiſſumus videatur, ita Romanis hoſtem fore.* His atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter conſtituunt: quod ibi Metellus praedam captivosque et impedimenta locaverat. Ita Jugurtha ratus, aut, capta urbe, operae pretium fore; aut, ſi Romanus

---

Caput LXXXI.

Exercitu collecto et Boccho a Jugurtha oratione accenſo utrique e Mauritania ad Cirtam movent, ubi Metellus captivos et impedimenta locaverat, aut praedam ibi aut proelium ſperantes.

1) *fide data* et *accepta.* Vid. Cat. 44. n. 6.
2) *profunda*, inſatiabili, inexplebili et velut ſine fundo.
3) *cum Boccho*, quippe cui amicitiam negaverant. Vid. cap. antec.
4) *lubidinem imp.* Cat. a. 2. „*lubidinem* dominandi cauſam belli habere."
5) *tum ſeſe* pro *nunc* ſeſe hoſtem Romanorum *eſſe*, (paullo ante Carthag. *fuiſſe*—poſtea etc. *fore*.)
6) *Carthaginienſes.* Vid. Cat. 10. n. 5.
7) *regem Perſen*, qui victus eſt a Paul. Aemilio ad Pydnam 586. a. u. in bello Macedonico ſecundo, Vid. Flor. II, 12.
8) *ad Cirtam.* Vid 21. n. 5. — *ad* i. q. verſus.
9) *capta urbe* i. q. captam urbem; ob ſeq. operae pretium fore.
10) *Vocem operae* plures Cdd. non habent.
11) *Romanus.* Nonnulli Cdd. *dux* addunt.

auxilio ſuis veniſſet, praelio ſeſe certaturos. Nam callidus id modo feſtinabat, Bocchi pacem imminuere; ne, moras agitando, aliud, quam bellum, mallet.

Caput LXXXII.

Imperator poſtquam de regum ſocietate cognovit, non temere, neque, uti ſaepe jam victo Jugurtha conſueverat, omnibus locis pugnandi copiam facit: ceterum haud procul ab Cirta, caſtris munitis, reges opperitur; melius eſſe ratus, cognitis Mauris, quoniam is novus hoſtis acceſſerat, ex commodo pugnam facere. Interim Roma per literas certior fit, provinciam Numidiam Mario datam. nam conſulem factum, jam antea acceperat. Qui-

---

12) *id — feſtinabat — imminuere* pro *ut* imminueret.
13) *pacem* i. q. ſtudium ſ. animum pacis.

Caput LXXXII.

Dum Metellus utrumque regem caſtris munitis ad Cirtam cautius exſpectat, literis certior fit, Numidiam provinciam Mario conſuli deſignato datam eſſe eamque aegritudinem fert nimis molliter.

1) *ceterum*, quo ſaepiſſime noſter utitur h. l. idem quod *ſed.* Cf. c. 84. n. 11.
2) *eſſe* poſt *melius* C. tacite omiſit.
3) *cognitis Mauris*, ubi Mauros cognoviſſet. Vid. c. 7. „ubi naturam P. Scipionis — et morem hoſtium cognovit."
4) *Roma.* Cdd. aliq. *ex Roma.* C. 79. „Igitur *Carthagine* duo fratres miſſi." cf. Cat. 40. n. 13.
5) *conſulem factum*, int. a. u. 646. Nam Calpurn. Beſtia conſul fuit 642 (vid. c. 27. n. 8.); Albinus 643, et ob comitia dilata magnam partem anni 644. (c. 35. n. 5. cf. 37. et 44.); Metellus reliquam partem anni 644 et iterum 645 (c. 71. fin.); Marius ergo 646.
6) *iam antea.* H. *ante acceperat* ſine *jam.* Pro ſeq. *Quibus* C. *Quis*,

bus rebus ſupra bonum atque honeſtum perculſus, neque lacrumas tenere, neque moderari linguam: vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. Quam rem alii in ſuperbiam vortebant: alii bonum ingenium contumelia accenſum eſſe: multi, quod jam parta victoria ex manibus eriperetur. nobis ſatis cognitum, illum magis honore Marii, quam injuria ſua excruciatum, neque tam anxie laturum fuiſſe, ſi ademta provincia alii, quam Mario, traderetur.

Caput LXXXIII.

Igitur eo dolore impeditus, et quia ſtultitiae videbatur alienam rem periculo ſuo curare, legatos ad

7) *ſupra bonum atque honeſtum* i. e. magis quam viro forti honeſtum et imperatoriae dignitati decorum fuit. c. 5. „amicitia bona atque honeſta." i. e. ſicuti Maſiniſſae bonum decorumque fuit. c. 8. *bono honeſtoque.*

8) *in aliis artibus* i. q. virtutibus. cf. c. 8. n. 12.

9) *nimis molliter* etc. nimis graviter et fere muliebriter (non ſatis conſtanter) dolorem tulit. Cic. Off. I, 21. „in dolore *molliores.*"

10) *vortebant* i. q. conferebant (*ſchoben.*)

11) *bonum ingenium* etc. i. e. virum illum bonum, non ſuperbia, ſed contumelia hac accenſum fuiſſe dicebant.

12) *multi*, repete *dicebant* per Syllepſin.

13) *injuria ſua* i. e. ſibi illata.

14) *traderetur* i. q. tradita fuiſſet. Vid. 25. n. 2.

Caput LXXXIII.

Ab eo inde tempore Metellus nunciis ad Bocchum miſſitandis ne temere bellum contra Romanos ſuscipiat, ſed ſocietatem amicitiamque jungat, bellum intactum trahere ſtudet.

1) *alienam rem* i. e. bellum, quod mox Marii futurum eſſet.

Bocchum mittit, poſtulatum, *ne ſine cauſa hoſtis populo Romano fieret: habere eum magnam copiam ſocietatis amicitiaeque conjungendae, quae potior bello eſſet; quamquam opibus ſuis confideret, tamen non debere incerta pro certis mutare, omne bellum ſumi facile, ceterum aegerrume deſinere: non in ejusdem poteſtate initium ejus et finem eſſe: incipere cuivis, etiam ignavo licere; deponi, cum victores velint. proinde ſibi regnoque ſuo conſuleret; neu florentis res ſuas cum Jugurthae perditis miſceret.* Ad ea rex ſatis placide verba facit: *ſeſe pacem cupere, ſed Jugurthae fortunarum miſereri, ſi eadem illi copia fieret, omnia conventura.* Rurſus imperator contra poſtulata Bocchi nuncios mittit. ille probare partim, alia abnuere. Eo modo ſaepe ab utroque miſſis remiſſisque nunciis, tempus procedere, et, ex Metelli voluntate, bellum intactum trahi.

2) *eum.* Vulgo pro *eum* legitur *tum*, quod probo et quod G. recepit. *Tum* enim pro *nunc* clariſſime poſitum eſt c. 81. n. 5. *eum* ex paucis Cdd. receperunt.

3) *magnam copiam* i. q. optimam occaſionem. De ſtudio Bocchi cum Romanis foedus et amicitiam faciundi cf. c. 80.

4) *opibus ſuis. ſuis* et ſeq. *tamen* C. cum uno Cd. delevit.

5) *ſumi.* Vid. c. 20. n. 10.

6) *aegerrume deſinere* i. q. difficillime finiri. Cf. de Senect. c. 20. „omnis conglutinatio, *aegre* inveterata *facile* diſſolvitur.

7) *regnoque ſuo. ſuo*, C. cum aliq. Edd. vett. delevit.

8) *ſatis placide.* c. 72. „ſatis *placide* reſpondit.

9) *ſi eadem illi copia* etc. (int. pacis et amicitiae) i. e. ſi Jugurthae quoque pax concederetur, ſe cum Romanis facile conventurum eſſe.

10) *contra* i. q. ad.

11) *alia abnuere.* C. ex aliq. Cdd. *probare, partim abnuere.* M. *probare partim, partim abnuere.* e. plurib. Cdd.

Caput LXXXIV.

At Marius, ut ſupra diximus, cupientiſſuma[1] plebe Conſul factus[2], poſtquam ei provinciam Numidiam populus juſſit[3], antea jam infeſtus nobilitati, tum vero[4] multus atque ferox inſtare[5]: ſingulos modo, modo univerſos laedere: dictitare, *ſeſe conſulatum ex victis illis ſpolia cepiſſe*[6]; alia praeterea magnifica pro ſe[7], et illis dolentia. Interim, quae bello opus

Caput LXXXIV.

Romae contra Marius in nobilitatem dictis ſuperbiens ſumma alacritate bellum, a ſe in Numidia continuandum parat, Senatu nihil ei recuſare audente et plebe illum omni voluntate adjuvante; praeſertim ubi Marius oratione animos illorum accenderat.

1) *cupientiſſima* Antique pro *cupidiſſima*. Plaut. Pſeud. II, 3, 17. quod *cupientes* dari petimus nobis."

2) *Conſul factus*. Vid. c. 73. fin.

3) *juſſit*. Pauci Cdd. *dari juſſit*; ſed hoc verb. ſupplend. potius eſt, quam addendum. Cf. c. 40. n. et Duker. ad Liv. XXVI, 41.

4) *tum vero*. Vid. c. 50. n. „*tum vero cerneres* (*da konnte man erſt ſehen*.) quod *erſt* idem quod *recht*, *in Wahrheit*.

5) *multus atque ferox inſtare*, ſaepe atque ferociter adgrediebatur ſ. laceſſebat. Sic *homo multus* (Plaut. Menaech. II, 2, 41.) vocatur is, qui nimis ſaepe venit, ideoque moleſtus eſt.

6) *ſeſe conſulatum* etc. i. e. ſe e contentione cum nobilibus conſulatum tanquam victoriae ſignum reportaſſe. Plutarch. Mar. c. 9. (Reiske T. II. p. 618. σκῦλόν τε βοῶντος αὐτοῦ τὴν ὑπατείαν φέρεσθαι τῆς τῶν εὐγενῶν καὶ πλουσίων μαλακίας, i. e. conſulatum ſe ex nobilium et locupletium mollitia praedam cepiſſe.

7) *pro ſe* i. q. ſibi glorioſa. Tacit. Hiſt. III, 9. „pro Veſpaſiano magnifice, pro cauſa fidenter.", ibid. 73. „pro Veſpaſiano magnifica."

erant, prima habere: poſtulare legionibus[8] ſupplementum, auxilia a populis et regibus ſociiſque arceſſere: praeterea ex Latio fortiſſimum quemque, pleroſque militiae[9], paucos fama cognitos accire, et ambiendo cogere homines emeritis ſtipendiis ſecum proficiſci[10]. Neque illi Senatus, quamquam adverſus erat, de ullo negotio abnuere[11] audebat; ceterum[12] ſupplementum etiam laetus decreverat: quia neque plebi militia volenti[13] putabatur, et Marius aut belli uſum[14], aut ſtudia volgi amiſſurus. Sed ea res fru-

8) *legionibus* i. q. legionum, int. quae in Numidia nunc ſub Metello militabant.

9) *pleroſque militiae* etc. i. e. magis e propria Marii (in bello) notitia, quam fama cognitos. Hinc Cdd. nonnulli ante *militia* adponunt *ſibi*. *militiae* vero C. (quem ſecuti ſunt G. et M.) dedit e nonnull. Cdd. pro *militia*; ob morem Salluſtii, diverſos caſus conjungendi. Vid. Cat. 35. n. 6. et ibid. 7. n. 14.

10) Verba *ſecum proficiſci* quae in omnib. Cdd. leguntur, C. tamquam gloſſ. incluſit. Sed *cogere* eſt h. l. perſuadendo veluti cogere (*nöthigen*). Ceterum pro *emeritis* Cdd. aliquot *emeritos* habent, quod B. recepit.

11) *de ullo negotio abnuere*. i. q. ullam rem denegare cf. c. 6. n. 10. *De negotio abnuere*, dictum eſt ut c. 13. docere *de caede* et Cat. 48. indicare *de conjuratione*.

12) *ceterum* i. q. ſed. cf. c. 82. n. 1. quamquam et ſignificatio conſueta h. l. retineri poſſit.

13) *neque plebi militia volenti* etc. i. e. quia putabant, ipſam plebem militiam detrectaturam eſſe. Sic legit C. e. plurib. Cdd.; vulgo *militiam*, quem accuſat. quaevis conſtructio h. l. reſpuit. Eſt autem conſtructio tota graeca πλήθει βουλομένῳ ἦν (Thucyd. II, 3.); unde *eſſe* poſt volenti adjiciendum putem. C. 100. „ut militibus labos volentib. eſſet." Al. Cdd. *plebe militia volente* (*eſſe*).

14) *aut belli uſum* etc. i. e. aut id, quod bello uſui eſſet (militum ſupplementum) (Stromb. *den Bedarf d. Krieges*.) aut amorem vulgi. Aliter K.

ſtra ſperata. tanta lubido cum Mario eundi plerosque invaſerat: ſeſe quisque praeda locupletem, victorem domum rediturum, alia hujuscemodi animis trahebant. et eos non paulum oratione ſua Marius adrexerat. Nam poſtquam, omnibus, quae poſtulaverat, decretis, milites ſcribere volt, hortandi cauſa, ſimul et nobilitatem, uti conſueverat, exagitandi, concionem populi advocavit; deinde hoc modo disſeruit.

Caput LXXXV.

Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium a vobis petere, et, poſtquam, adepti ſunt, gerere: primo induſtrios, ſupplices, modicos eſſe; dehinc per ignaviam et ſuperbiam aetatem agere. Sed mihi contra ea videtur. Nam, quo univerſa respublica pluris eſt, quam conſulatus aut praetura, eo majore cura illam adminiſtrari, quam haec peti debere. Neque me fallit, quantum cum maxumo beneficio veſtro negotii ſustineam. Bellum parare, ſimul et aerario parcere; cogere ad militiam eos, quos nolis offendere; domi forisque omnia curare; et ea agere inter invidos, occurſantis, factioſos, opinione, Quirites, aſperius eſt. Ad hoc, alii ſi deliquere, vetus nobilitas, majorum facta fortia, cognatorum et adfinium opes, multae clientelae, omnia haec praeſidio adſunt: mihi ſpes omnes in memet ſitae, quas neceſſe eſt et virtute, et innocentia tutari: nam alia infirma ſunt. Et il-

---

15) Pro *praeda* unus Cortii *praedae*. Sic Liv. XXXV, 1. ,,opulentus *praedae*." Vid. Cat. c. 7. n. 12.

16) *animis trahebant*. agitabant, volvebant. C. 95. ,,anxius *trahere* cum animo."

Caput LXXXV.

Marii in populi concione oratio, in qua in nobilitatem invehitur et ſuam ubique praeſtantiam, etſi plebejus ſit, prae iſtis oſtendit.

1) *Scio ego* etc. Scio, plerosque homines (nobiles) alios eſſe in petendis imperiis (conſulatu et praetura), alios in gerendis, — *artibus* i. q. moribus; *et* i. q. *ac*. (pro *iisdem* C., ut ſolet *isdem*).

2) *primo* i. e. dum petunt.

3) *ſupplices* i. q. demiſſos, *modicos* i. q. moderatos.

4) Loco *dehinc* plures Cdd. *deinde* (i. e. ubi adepti ſunt ſummos honores).

5) *per ignaviam* i. q. in ignavia; (oppoſit eſt induſtria) et ſuperbia (oppoſ. ſupplicibus et modicis.)

6) *ſed contra ea*. Sed mihi videtur, me eſſe debere meliorib. etiam morib. in gerendo conſulatu, quam in petendo. — *ea*, C. e plurib. Cdd. recepit; quamquam profitetur, *ea, in hoc nexu*, difficultatem aliq. habere. explicans: ,,ſed mihi id, quod eſt contra ea, videtur. Plin. Ep. I, 20, 7." Ego *contra* puto. Etiam G. *ea* e meliorib. Cdd. recepit.

7) *Nam quo univerſa* etc. Senſus: Nam conſulatus et praetura reipublicae cauſa inſtituta ſunt, non noſtri ipſorum, ideoque majori cura hi magiſtratus adminiſtrandi ſunt quam petendi. — *illam*, C. cum paucis Cdd. delevit, parum reſpiciens oppoſitum. *haec — debere*, ab antecedente *mihi videtur* pendet.

8) *cum maxumo beneficio veſtro* i. e. conſulatu et imperio. Vid. c. 31. n. 35. Paulo infra: ,,qui mihi ſummum honorem et maximum negotium impoſuiſtis."

9) *eos* (i. e. plebejos) C. cum duob. Cdd. delevit.

10) *occurſantis*, adverſarios, contra nitentes, (nobiles).

11) *aſperius eſt*. Vid. c. 29. n. 5. *opinione aſperius* i. e. difficilius, quam quis opinetur. c. 53. ,,amplius opinione morabatur." c. 75. ,,commeatus ſpe amplior. Cic. Brut. init. ,,opinione omnium majorem capi dolorem."

12) *opes*, auctoritas.

13) *adſunt* i. q. ſunt. Plaut. Epid. III, 1, 14. ,,Nec mihi plus adjumenti *ades*." Cic. ad Div. IV, 8. ,,ut ad omnia — *adſim* praeſto.

14) *nam alia*, ſupple praeſidia.

lud intellego, Quirites: omnium ora in me converſa eſſe: aequos bonosque favere: quippe benefacta mea reipublicae procedunt; nobilitatem locum invadendi quaerere. Quo mihi acrius adnitendum eſt, ut neque vos capiamini, et illi fruſtra ſint. Ita ad hoc aetatis a pueritia fui, ut omnis labores, pericula, conſueta habeam. Quae ante veſtra beneficia gratuito faciebam, ea uti, accepta mercede, deſeram, non eſt conſilium, Quirites. Illis difficile eſt in poteſtatibus temperare, qui per ambitionem ſeſe probos ſimulavere: mihi, qui omnem aetatem in optimis artibus egi, benefacere jam ex conſuetudine in naturam vertit.

---

15) *procedunt* i. q. proſunt, ſ. proſpere cedunt. De voce *benefacta* vid. Cat. 3. n. 1. Senſus: aequi bonique mihi favent, dum exſpectant, me benefacturum reipublicae.

16) *locum invadendi* i. q. occaſionem circumſpicere, ubi me vituperare et nocere poſſint.

17) *capiamini* i. e. decipiamini ſ. ſpes veſtra falſa ſit. C. quidem alio inclinat, ſed ſubtilius, quam verius. K. „ne veſtrum favorem mihi detrahi patiamini."

18) *fruſtra ſint* i. e. fruſtra nos invadere ſperent. cf. Cat. c. 7. n. 14. Plaut. Mercat. III., 1, 30. „ne tu *fruſtra* ſis." Amphitr. III, 5, 19. „ſervus et hora *fruſtra* ſunt." i. q. fruſtrantur. — *Neque — et* vid. Cat. 32. n. 5.

19) *ad hoc aetatis.* cf. c. 63. extr. „ad id locorum."

20) *conſueta hab-am*, omnib. periculis atque laborib. adſueverim. Cat. 58. init. *compertum habeo.* Liv. XXXIII, 38. „*impetratam* — non *raptam habere.*"

21) *Quae ante* etc. C. mavult: quae antea gratuito faciebam. — *gratuito* i. q. ſine mercede.

22) *accepta mercede*, conſulatu et imperio accepto.

23) *in poteſtatibus* Vid. c. 63. n. 14.

24) *temperare*, ſupple ſibi ſ. malis moribus.

25) *per ambitionem* i. e. quamdiu conſulatum ambiebant.

26) *vertit* i. q. ſ. vertit ſ. verſum eſt. Vid. Cat. 6. „ubi regium imperium — in ſuperbiam *convertit.*" Liv.

Bellum me gerere cum Jugurtha juſſiſtis; quam rem nobilitas aegerrume tulit. Quaeſo, reputate cum animis veſtris, num id mutari melius ſit, ſi quem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis, hominem veteris proſapiae ac multarum imaginum, et nullius ſtipendii: ſcilicet ut in tanta re, ignarus omnium, trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem officii ſui. Ita plerumque evenit, ut, quem vos imperare juſſiſtis, is ſibi imperatorem alium quaerat. At ego ſcio, Quirites, qui poſtquam Conſules facti ſunt, acta majorum et Graecorum militaria praecepta legere

---

XXV, 40. „quae (licentia) poſtremo in Romanos — *vertit.*" Plures Cdd. hoc noſtro loco leg. *vertitur* alii *convertitur.*

27) *num id mutari*, i. e. num mutatione facta melius ſit, ſi etc. al. Cdd. *mutare* habent (vid. c. 58.)

28) *globo* eſt idem fere h. l., quod nos dicimus *Rotte.* Vellej. II, 58. „cum conjurationis (conjuratorum) *globo.* Liv. I, 9. unam a *globo* Talaſſi cujusd. raptam ferunt." Bono ſenſu Tacit. Germ. 13. electorum juvenum *globo* circumdari.

29) *veteris proſapiae. proſapiam* Cic. in Timaeo (Fragment.) c. 11. *vetus* verb. vocat. Quinctil. I, 6, 40. cf. XVIII, 3, 26. idem *inuſitatum* dicit, etſi uſum ejus non vituperat. (ut noſtr. *Sippſchaft.* K.)

30) *imaginum.* Vid. c. 4. n. 13.

31) *nullius ſtipendii*, qui nunquam militavit.

32) *feſtinet* int. nimium i. q. feſtinantius agat. Niſi ad ſequens *ſumat* pertinet, pro; *feſtinanter* ſumat ſ. feſtinet *ut* ſumat.

33) *monitorem* i. q. conſiliatorem. — *Sui* C. cum uno Cd. omiſit.

34) *ſibi* (poſt *is*) C. cum paucis Cdd. delevit.

35) *At ego.* Pro *At* C. *Ac.* Nonnulli Cdd. *Atque.*

36) *ego ſcio* i. q. cognovi, ſupple *aliquos*, quod unus tant. Cd. adjicit.

coeperint; homines praepoſteri. Nam gerere, quam fieri, tempore poſterius, re atque uſu prius eſt. Comparate nunc, Quirites, cum illorum ſuperbia me hominem novum. Quae illi audire et legere ſolent, eorum partem vidi, alia egomet geſſi: quae illi literis, ea ego militando didici. Nunc vos exiſtumate, facta, an dicta pluris ſint. Contemnunt novitatem meam; ego illorum ignaviam. Mihi fortuna, illis probra objectantur. Quamquam ego naturam unam et communem omnium exiſtumo, ſed fortiſſumum quemque generoſiſſumum. Ac, ſi jam ex patribus Albini, aut Beſtiae quaeri poſſet, mene, an illos ex ſe gigni maluerint; quid reſponſuros creditis, niſi, ſeſe liberos

---

37) *Nam gerere* etc. i. e. nam conſules poſterius bellum gerunt quam creantur (ſunt) ſed (bellum) gerere (ſ. rerum militarium peritia) antecedere debet conſulatui.

38) *hominem novum*. Vid. Cat. 23. n. 17.

39) Pro *partem* C. *partim*, e conject. Gronov. (Obſervatt. III, 2.), contra Cdd. omnes, ob morem Salluſtii. Cf. c. 55. ubi tamen vulgo legitur *partem*.

40) *literis*, inſtitutione et libris. — *ea* C. cum aliq. Cdd. delevit.

41) *fortuna*, ortus humilis.

42) *naturam* int. hominum. Senſus: quamquam omnes homines ratione *ortus* ſibi aequales ſunt, tamen ratione *animi* differunt, ita ut fortiſſimus quisque generoſiſſimus i. e. nobiliſſimus ſit.

43) Pro *ſed* (ante *fortiſſumum*) C. mavult *ſic*. Interpretatur enim: uti naturam omnium unam exiſtimo, *ſic* etc. Attamen ſed idem h. l. eſſe poteſt, quod *tamen*.

44) *gigni* pro *genitos*. Plut. Mar. I. c. p. 816. „ἐπυνθάνετο — εἰ μὴ καὶ τοὺς ἐκείνων (Βήστιου καὶ Ἀλβίνου) οἴονται προγόνους, αὐτῷ μᾶλλον ἂν εὔξασθαι παραπλησίους ἐκγόνους ἀπολιπεῖν.

45) *ſeſe liberos* etc. modeſte dictum, pro: ſeſe voluiſſe me eſſe ipſorum filium.

quam optumos voluiſſe? Quod ſi jure me deſpiciunt, faciunt idem majoribus ſuis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas coepit. Invident honori meo; ergo invideant labori, innocentiae, periculis etiam meis, quoniam per haec illum cepi. Verum homines corrupti ſuperbia, ita aetatem agunt, quaſi veſtros honores contemnant; ita hos petunt, quaſi honeſte vixerint. Nae illi falſi ſunt, qui divorſiſſumas res pariter exſpectant, ignaviae voluptatem et praemia virtutis. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione majores ſuos extollunt; eorum fortia facta memorando clariores ſeſe putant: quod contra eſt. Nam quanto vita illorum praeclarior, tanto horum ſecordia flagitioſior. Et profecto ita ſe res habet: majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum neque mala in occulto patitur. Hujusce rei ego inopiam patior, Qui-

---

46) *Quod ſi jure* etc. Si me ob novitatem deſpiciunt, illorum quoque majores ob novitatem deſpiciendi erunt.

47) Ante *labori* C. *et* recepit e tribus Cdd.

48) *ita aetatem agunt*, tam turpiter vivunt.

49) *Nae*. Vid. Cat. 52. n. 56.

50) *pariter*. ſimul, uno tempore.

51) *pleraque oratione*. Vid. c. 54. n. 14.

52) *eſt* (poſt *contra*) C. delevit.

53) *quanto vita*. Cum h. l. *vita* oppoſit. ſit ſecordiae, idem eſt quod virtus. cf. Cat. c. 2. extr. — pro *quanto* C. e. nonnull. Cdd. *quantum*.

54) *quaſi* (ante *lumen*) C. cum aliq. Cdd. omiſit. Cic. Off. II, 13. „*tamquam* in clariſſima luce verſetur (nobilis) ita nullum obſcurum poteſt, nec dictum ejus eſſe, nec factum."

55) *neque bona eorum* etc. neque virtutes eorum, neque vitia occulta eſſe patitur. *eorum* C. cum duob. Cdd. delevit.

56) *Hujusce rei*, majorum gloriae (contemtim).

rites; verum id, quod multo praeclarius eſt, meamet facta mihi dicere licet. Nunc videte, quam iniqui ſint. Quod ex aliena virtute ſibi adrogant, id mihi ex mea non concedunt: ſcilicet, quia imagines non habeo, et quia mihi nova nobilitas eſt; quam certe peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe melius eſt. Equidem ego non ignoro, ſi jam mihi reſpondere velint, abunde illis facundam et compoſitam orationem fore. Sed in maxumo veſtro beneficio, cum omnibus locis me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere: ne quis modeſtiam in conſcientiam duceret. Nam me quidem, ex animi mei ſententia, nulla oratio laedere poteſt, quippe vera, neceſſe eſt bene praedicet; falſam vita moresque mei ſuperant. Sed quoniam veſtra conſilia accuſantur, qui mihi ſummum honorem,

57) *mihi* (ante *dicere*) C. cum aliq. Cdd. delevit.

58) *imagines.* Vid. n. 30.

59) Verba *melius eſt* C. poſt *peperiſſe* poſuit.

60) *Equidem ego.* cf. Cat. c. 51. n. 41.

61) *mihi* (poſt *ſi jam*) C. cum Edd. vett. delevit.

62) *reſpondere* int. de mea nobilitate, quam notiorem dico.

63) *in maximo — beneficio* i. q. ob conſulatum mihi a vobis mandatum.

64) *placuit* i. q. placet.

65) *duceret* i. q. *conferret*, verteret (vid. c. 82. n. 10), traheret (vid. c. 102.) i. e. ne quis modeſtiam meam pro mala conſcientia habeat, putans nihil me poſſe pro nobilitate mea proferre.

66) *Nam me quidem* etc. pro: quamquam meipſum quidem nulla oratio laedere poteſt. Dicere vult, ſe non ipſius cauſa, ſed aliorum ſeſe defenſurum eſſe.

67) *ex animi mea ſententia* eſt formula jurandi, idem ſignificans quod vere et liquide juro. cf. Liv. XXII, 53. „ex mei animi ſententia." et Gronov. Obſerv. IV, 14.

68) *ſuperant* i. q. refellunt, vincunt.

et maxumum negotium impoſuiſtis: etiam atque etiam reputate, num eorum poenitundum ſit. Non poſſum fidei cauſa imagines, neque triumphos, aut conſulatus majorum meorum oſtendare; at, ſi res poſtulet, haſtas, vexillum, phaleras, alia militaria dona; praeterea cicatrices adverſo corpore. Hae ſunt meae imagines, haec nobilitas, non haereditate relicta, ut illa illis, ſed quae ego meis plurimis laboribus et periculis quaeſivi. Non ſunt compoſita verba mea: parum id facio; ipſa ſe virtus ſatis oſtendit: illis artificio opus eſt, uti turpia facta oratione tegant. Neque literas Graecas didici: parum placebat eas diſcere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. At illa multo optuma reipublicae doctus ſum: hoſtem ferire, praeſidia agitare; nihil metuere,

69) *maximum negotium*, in bello Jugurthino imperium.

70) Pro *eorum* (conſiliorum) (poſt *num*) C. ex uno Cd. *id.*

71) *fidei cauſa* i. e. ut meam (veram) nobilitatem probem. Aliter C.

72) *haſtas, vexillum* etc. Haec praemia fuiſſe eorum, qui res in bello praeclaras geſſerant, Sueton. Aug. 25. et Serv. ad Aen. VI, 760. docent. cf. noſtr. c. 8. n. 7. et c. 54.

73) *relicta*, neutrum, ad *imagines* et *nobilitas* pertinent, ad quod refertur ſequens *quae*.

74) *meis* (poſt *ego*) C. cum duob. Cdd. omiſit.

75) Pro *quaeſivi* Cdd. nonnulli *acquiſivi*.

76) Pro *parum* Grut. *parvi*, quod H. recepit. *facio* i. q. curo.

77) *literas Graecas.* „Prima et pleraque eruditionis Romae pars literis Graecis continebatur, quas nemo paullo elegantior ignorabat." C.

78) *virtutem* i. q. fortitudinem, nam alioquin Graeci (doctores) libertatem non amiſiſſent.

79) *multo optuma*, longe utiliſſima. cf. Cat. 36. n. 15.

80) *hoſtem ferire.* Vid. Cat. 7. n. 10.

81) *praeſidia agitare.* C. „praeſidio eſſe frumentantibus." Cf. c. 55. — B. „in oppidis et caſtellis defendendis

nisi turpem famam; hiemem et aestatem juxta pati; humi requiescere; eodem tempore inopiam et laborem tolerare. His ego praeceptis milites hortabor: neque illos arte colam, me opulenter; neque gloriam meam laborem illorum faciam. Hoc est utile, hoc civile imperium. Namque cum tute per mollitiem agas, exercitum supplicio cogere, id est, dominum esse, non imperatorem. Haec atque talia majores vestri faciundo, seque remque publicam celebravere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, nos illorum aemulos contemnit, et omnis honores non ex merito, sed quasi debitos a vobis repetit. Ceterum homines superbissumi procul errant. Majores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere, divitias, imagines, memoriam sui praeclaram: virtutem non reliquere; neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur. Sordidum me et incultis mori-

---

me exercere." K. „frumentantib., impedimentis vel urbi praesidio esse." Omnino significat *praesidio esse.* (*Schutz zu gewähren.*)

82) *juxta*, pariter. Cf. Cat. 61. n. 7.

83) *His — praeceptis* etc. i. e. tali meo exemplo milites, non dictis, hortabor.

84) *arte colam* i. q. arcte habebo (*kurz halten*) cf. c. 52. n. 14. Grut. et Wass. *arcte* contra Cdd. C. 5. „*eodem* cultu *habuit* i. q. eodem modo *coluit*, tractavit; contrarium est *opulenter*, largius et mollius vivere.

85) *civile* i. e. civibus conveniens. Oppositum servile.

86) *per mollitiem agas*, in mollitie s. molliter vivas, et poenis gravissimis exercitum ad officium cogas.

87) *atque talia.* Ita C. cum plurib. Cdd. Vulgo *alia.*

88) *Quis* int. majoribus.

89) *ex merito* i. e. ob merita.

90) *et omnis honores* etc. Honores iis tantum debentur, qui ob virtutem propriam illis digni sunt, non iis, qui haereditate acceperunt, sed amiserunt. — *repetit* de debitis. Cic. ad Div. XI, 28. „quod *debui*, — *repetenti* negare non potui."

bus ajunt; quia parum scite convivium exorno, neque histrionem ullum, neque pluris pretii coquum, quam villicum, habeo. quae mihi lubet confiteri Quirites. Nam ex parente meo, et ex aliis sanctis viris ita accepi, munditias mulieribus, viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriae, quam divitiarum esse; arma, non suppellectilem decori esse. Quin ergo, quod juvat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament, potent; ubi adolescentiam habuere, ibi senectutem agant, in conviviis, dediti ventri et turpissimae parti corporis; sudorum, pulverem et alia talia relinquant nobis; quibus illa epulis jucundiora sunt. Verum non est ita. Nam ubi se omnibus flagitiis dedecoravere turpissumi viri, bonorum praemia ereptum eunt. Ita injustissume luxuria et ignavia, pessumae artes, illis, qui coluere eas, nihil obficiunt; reipublicae innoxiae cladi sunt. Nunc, quoniam illis, quantum mores mei, non illorum flagitia poscebant, respondi;

---

91) *convivium exorno* i. e. omnib. reb., eleganter et exquisit., instruo. Justin. XII, 3. „convivium juxta regiam magnificentiam ludis *exornat.*" Cic. pro Quinct. c. 50. „non *ornare* magnifice splendideque convivium."

92) *neque histrionem*, refer huc e seq. *habeo.* Histriones epulis convivalib. interpositi erant. Vid. Liv. XXXIX. c. 5. De origine eorum vid. idem VII, e.

93) *Quirites* C. omisit.

94) *aliis* (ante *sanctis*) C cum uno Cd. delevit.

95) *munditias.* supple nimias s. exquisitiores. Vid. Cic. de Off. I, 35. sq.

96) *esse* (post *divitiarum*), Cdd. omnes ante Cort. addunt.

97) *habuere* i. q. egere. c. 51. vitam *habent.*"

98) *Verum non est ita.* verum vobis non relinquunt, quae nostra sunt.

pauca de republica loquar. Primum omnium de Numidia bonum habetote animum, Quirites. Nam, quae ad hoc tempus Jugurtham tutata ſunt, omnia removiſtis, avaritiam, imperitiam, ſuperbiam. Deinde exercitus ibi eſt, locorum ſciens; ſed mehercule magis ſtrenuus, quam felix. Nam magna pars ejus avaritia, aut temeritate ducum adtrita eſt. Quamobrem vos, quibus militaris eſt aetas, adnitimini mecum et capeſſite rempublicam: neque quemquam ex calamitate aliorum, aut imperatorum ſuperbia metus ceperit. Egomet in agmine, in praelio conſultor idem, et ſocius periculi vobiscum adero; meque vosque in omnibus rebus juxta geram. Et profecto, diis juvantibus, omnia matura ſunt, victoria, praeda, laus: quae ſi dubia, aut procul eſſent, tamen omnis bonos reipublicae ſubvenire decet. Etenim ignavia nemo immortalis factus: neque quisquam parens liberis, uti aeterni forent, optavit;

---

99) *bonum habetote anim.* Plaut. Pſeud. III, 2, 77. „*habe* modo bonum animum." Liv. XXIV, 5. „bonum ut animum *habeant*."

100) Pro *tutata*. C. e plurib. Cdd. *tuta* (a tueor). Sed vulgat. retinuerunt H. et B. Cf. c. 52. „*tutata* ſunt." et c. 74. extr. „*tuta* ſunt."

101) *locorum ſciens*. cf. c. 97. „locorum *ſcientes* erant."

102) *ejus* (poſt *pars*) C. omiſit.

103) *eſt* (ante *aetas*) C. delev.

104) *capeſſite rempubl.* Vid. Cat. 52. n. 14.

105) *ex calamitate aliorum*, commilitonum veſtrorum infortunio.

106) *juxta geram*, pariter habebo, ſ. tractabo.

107) *matura* ſunt, prope adſunt, veluti ad veſcendum parata. B. explic. *prona*.

108) *decet*. C. cum Grut. ex aliq. Cdd. *decebat*.

109) *neque quisquam* etc. i. e. neque quisquam parens optavit, ut liberi diu et ſine laude viverent, ſed brevi potius vita fructi glorioſe in pugna caderent. Plato Menex. c. 20. „*Οὐ γὰρ ἀθανάτους σφίσι παῖδας εὔχοντο γενέσθαι, ἀλλ᾽ ἀγαθοὺς καὶ εὐκλεεῖς.*

110) *virtutem — adderent.* cf. Cat. 48. n. 1.

magis, uti boni honeſtique vitam exigerent. Plura dicerem, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent: nam ſtrenuis abunde dictum puto.

Caput LXXXVI.

Hujuscemodi oratione habita, Marius poſtquam plebis animos adrectos videt, propere commeatu, ſtipendio, armis, aliisque utilibus navis onerat: cum his A. Manlium legatum proficiſci jubet. Ipſe interea milites ſcribere, non more majorum, neque ex claſſibus, ſed uti cujusque lubido erat, capite cenſos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem conſulis memora-

---

Caput LXXXVI.

Manilio legato cum armis, commeatu etc. propere praemiſſo, Marius ipſe dilectu maxime ex infima civium claſſe habito, magno cum ſupplemento in Africam profectus ad Uticam appellit, ubi ei vetus exercitus traditur.

1) *adrectos*. cf. Cat. 39. „vetus certamen animos eorum *arrexit*."

2) *Manlium*. Plures *Mallium* ſcribunt. cf. Cat. 24. n. 8. et Jug. c. 29. n. 15. Idem occurrit c. 100.

3) *ex claſſibus* int. quinque prioribus, quae, excluſa ſexta (capite cenſorum), per excellentiam claſſes nominabantur. Vid. Liv. I, 43.

4) *capite cenſos*, qui capite tantum, non re familiari, quae illis prorſus deerat, cenſebantur, quique a militia, niſi in tumultu maximo liberi erant. Vid. Gell. XVI, 10.

5) *bonorum* i. e. ditiorum, qui erant in claſſib.

6) *per ambitionem* i. e. ut favorem plebis ſibi conciliaret, eoque potentior fieret.

bant; quod ab eo genere celebratus auctusque erat; et homini potentiam quaerenti egentiſſumus quisque obportuniſſumus; cui neque ſua cara, quippe quae nulla ſunt, et omnia cum pretio honeſta videntur. Igitur Marius cum aliquanto majore numero, quam decretum erat, in Africam profectus, paucis diebus Uticam advehitur. Exercitus ei traditur a P. Rutilio legato. nam Metellus conſpectum Marii fugerat: ne videret ea, quae audita animus tolerare nequiverat.

Caput LXXXVII.

Sed conſul, expletis legionibus cohortibus auxiliariis, in agrum fertilem et praeda onuſtum proficiſcitur.

---

7) *celebratus*, vid. 75. n. — *auctusque* int. honore: (*gehoben*).

8) *ſua cara*. Sic omnes Cdd., C. contra et reliqui *curae*, quod formatum eſt ex alior. Cdd. lectione *cura*. Sed quae *curae* ſunt, etiam *cura* ſunt; quidquid C. contra dicat. Hinc nulla mutatione opus eſt. *Sua* autem ſunt *bona*, quae egenti, ratione divitum, nulla ſunt.

9) *et omnia cum pretio* etc. et cui omnia, ubi pretium accipit, recta ſ. juſta videntur.

10) *Uticam*. Vid. c. 25. n. 15.

11) *legato* Vid. c. 50. init.

12) *ne videret ea* etc. i. e. ne Marium oculis ſuis conſpiceret, quem conſulem factum vix audire toleraverat.

Caput LXXXVII.

Inde in Numidiam Marius progreditur et proelia multa locis diverſis faciens exercitum veterem novumque confirmat. Jugurtha et Bocchus in locos difficiles abeunt, occaſionem hoſtes invadendi exſpectantes.

1) *auxiliariis*. eaedem vocantur *legionariae* c. 51. quoniam legionib. adjungebantur et c. 58. *ſociorum* cohortes.

omnia ibi capta militibus donat. dein caſtella et oppida natura et viris parum munita adgreditur: praelia multa, ceterum levia, alia aliis locis facere. Interim novi milites ſine metu pugnae adeſſe: videre fugientis capi, aut occidi; fortiſſumum quemque tutiſſumum: armis libertatem, patriam parentesque et alia omnia tegi: gloriam atque divitias quaeri. Sic brevi ſpatio novi veteresque coaluere, et virtus omnium aequalis facta. At reges ubi de adventu Marii cognoverunt, divorſi in locos difficilis abeunt. Ita Jugurthae placuerat, ſperanti, mox effuſos hoſtis invadi poſſe; Romanos, ſicuti plerosque, remoto metu, laxius licentiusque futuros.

---

2) *omnia — capta — donat*. Caeſ. B. C. III, 51. „confirmandorum milit. cauſa, diripiendas iis civitates dedit."

3) *levia, alia*. Sic e leviſſima et certiſſima transpoſitione Ciacconii dedi; quod vulgo inverſo ordine legitur *alia levia*. Ceterum boni ducis eſt, exercitus novitii animum leviorib. proeliis augere. Cf. c. 82. et Veget. III. 9.

4) *aut* (ante *occidi*) B. expulit cum uno Cd., quaſi ſcriptor, varietatem in primis amans, eodem ſemper modo loquatur.

5) *parentesque*. Cf. Cat. c. 6, patriam parentesque armis tegere."

6) *quaeri* i. q. acquiri. Vid. c. 35. n. 65.

7) *At reges*, Jugurtha et Bocchus. Vid. c. 82. init.

8) *de adventu cognoverunt* i. q. Marii adventum cognov. c. 82. „poſtquam *de* regum ſocietate *cognovit*." c. 97. „ſimul *de* hoſtium adventu *cognovit*."

9) *divorſi*. C. 50. „alius alio quam maxume divorſi."

10) *difficilis*, ſupple aditu.

11) *effuſos*, disperſos, palantes.

12) *remoto metu* i. q. hoſte nusquam apparente.

Caput LXXXVIII.

Metellus interea Romam profectus, contra ſpem ſuam, laetiſſumis animis excipitur: plebi patribusque, poſtquam invidia deceſſerat, juxta carus. Sed Marius impigre prudenterque ſuorum et hoſtium res pariter adtendere; cognoſcere, quid boni utrisque aut contra eſſet; explorare itinera regum, conſilia et inſidias eorum antevenire: nihil apud ſe remiſſum, neque apud illos tutum pati. Itaque et Gaetulos, et Jugurtham, ex ſociis noſtris praedas agentes, ſaepe adgreſſus in itinere fuderat, ipſumque regem haud procul ab oppido Cirta armis exuerat.

Caput LXXXVIII.

Metellus Romae bene excipitur. Marius contra bello valde intentus, ubi levibus victoriis nihil ad bellum finiendum proficere ſe videt, urbes hoſtibus opportuniſſimas circumvenit, proelii occaſionem quaerens. Interim Bocchus ei nunciat, ſe Romani populi amicitiam velle.

1) *Romam profectus.* a. u. 647.

2) *excipitur.* Alii *accipitur*, quod H. retinuit.

3) *juxta.* pariter, aeque. Vid. Cat. c. 2. n. 22.

4) *contra* i. q. mali; quod Cdd. nonnulli addunt.

5) *eorum* C. cum paucis Cdd. omiſit.

6) *nihil — remiſſum — pati* C. 53. „dolus Numidarum nihil *languidi*, neque *remiſſi* patiebatur."

7) *Gaetulos.* cf. c. 80. init.

8) *praedas.* Sic vulgo. C. contra plurib. Cdd. *praedam* recepit.

9) *in* (ante *itinere*) C. cum Grut. abjecit.

10) *armis exuerat* i. e. fecerat, ut Jugurtha, armis abjectis fugeret. Liv. XXII, 21. „major pars armis *exuta*." Caeſ. B. G. III, 6. „hoſtium copiis fuſis, armisque *exutis*."

Quae poſtquam glorioſa modo, neque belli patrandi cognovit, ſtatuit urbis, quae viris aut loco pro hoſtibus, et adverſum ſe opportuniſſumae erant, ſingulas circumvenire: ita Jugurtham aut praeſidiis nudatum, ſi ea pateretur, aut praelio certaturum. Nam Bocchus nuncios ad eum ſaepe miſerat, *velle populi Romani amicitiam: ne quid ab ſe hoſtile timeret.* Id ſimulaveritne, quo improviſus gravior accederet, an mobilitate ingenii, pacem atque bellum mutare ſolitus, parum exploratum eſt.

---

11) *neque belli patrandi* i. e. neque bello oonficiendo idonea. Ad genitiv. ſuppleri poteſt, aut *res* (*als etwas, das den Krieg beendigen könnte*) aut *cauſa.* Vid. Cat. c. 6. n. 17. Jug. 163. extr. „quae aut *utilia*, aut benevolentiae credebant." C. multa nugatur.

12) *pro hoſtibus* etc. quae hoſtibus adverſum ſe opportuniſſimae erant; quomodo C. quoque legere mavult. Columella III, 5. „quod minime reor eſſe *pro* agricola."

13) Ad *nudatum* ſupple fore, aut iri; quod poſterius Edd. nonnullae praeferunt. cf. c. 76. init, „nihil *infectum* Metello credere."

14) *velle.* ſupple *ſe*, quod ob ſequens *ſe* omiſſum videtur.

15) Pro *gravior* C., neſcio unde, *gravius.* — Idem pro *accederet*, cum paucis Cdd. dedit *accideret*; quod de perſonis quoque dici poſſe affirmat. Vulgat. explico: ut inopinato gravius hoſtem opprimeret.

16) *pacem mutare* i. e. modo pacem petere, modo bellum renovare.

17) *eſt* (poſt *exploratum*) C. omiſit.

Caput LXXXIX.

Sed Conſul, uti ſtatuerat, oppida caſtellaque munita adire: partim vi, alia metu, aut praemia oſtentando avortere ab hoſtibus. Ac primo mediocria gerebat, exiſtumans, Jugurtham ob ſuos tutandos in manus venturum. Sed ubi illum procul abeſſe et aliis negotiis intentum accepit; majora et magis aſpera adgredi tempus viſum eſt. Erat inter ingentis ſolitudines oppidum magnum atque valens, nomine Capſa, cujus conditor Hercules Libys memorabatur. Ejus cives apud Jugurtham immunes, levi imperio, et ob ea fideliſſumi habebantur: muniti advorſum hoſtis non moenibus modo, et armis at-

---

Caput LXXXIX.

Marius ubi leviora gerendo Jugurtham ad proelium allicere non poteſt, oppidum magnum et opulentum regique fideliſſimum et munitiſſimum, nomine Capſam expugnandi conſilium capit.

1) *illum*, (poſt *ubi*) C. cum uno Cd. delevit.

2) C. *magis* (ante *aſpera*) cum uno Cd. abjecit.

3) *adgredi* pro adgrediendi. Vid. Cat. c. 4. n. 3.

4) *eſt* (poſt *viſum*) C. omiſit.

5) *valens* i. q. opulens (c. 69.) ſ. opulentum.

6) *Capſa.* oppidum ultra Numidiam, inter Bagradam et Tritonem amnes. Vid. Cellar. IV, 4. Cf. ſupra c. 37. n. 8.

7) *Libys*, Aegyptus. Vid. Herodot II, 43. cf. c. 18. n. 5. Flor. III, 1. Capſam nude Herculi conditam dicit. Cognomen Libys ſ. Libyus, quod et alibi occurrit, fortaſſe a transitu per Africam accepit, etſi C. inclinat pro Libys ſcribere *Libybus*.

8) Pro *levi* Palmer. malebat *leni*, cui oppoſitum eſt *crudele*, immoderatum imperium.

9) *habebantur*, duplici ſignificatione, tractabantur et judicabantur. Cat. 11. n. 17. et ſupra c. 44. n. 3.

que viris, verum etiam multo magis locorum aſperitate. Nam, praeter oppido propinqua, alia omnia vaſta, inculta, egentia aquae, infeſta ſerpentibus: quarum vis, ſicuti omnium ferarum, inopia cibi acrior. ad hoc natura ſerpentium ipſa perniciofa, ſiti magis, quam alia re accenditur. Ejus potiundi Marium maxuma cupido invaſerat; cum propter uſum belli; tum quia res aſpera videbatur; et Metellus oppidum Thalam magna gloria ceperat, haud diſſimiliter ſitum munitumque: niſi quod apud Thalam haud longe a moenibus aliquot fontes erant; Capſenſes una modo, atque ea intra oppidum, jugi aqua, cetera pluvia utebantur. Id ibique, et in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat, eo facilius tolerabatur, quia Numidae plerumque lacte et

---

10) *verum etiam*, C. contra Cdd. omiſit.

11) *oppido propinqua* ſupple *loca*.

12) *infeſta ſerpentib.* periculoſa ob ſerpentes. Cd. unus et Ed. vet.: infeſta *a* ſerpentib. Cf. Cat. c. 15. n. 6.

13) *ipſa.* Unus Cd. *ſatis per ſe ipſa*, alter *per ſe ipſa*, ut c. 4. extr. „quaſi praetura et conſulatus — *per ſe ipſa* clara — ſint."

14) *ſiti magis* etc.. Virg. Georg. III, 432. „ſaevit agris asperque *ſiti*."

15) *Thalam ceperat.* Vid. c. 75. ſq. — *una* refer. ad ſeq. jugi aqua. Niſi malueris ad *fons* antecedens referre, ita ut *jugi aqua* ejus oppoſitum ſit. Nam *fons* in genere foem. apud Plautum et niſi fallor Livium quoque occurrit. Ceterum *jugis aqua* i. e. e jugis ſcaturiens (*Quellwaſſer*) oppoſita eſt aquae in ciſternis collectae.

16) *cetera*, aut explicari poteſt, quod ad cetera (c. 19. *cetera* ignarus) „aut cetera aqua, pluvia erat." (c. 61. init. *ceterum* exercitum.)

17) *quae — agebat* i. e. cujus incolae incultius vivebant. C. contra Cdd.: *qui* (Africani) — *agebant*. c. 16. „ſupra Numidiam Gaetulos accepimus *agitare*."

ferina carne vefcebantur, neque falem, neque alia irritamenta gulae quaerebant: cibus illis advorfum famem atque fitim, non lubidini, neque luxuriae erat.

Caput XC.

Igitur Conful, omnibus exploratis, credo, diis fretus; nam contra tantas difficultates confilio fatis providere non poterat: quippe etiam frumenti inopia tentabatur; quod Numidae, pabulo pecoris magis, quam arvo ftudent, et quodcumque natum fue-

---

18) ***irritamenta gulae*** int. quibus ut fale fitis excitatur.

19) ***cibus illis*** etc. ,,*cibum*, potiorum alimentorum partem, pro *cibo* et *potu* h. l. dixit, ut nos precamur: *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον.*" C. Hinc Cdd. nonnulli habent, *cibus illis et potus.* Alius, *atque fitim* in feqq. omittit.

Caput XC.

Diis magis quam proprio confilio fretus, rebusque neceffariis provifis et legato fuo in alium locum dimiffo, ut inceptum fuum celaret, Marius ad Capfam iter ingreditur.

1) *diis fretus* etc. ab arufpicibus fagisque monitus. Vid. c. 63.

2) *nam* h. l. idem q. *etfi*. cui refpondet in fqq. *tamen.* Sed *nam* pofitum, ad confirmand. *diis fretus*, fine refpectu ad *tamen*. Quodfi pofterius refpexiffet, ita fere dixiffet: *etfi* contra tant. difficult. — *tamen* diis, credo, fretus etc.

3) *tentabatur* i. q. agebatur, vexabatur: C. vocem *inopia* pro nominat. accipit, eodem fere modo explicans: quippe etiam inopiae periculum illum imminebat.

4) *pabulo pecoris* etc. i. e. quod Numidae praeter pecoris pabula agriculturam negligunt.

5) *natum fuerat. natum* eft noftr. *gewachfen*, de rebus inanimis Columella IV, 24. ,,farmenta — male *nata.*"

rat, juffu regis in loca munita contulerant, ager autem aridus et frugum vacuus ea tempeftate erat; (nam aeftatis extremum erat): tamen pro rei copia fatis providenter exornat: pecus omne, quod fuperioribus diebus praedae fuerat, equitibus auxiliariis agendum adtribuit; A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad oppidum Laris, ubi ftipendium et commeatum locaverat, ire jubet, dicitque, fe praedabundum poft paucos dies eodem venturum. Sic incepto fuo occultato, pergit ad flumen Tanam.

---

6) *ager — aridus* i. e. per fe jam fterilis ideoque parum frumenti ferens. Ita omnia clara, nec eft, quare cum Cort. verb. *aridus et* abeffe malueris. Equidem potius commate pofito poft *aridus*, nil nifi *et* abigerem, fi neceffe effet. — de *vacuus* cum genit. vid. Cat. 7. n. 12. et 40. n. 11.

7) *erat, (poft tempeftate)* quod locum mutat in Cdd., C. cum uno delevit.

8) *pro rei copia*, quantum res praefentes finebant. Vid. c. 39. n. 11.

9) *exornat* i. q. inftruit f. parat; int. iter ad Capfam, vel quoque *fe*. Nam ornare, etiam eft, veftes induere, ad exeundum, deinde univerfe, fe accingere ad aliquid. c. 85. ,,convivium *exornare.*"

10) *A. Manlium.* Vid. c. 86. n. 1. Cf. c 100.

11) *Laris*. Lares (feu Salluftiano more, *Laris*, plural. tantum) oppidum incerti fitus, in tabulis Danvillian. haud procul a Zama confpicitur; qui fitus quoque huc convenit: fiquidem Marius legatum non nimis procul dimittere poterat.

12) *dicitque* C., contra omnes Cdd. contextumque relegavit. Nam Marius *dicebat*, quod non *faciebat*, et hoc modo confilium occultavit; ne Jugurtha certior de eo fieret, militesque in folitudines pergere ne recufarent. C. 106. „Volux Quaeftorem appellat *dicitque.*"

13) Pro *occultato*, C. ex trib. fere Cdd. *occulto* (ab occulere) ut *tuta* c. 74. extr. (a tueri) pro *tutata*.

14) *Tanam* fluvius haud procul a folitudinibus e Broffii fententia, Bagradam influens, ceterum nomen

Caput XCI.

Ceterum in itinere quotidie pecus exercitui per centurias, item turmas aequaliter distribuerat, et ex coriis utres uti fierent, curabat: ſimul et inopiam frumenti lenire, et, ignaris omnibus, parare, quae mox uſui forent, denique ſexto die, cum ad flumen ventum eſt, maxuma vis utrium effecta. Ibi caſtris levi munimento poſitis, milites cibum capere, atque, uti ſimul cum occaſu ſolis egrederentur, paratos eſſe jubet: omnibus ſarcinis abjectis, aqua modo ſeque et jumenta onerare. Dein, poſtquam tempus viſum, caſtris egreditur, noctemque totam itinere facto, conſedit. idem proxuma facit. dein

ſuum varians in Cdd. Hoc autem flumen ideo petit Marius, quod haud procul ab itinere aberat; et ut inde aquam ſecum portaret.

Caput XCI.

Itineribus nocte confectis Marius celeriter et occulto Capſam accedit oppidanosque ex improviſo opprimens ad deditionem cogit.

1) *distribuerat*, ut in inopia frumenti, carne veſcerentur, et ex coriis utres fierent, ignari, cui bono. Caeſ. B. G. VII, 17. „ut complures dies milites frumento caruerint, et *pecore* famem ſuſtentarent." — Loco *distribuerat* (pro distribuebat) unus Cd. habet *distribuere*. Vid. Cat. 48. n. 4. extr.

2) *ſimul et* etc. i. e. eodem tempore (ſimul) et frumenti inopiam levabat (lenibat) et (ad aquam ſecum portand.) utres accipiebat. Dicere quoque potuiſſet: ſimul *ut* inop. fr. leniret et pararet etc.

3) *maxuma vis utrium*. Vid. Cat. 36. n. 2. et Jug. 32. n. 12. — poſt *effecta* int. erat. Plures Haverc. Cdd. addunt *eſt*.

4) *egrederentur*, ſupple e caſtris. cf. 106. „egredi jubet"

5) Ad *onerare* repete eos *jubet*.

6) *conſedit* i. e. agmen conſiſtere fecit et caſtra poſuit. Cat. 57. „ſub ipſis radicib. montium *conſedit*."

tertia, multo ante lucis adventum, pervenit in locum tumuloſum, ab Capſa non amplius duum millium intervallo: ibique, quam occultiſſume poteſt, cum omnibus copiis opperitur. Sed ubi dies coepit, et Numidae nihil hoſtile metuentes multi oppido egreſſi, repente omnem equitatum, et cum his velociſſumos pedites curſu tendere ad Capſam, et portas obſidere jubet: deinde ipſe intentus propere ſequi, neque milites praedari ſinere. Quae poſtquam oppidani cognovere; res trepidae, metus ingens, malum improviſum, ad hoc pars civium extra moenia in hoſtium poteſtate, coëgere, uti deditionem facerent. Ceterum oppidum incenſum: Numidae puberes interfecti; alii omnes venum dati: praeda militibus diviſa. Id facinus contra jus belli, non

7) *tumuloſum* i. e. ubi multi tumuli erant, ſ. qui multis tumulis circumventus erat; ne conſpici poſſet. Ad ſeq. *militum* int. *paſſuum*.

8) *opperitur* i. q. conſiſtit.

9) *curſu tendere*. Vellej. Paterc. II, 70. „agmen curſu ad eum tendentium."

10) *portas obſidere*, primum, ne cives, qui egreſſi erant, illuc redire poſſent.

11) *praedari*. H. neſcio unde *praedare*.

12) *res trepidae*, in quibus trepidamus, nec, quid conſilii capiendum ſit, ſcimus.

13) *ad hoc pars civ.* i. e. *inſuper res ea*, quod pars civium extra *moenia erat*.

14) *coëgere*, ad omnes nominativ. antecedentes referend. eſt.

15) *puberes*. Vid. c. 26. n. 7. Tacit. Ann. XIII, 29. „ut capta eſcenſu munimenta, omnesque *puberes trucidati* ſint."

16) *venum dati*. Vid. c. 28. n. 1.

17) *praeda* ſupple reliqua.

18) *contra jus belli*; ſiquidem oppidani ſponte ſeſe dederant. Vid. Cic. Off. I, 24. Tacit. Ann. XII, 17. „trucidare *deditos* ſaevum videbatur."

avaritia, neque ſcelere Conſulis admiſſum; ſed quia locus Jugurthae obportunus, nobis aditu difficilis; genus hominum mobile, infidum, neque beneficio neque metu coërcitum.

Caput XCII.

Poſtquam tantam rem Marius, ſine ullo ſuorum incommodo patravit; magnus et clarus antea, major atque clarior haberi coepit. Omnia non bene conſulta in virtutem trahebantur. Milites modeſto imperio habiti, ſimul et locupletes, ad coelum ferre: Numidae magis, quam mortalem timere: poſtremo omnes, ſocii atque hoſtes, credere, illi aut mentem divinam eſſe, aut deorum nutu cuncta portendi.

---

19) *aditu difficilis* int. ob aquae inop. in itinere.
20) *coërcitum* i. q. coërcendum — *ante*, quod vulgo legitur poſt *infidum*, Cdd. meliores non agnoſcunt.

Caput XCII.

Hac re difficillima proſpere peracta fama et auctoritas Marii et apud hoſtes et ſuos magnopere creſcunt; aliisque oppidis captis, caſtellum, ubi Jugurthae theſauri erant in monte praerupto ſitum expugnare intendit; quod primum fruſtra erat.

1) *atque* (ante *clarior*) vulgata eſt, quam C. defendit, quamquam in textu ejus *et* legitur.
2) *Omnia non bene* etc. Cdd. nonnulli h. l. ſic legunt: *omnia non bene conſulta modo, verum etiam caſu data*; quae lectio ſine dubio praeferanda eſt, quum de Mario dici vix poſſit: *omnia non bene conſulta*, quaſi omnia vel plura male conſuluiſſet. Tolerari poſſet: omnia, *etiam non bene conſulta*, ſed ſine tali additamento nequaquam.
3) *trahebantur* i. e. laudi ducebantur ſ. vertebantur. Cf. c. 85. n. 65.
4) *ad coelum ferre*, Marium ad coelum ferebant.
5) Poſt *ſocii* Cdd. aliq. addunt *cives*.
6) *mentem divinam*, i. e. eum divinare poſſe. — *eſſe* C. abjecit.
7) *aut deorum nutu* etc. i. e. aut illi omnia a diis, nutu quaſi ante ſignificari.

Sed Conſul, ubi ea res bene evenit, ad alia oppida pergit: pauca, repugnantibus Numidis, capit; plura deſerta, propter Capſenſium miſerias, igni corrumpit: luctu atque caede omnia complentur. Denique multis locis potitus, ac plerisque exercitu incruento, aliam rem adgreditur, non eadem aſperitate, qua Capſenſium, ceterum haud ſecus difficilem. Namque haud longe a flumine Mulucha, quod Jugurthae Bocchique regnum disjungebat, erat inter ceteram planitiem mons ſaxeus, mediocri caſtello ſatis patens, in immenſum editus, uno peranguſto aditu relicto: nam omnis, natura, velut opere atque conſulto praeceps. Quem locum Marius, quod ibi regis theſauri erant, ſumma vi capere intendit. Sed ea res forte, quam conſilio, melius geſta. Nam ca-

---

8) *Sed conſul*. De *ſed* vid. Cat. c. 25. n. 1.
9) *igni corrumpit*. Cf. c. 76 extr.
10) *aliam rem*. C. e duob. Cdd. *ad*, ante *aliam* recepit.
11) *aſperitate*. Vid. c. 29. n. 5.
12) *Mulucha*. Vid. c. 19. n. 20. Minor Cdd. numerus *Moluchae*. De varia ſcriptura vid. c. 29. n. 15.
13) *inter ceteram planitiem* i. e. in campo praeter hunc montem ſaxeum (ceterum) plano. c. 61. *ceterum exercitum*." et Cat. 52. „*cetera* eorum vita."
14) *mons ſaxeus*. Urbem huic monti impoſitam, Flor. III, 1. extr. *Mulucham* (quod fluvii nomen eſt), appellat; utrum errore, nec ne, neſcio.
15) *mediocri caſtello* etc. cujus vertex ad mediocre caſtellum ſatis amplus erat.
16) *omnis* i. e. totus mons.
17) *praeceps* i. e. nam ab omnib. reliquis partib. hic mons, natura, veluti opere manuque praeceps erat. Cdd. aliq. poſt *praeceps* habent *erat*.
18) Poſt *geſta* aliq. Cdd. addunt *eſt*.

ſtello virorum atque armorum ſatis, magna vis frumenti, et ſons aquae: aggeribus turribusque et aliis machinationibus locus importunus: iter caſtellanorum anguſtum admodum, utrimque praeciſum. Vineae cum ingenti periculo fruſtra agebantur. nam cum eae paullum proceſſerant, igni, aut lapidibus corrumpebantur: milites neque pro opere conſiſtere, propter iniquitatem loci; neque inter vineas ſine periculo adminiſtrare: optumus quisque cadere aut ſauciari; ceteris metus augeri.

Caput XCIII.

At Marius, multis diebus et laboribus conſumtis, anxius trahere cum animo ſuo, omitteretne in-

---

19) *magna vis.* cf. c. 91. n. 5. — *et,* quod vulgo poſt *vis* legitur, C., cum uno Cd. delevit. Ferri poſſet, ſi ante *magna* ſtaret.

20) *caſtellanorum* i. e. militum qui in caſtello erant. cf. Liv. XXXIV, 27. init. et idem XXXVIII, 45.

21) *Vineae.* Vid. c. 21. n. 7.

22) *paullum* H. *paullo* habet.

23) *pro opere* i. q. ante opera, extra vineas.

24) Pro *inter* (ante *vineas*) Glaran. e. conj. legit *intra* C. 94. ,,extra vineas egreditur."

25) *adminiſtrare* i. q. laborare. C. 76. ,,opus et *adminiſtros* tutari."

26) *optumus* i. q. fortiſſumus.

Caput XCIII.

Sed miles quidam viam occultam in caſtellum inveniens, ſtatim inventum ſuum Mario indicat, qui ei ducem ſe offerenti comites aliquot eligit et eorum expeditioni proximum diem conſtituit.

1) *trahere cum animo.* c. 84. ,,alia hujuscemodi animis trahebant." c. 13. ,,facinus *cum animo* reputans." *ſuo* C. delev.

ceptum, quoniam fruſtra erat, an fortunam opperiretur, qua ſaepe proſpere uſus fuerat. Quae cum multos dies, noctesque aeſtuans agitaret, forte quidam Ligus, ex cohortibus auxiliariis miles gregarius, caſtris aquatum egreſſus, haud procul ab latere caſtelli, quod avorſum praeliantibus erat, animadvortit inter ſaxa repentis cochleas: quarum cum unam atque alteram, dein plures peteret, ſtudio legundi paullatim prope ad ſummum montis egreſſus eſt. Ubi poſtquam ſolitudinem intellexit, more humani ingenii, cupido ignara viſundi invadit. Et forte in eo loco grandis ilex coaluerat inter ſaxa, paullulum modo prona, dein flexa atque aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert: cujus ramis modo, modo eminentibus ſaxis niſus Ligus, caſtelli planitiem perſcribit; quod cuncti Numidae

---

2) *Loco proſpere,* unus Cortii Cd. *proſpera.* — *fuerat,* (cujus loco alii *erat,* al. *eſt* habent) C. delevit.

3) *noctesque.* C. *noctes* ſine *que.*

4) *aeſtuans* i. q. valde perturbatus. Cat. c. 23. extr. nobilitas invidia aeſtuabat."

5) *ſolitudinem intellexit* i. e. poſtquam in ſummo neminem conſpexit.

6) *more humani ingenii* etc. MSS. omnes ſic legunt: *more ingenii humani, cupido difficilia faciundi animadvertit* (alii: *animum vertit: animum advertit: accendit: cepit: invadit.*) Sed, Gellio commotus, qui (IX. c. 12. extr.) e Salluſtio citat: *more humanae cupidinis; ignara viſundi* (quae tamen ille, vel memoriter, vel ex alio Salluſtii loco citare potuit) C. locum ſic mutavit. Nequaquam tamen probamus, *animum* ante invadit omiſſum eſſe. De *ignara* pro ignota vid. c. 18. n. 11.

7) *coaluerat,* creverat.

8) *gignentium,* arborum. Vid. c. 79. ,,nuda *gignentium.*"

9) *perſcribit.* C. explicat: concipit, perdiſcit. de Broſſ.: ,,*il eut le loiſir de reconnoître tout à ſon aiſe.*" Alii

intenti praeliantibus aderant. Exploratis omnibus, quae mox usui fore ducebat, eadem regreditur, non temere, uti escenderat, sed tentans omnia et circumspiciens. Itaque Marium propere adit; acta edocet, hortatur, ab ea parte, qua ipse escenderat, castellum tentet: pollicetur sese itineris periculique ducem. Marius cum Ligure, promissa ejus cognitum, ex praesentibus misit: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem nunciavere. Consulis animus tamen paullum adrectus. Itaque ex copia tubicinum et cornicinum, numero quinque quam velocissumos delegit, et cum his, praesidio qui forent, quatuor centuriones: omnisque Liguri parere jubet, et ei negotio proxumum diem constituit.

Cdd. *describit*, cui favet Hotting.: alii *pervenit*. M. conjicit *perspicit*. Vulgata significat proprie *describit* (*zeichnet auf.*)

10) *praeliantibus ader.* i. q. intenti contra oppugnatores (in contraria castelli parte) stabant. Cap. seq. „adversum hostes aderant."

11) *eadem.* Vulgo *eodem* int. loco, quod unus Cd. addit. Nullum inter *eodem* et *eadem* (via) discrimen esse per se, res ipsa docet.

12) *promissa ejus cognit.* i. e. ex praesentibus quosdam misit, qui promissorum veritatem cognoscerent, s. explorarent. — post *promissa* C. *ejus* omisit.

13) *quorum uti* etc. quorum quisque, uti ingenium (ejus) erat. Vid. c. 58. n. 5.

14) *adrectus.* Cat. 39. „vetus certamen animos eor. *arrexit*. C. cum uno Cd. h. l. scribere voluit *erectus*.

15) *tubicinum* etc. qui, ubi escendissent, signa, a hostium tergo canerent, eoque hostes terrerent, veluti plures adessent. Vid. cap. sq.

16) *omnisque.* C. cum aliq. Cdd. *que* delevit.

Caput XCIV.

Sed ubi ex praecepto tempus visum; paratis compositisque omnibus, ad locum pergit. Ceterum illi, qui centuriis praeerant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutaverant, capite atque pedibus nudis, uti prospectus nisusque per saxa facilius foret: super terga gladii et scuta, verum ea Numidica ex coriis, ponderis gratia simul, et offensa quo levius streperent. Igitur praegrediens Ligus saxa, et si quae vetustate radices eminebant, laqueis vinciebat.

Caput XCIV.

Miles praegrediens et comites suos in ascendendo adjuvans prospere cum iis in castellum pervenit, qua parte a defensoribus derelictum erat. Quo cognito Marius ab altera parte summa vi oppugnat et castellum capit.

1) *Sed ubi ex praecepto* etc. Itaque proximo die, ut praeceptum erat a Mario. C. 44. init. „*Sed* Allobrog. *ex praecepto Ciceronis.*" De *sed*, quo saepius noster incipit, vid. Cat. 25. n. 1.

2) *ad locum* init. ubi ascendere volebant. — *pergit* int. Ligus dux.

3) *centuriis praeerant* i. q. centuriones (quatuor) vid. capit. antecedent; nisi cum Cdd. legere malueris: *qui ascensuri erant*, aut totum hoc additament., quo C. se inclinat, delere.

4) *ab duce* i. e. Ligure. C. etiam suspicatur, vocem *duce* in margine explicitam esse: qui ascensuris praeerat.

5) *ornatumque*, vestimentum (*Anzug.*)

6) *facilius* adverb. loco adjectivi *facilior*, ut Cdd. nonnulli habent. Vid. c. 14. n. 56.

7) *simul, et offensa* etc. (De *simul — et* vid. c. 47. n. 5. extr. cf. 92. init.) *et ponderis* gratia, et ut offensa levius streperent. Liv. VII, 56. „miles *offenso scuto* praebuit sonitum." Pro *levius* Cdd. aliq. *lenius*.

8) *vetustate*, i. q. per, seu propter vetustatem; siquidem magnarum arborum radices per vetustatem prominent.

9) *laqueis vincieb.*, laqueos iis allegavit.

quibus adlevati milites facilius ſeſcenderent, interdum timidos, inſolentia itineris, levare manu: ubi paullo aſperior adſcenſus erat, ſingulos prae ſe inermos mittere; deinde ipſe cum illorum armis ſequi: quae dubia niſui videbantur, potiſſumum tentare, ac ſaepius eadem adſcendens deſcendensque, dein ſtatim digrediens, ceteris audaciam addere. Igitur diu multumque fatigati, tandem in caſtellum perveniunt, deſertum ab ea parte: quod omnes, ſicuti aliis diebus, advorſum hoſtis aderant. Marius, ubi ex nunciis, quae Ligus egerat, cognovit, quamquam toto die intentos praelio Numidas habuerat, tum vero cohortatus milites et ipſe extra vineas egreſſus, teſtudine acta ſuccedere, et ſimul hoſtem

10) Vocem *milites* C. contra Cdd. delevit.

11) *levare*. Liv. XXVIII, 20. „primi inſequentes *extrahentes* manu, poſtremi *ſublevantes* eos, qui praeirent, in ſummum evadunt."

12) *erat* (poſt *adſcenſus*) C. cum uno Cd. delevit.

13) *inermos*. Plures Cdd. *inermes*. cf. caput hoc extremum et c. 54. extr. et Gronov. ad Gell. XVII, 2.

14) *niſui*. C. *niſu*. Vid. c. 6. n. 3.

15) *tentare* i. e. explorabat. — Pro *potiſſumum* C. cum plurim. Cdd. *potiſſumus*.

16) Verba *dein ſtatim digrediens* ſ. *degrediens* C. pro ſpuriis habet. *degrediens* mihi quidem explicandum videtur: dein ſecedens (*auf die Seite tretend.*) int. ut illi praeirent, ipſeque ad allevandos aut tutand. eos ſequeretur.

17) *advorſum hoſtis aderant* Cf. 93. n. 10.

18) *teſtudine acta*. Liv. XXXIV, 39. „ſublatis deinde ſupra capita ſcutis continuatisque ita inter ſe, ut non modo ad caecos ictus, ſed ne ad inferendum quidem ex propinquo telum, loci quidquam eſſet, *teſtudine* facta ſubibant." Caeſ. B. G. V, 43. „turres teſtudinesque agere."

tormentis ſagittariisque et funditoribus eminus terrere. At Numidae ſaepe antea vineis Romanorum ſubvorſis, item incenſis, non caſtelli moenibus ſeſe tutabantur; ſed pro muro dies noctesque agitare; maledicere Romanis, ac Mario vecordiam objectare; militibus noſtris Jugurthae ſervitium minari; ſecundis rebus feroces eſſe. Interim omnibus Romanis hoſtibusque praelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque imperio his, illis pro ſalute certantibus, repente a tergo ſigna canere: ac primo mulieres et pueri, qui viſum proceſſerant, fugere; deinde, uti quisque muro proxumus erat, poſtremo cuncti, armati inermesque. Quod ubi accidit, eo acrius Romani inſtare, fundere, ac plerosque tantummodo ſauciare, dein ſuper occiſorum corpora vadere, avidi gloriae certantes murum petere, neque quemquam omnium praeda morari. Sic forte correcta Marii temeritas, gloriam ex culpa invenit.

19) *tormentis*, machinis bellicis, balliſtis. Vid. c. 21. n. 7. extr.

20) *pro muro* ante moenia, quibus caſtellum in monte cinctum fuiſſe videtur, ita, ut et extra moenia ſtare poſſent.

21) *ſervitium* i. e ſervitutis jugum. cf. c. 62. extr.

22) *feroces* i. q. inſolentes fortuna ſua. Cf. Cat. 23. n. 11.

23) *ſigna canere*, tubae et cornua canebant.

24) *viſum* i. e. extra moenia caſtelli, proelium cum Mario videndi cupidi.

25) *muro proximus*, qui ante murum proximi hoſtib. ſteterant, intra moenia fugiebant.

26) *praeda morari*. Caeſ. B. G. VII, 28. „nec fuit quisquam, qui praedae ſtuderet."

27) *forte correcta* etc. i. e. Sic Marii temeritas forte potius quam conſilio bonum eventum habuit, et Mario gloriae, non culpae fuit.

Caput XCV.

Ceterum dum ea res geritur, L. Sulla Quaeſtor cum magno equitatu in caſtra venit; quos uti ex Latio et a ſociis cogeret, Romae relictus erat. Sed quoniam nos tanti viri res admonuit; idoneum viſum eſt, de natura cultuque ejus paucis dicere. neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi ſumus: et L. Siſenna optume et diligentiſſume omnium, qui eas res dixere, perſecutus, parum mihi libero ore locutus videtur. Igitur Sulla gentis patriciae nobilis

---

Caput XCV.

Per idem tempus L. Sulla, qui ad copias equeſtres cogendas Romae relictus erat, cum equitatu in caſtra venit; cujus viri natura et mores h. l. breviter deſcribuntur.

1) *L. Sulla.* Vid. Cat. 5. n. 12.

2) *quos uti* etc. Sic C. ex uno Cd., (*quos* int. equites; ut c. 28. ſenatus *decrevere*) *exercitum*, quod plerique Cdd. ante *cogeret* omittunt, delens.

5) *nos — admonuit. nos* C contra Cdd expulit. De *admonere* cum genitivo rei vid. Priſcian. XVIII, p. 1190. Cum accuſat. adfuit c. 79. „eam rem locus *nos* admonuit."

4) *de natura cultuque* i. e. de ingenio ac morib., quorum illud a natura, hoc a cultu eſt.

5) *L.* (Corn.) *Siſenna*, bellum ſociale ſ. Marſicum et Sullanum, uno eodemque opere copioſiſſime enarravit. Vellej. Paterc. II, 9, 5: „opus (Siſennae) belli *ſocialis* (ut legere vult Ruhnk., vulgo *civilis*) Sullanique, ab eo ſeniore editum eſt." Cf. Cic. Brut. c. 64. Fragmenta ejus vid. inter Veteres Hiſtoric. apud Cortium p. 59. ſqq. et in Edit. Salluſt. Havercamp. p. 537. ſqq.

6) *eas res*, bella civilia, Marſicum et Sullanum. — *perſecutus*, qui perſecutus eſt ſ. memoriae mandabit.

7) *parum ore libero;* fuit enim Sullae aequalis — *locutus* int. de Sulla.

8) *gentis patriciae*, Corneliorum.

fuit, familia prope jam exſtincta majorum ignavia, literis Graecis atque Latinis juxta atque doctiſſume eruditus, animo ingenti, cupidus voluptatum, ſed gloriae cupidior: otio luxurioſo eſſe; tamen ab negotiis numquam voluptas remorata, niſi quod de uxore potuit honeſtius conſuli: facundus, callidus, et amicitia facilis ad ſimulanda negotia altitudo ingenii incredibilis: multarum rerum, ac maxume pecuniae largitor. atque feliciſſumo omnium ante civilem victoriam; numquam ſuper induſtriam for-

---

9) Verba *nobilis fuit* C., invitis Cdd., omiſit; parſimoniae ſuae magis, quam vero obnoxius. Nam non omnes patricii *nobiles* quoque fuere, ſiquidem nobilitas non ab ortu, ſed a magiſtratib. curulib. pendebat. Sed M. dedit: *nobili* fuit familia, etc.

10) *prope — exſtincta* i. e. natus, cum gloria familiae, (quae differt a gente, (ſtirpe) eſt enim, veluti ramus ejus) ignaviâ majorum prope intermortua eſſet.

11) *literis Graecis* etc. i. e. in literis graecis aeque ac (juxta atque) Latinis doctiſſimus.

12) *otio luxurioſo* i. e. in otio luxurioſus erat. Verb. *eſſe* C. abjecit.

13) *remorata* ſupple *eum eſt.* i. q. retinuit, abſtraxit.

14) *niſi quod* etc. niſi quod circa uxores honeſtius agere (conſulere) potuiſſet. *Uxore* pro uxorib., nam plures habuit, quas brevi repudiavit; quod ipſum probro illi fuit. Vid. Plut. Sylla (T. III, c. 6. fin.)

15) *amicitia facilis* i. q. *in* amicitia (quod *in* unus Cd. addit), varius; per inconſtantiam ejus univerſalem. Vid. Plut. l. c.

16) *ad ſimulanda* etc. i. e. incredibili facultate in rebus ſimulandis disſimulandisque. Idem fere, Cat. c. 5. de Catilina dicitur: cujus rei libet ſimulator et disſimulator."

17) *feliciſſumo.* cf. Vellej. Paterc. II, 17. 27. 28.

18) *ante civil. victoriam*, ante bellum civile cruentum, in quo Marium vicit et dictatorem ſeſe fecit. Vid. Cat. 5. n. 13.

19) *numquam ſuper* etc. i. e. numquam fortuna illi major fuit induſtriâ.

tuna fuit: multique dubitavere, fortior, an felicior esset. nam postea quae fecerit, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat differere.

Caput XCVI.

Igitur Sulla, ut supra dictum est, postquam in Africam atque in castra Marii cum equitatu venit, rudis antea et ignarus belli, sollertissumus omnium in paucis tempestatibus factus est. Ad hoc milites benigne adpellare; multis rogantibus, aliis per se ipse dare beneficia, invitus accipere, sed ea properantius, quam aes mutuum reddere; ipse ab nullo repetere: magis id laborare, ut illi quam plurimi deberent; joca atque seria cum humillumis agere: in operibus, in agmine atque ad vigilias multus ad-

---

Caput XCVI.

Sulla brevi peritissimus belli factus, quum morum suavitate, tum prompta officiorum administratione et ducis et militum amorem sibi conciliavit.

1) *supra dict. est.* Vid. c. 95. init. Seq. *est* C. delevit, qui et plura hujus periodi lubenter expungeret, ut Sallust. brevior esset.

2) *in paucis tempestatib.* brevi tempore.

3) *per se*, ultro, sponte sua, non rogatus.

4) *invitus accipere.* Plaut. Persae IV, 5, 2. „Si quid bonis boni fit, esse idem et grave et gratum solet."

5) *sed ea*, etc. i. e. sed beneficia in aliquem citius contulit ab eoque accepit, quam nomina solveret. — post seq. *repetere* supple: quod mutuum acceperat.

6) *id laborare.* Cic. Epp. ad Div. IX, 3. Valde *id* credo *laborandum* est, ut etc."

7) *illi*, (post *ut*) dictum est e persona scriptoris, *sibi*, e Sullae persona dictum foret. Vid. c. 64. n. 7.

8) *in operibus*, int. militaribus, ad oppida expugnanda.

9) *multus* i. q. saepe. Vid. c. 84. n. 5.

esse: neque interim, quod prava ambitio solet, Consulis, aut cujusquam boni famam laedere: tantummodo neque consilio, neque manu priorem alium pati; plerosque antevenire. Quis rebus et artibus brevi Mario militibusque carissumus factus.

Caput XCVII.

At Jugurtha, postquam oppidum Capsam aliosque locos munitos et sibi utilis simul, et magnam pecuniam amiserat, ad Bocchum nuncios mittit, *quam primum in Numidiam copias adduceret: praelii faciundi tempus adesse.* Quem ubi cunctari accepit, dubium belli atque pacis rationes trahere: rursus, uti antea, proxumos ejus donis corrumpit, ipsique Mauro pollicetur Numidiae partem tertiam, si aut Romani Africa expulsi, aut, integris suis finibus, bellum compositum foret. Eo praemio inlectus Bocchus, cum magna multitudine Jugurtham

---

10) *quod — ambitio solet.* Cat. 30. init. „quod in tali re solet." Ut ibi *fieri*, sic h. l. *facere* supplendum est.

11) *manu priorem* i. q. fortitudine superiorem.

12) Verba *et artibus* C. cum paucis omittit; abesse quidem possunt, sed adsunt. Alii *quibus artibus*.

Caput XCVII.

Jugurtha copiis suis cum Boccho conjunctis Marium in hiberna proficiscentem de improviso sub noctem invadit ejusque agmen vehementer conturbat.

1) *postquam Capsam*, expugnato castello in monte saxeo, ubi thesauri Jug. erant. Vid. c. 9.

2) *belli — rationes trahere*, deliberare, quid de bello ac pace faciendum sit. Terent. Heaut. V, 1, 27. „*putare* secum *rationes*." Stromb. „*Gründe für Krieg und Frieden abwägend.*"

3) *proxumus ejus. ejus* C. delevit. De re vid. c. 80.

4) *integris — finibus* i. e. finib. suis non minutis.

accedit. Ita amborum exercitu conjuncto, Marium jam in hiberna proficifcentem, vix decima parte die reliqua, invadunt: rati noctem, quae jam aderat, victis fibi munimento fore; et, fi viciffent, nullo impedimento, quia locorum fcientes erant: contra Romanis utrumque cafum in tenebris difficiliorem fore. Igitur fimul Conful ex multis de hoftium adventu cognovit, et ipfi hoftes aderant, et priusquam exercitus aut inftrui, aut farcinas colligere denique antequam fignum, aut imperium ullum accipere quivit, equites Mauri atque Gaetuli, non acie, neque ullo more praelii, fed catervatim, uti quosque fors conglobaverat, in noftros incurrunt. qui omnes trepidi improvifo metu, ac tamen virtutis memores, aut arma capiebant, aut capientis alios ab hoftibus defenfabant: pars equos afcendere, obviam ire hoftibus: pugna latrocinio magis, quam praelio fimilis

---

5) *die.* Alii *diei*, Vid. c. 52. n. 4.

6) *nullo* pro *nulli.* (repete *fore.*) Cf. Cat. 29. n. 15. Nifi *nullo* ablativus eft. Cic. Epp. ad Attic. X, 18. init. ,,majore impedimento fuerunt."

7) *utrumque* cafum, et victoriam et cladem.

8) *fore* (poft *difficiliorem*) C. cum paucis Cdd omifit.

9) *fimul* i. q. eodem tempore quo. — *cognovit de.* Vid. c. 87. n. 8.

10) *farcinas colligere.* farcinas ante pugnam in unum loc. conferebant. Caef. C. G. VII, 18. ,,qua re nunciata, Caef. celeriter farcinas *conferri*, arma expediri juffit."

11) *fignum* i. q. tefferam.

12) Pro *incurrunt* C., e plurib. Cdd. *concurrunt.*

13) *afcendere* omnes Cdd. ubique habent; quod B. retinuit; fed C. et reliqui *efcendere.* Vid. c. 25. n. 12.

14) *latrocinio.* Cic. Cat. I, 10. extr. ,,Tantum perfeci, ut id, quod effet a te fcelerate fufceptum, *latrocinium* potius. quam *bellum* videretur." Flor. II, 3. ,,magis *latrocinia*, quam *bella* faciebat." Vellej. Paterc. II, 51. ,,*belli* more, non *latrociniorum.*"

fieri: fine fignis, fine ordinibus, equites pedites que permixti; caedere alios, alios obtruncare, multos, contra advorfos acerrume pugnantis, ab tergo circumvenire: neque virtus, neque arma fatis tegere; quod hoftes numero plures et undique circumfufi erant. denique Romani veteres, novique, et ob ea fcientes belli, fi quos locus, aut cafus conjunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus fimul tecti et inftructi hoftium vim fustentabant.

Caput XCVIII.

Neque in eo tam afpero negotio Marius territus, aut magis, quam antea, demiffo animo fuit; fed cum turma fua, quam ex fortiffumis magis, quam familiariffumis paraverat, vagari paffim; ac modo

---

15) *fine fignis.* figna vel videri, vel audiri poffunt. Intelligenda funt h. l. omnino omnia.

16) *peditesque* plurimi Cdd. habent, *pedites* pauciffimi. Ceterum intelligendi funt, Numidae, Gaetuli et Mauri; qui Romanos (alios) obtruncant.

17) *fatis tegere* int. Romanos. Unus Cortii *noftros tegere.*

18) *erant* (poft *circumfufi*) C. cum uno Cd. omifit.

19) Vox *novique*, auctore Ciacconio, valde fufpecta eft, cum fenfum turbet. Nam etfi illam transponas poft *belli*, tamen difficilis manet. Hotting. aut *novique* aut *et ob ea fcientes belli* delend. cenfet. Alii *ob ea* explicant: quod permixti veteribus agebant.

20) *orbes facere.* Caef. B. G. IV, 37. ,,cum illi *orbe facto* (hodie *Quarré*), fefe defenderent."

Caput XCVIII.

Quum barbari, ne ingruente quidem nocte remitterent, fed etiam acrius inftarent; Marius ubique praefens et imperterritus duos colles propinquos occupat, quos barbari copiis fuis circumdant.

laborantibus ſuis ſuccurrere, modo hoſtis, ubi confertiſſumi obſtiterant, invadere: manu conſulere militibus, quoniam imperare, conturbatis omnibus non poterat. Jamque dies conſumtus erat, cum tamen barbari nihil remittere; atque, uti reges praeceperant, noctem pro ſe rati, acrius inſtare. Tum Marius ex copia rerum conſilium trahit, atque, uti ſuis receptui locus eſſet, collis duos propinquos inter ſe occupat. quorum in uno, caſtris parum amplo, fons aquae magnus erat: alter uſui opportunus, quia magna parte editus et praeceps pauco munimento egebat. Ceterum, apud aquam, Sullam cum equitibus noctem agitare jubet. Ipſe paulatim dìsperſos milites, neque minus hoſtibus conturbatis, in unum contrahit: dein cunctos

---

1) *laborantibus*. Vid. Cat. 60, n. 6. et Jug. 52. n. 13.

2) *manu conſulere* vel ita explicari poteſt, ut ſit, gladio, quem manu gerebat, indicabat, quid faciendum eſſet, vel propria manu ipſe pugnans veluti miles eos adjuvabat.

3) *remittere*, Etiam poſt *cum*, *poſtquam*, noſter infinitivum ponit. Tacit. Hiſt. III, 31. init. „cum *langueſcere* paulatim Vitellianorum animi."

4) *pro ſe* i. e. commodam ſ. opportunam ſibi. c. 88. „urbes, quae *pro hoſtib.* et adverſum ſe opportuniſſumae erant."

5) *ex copia rerum*. Vid. c. 59. n. 11.

6) *inter ſe* i. q. ſibi. c. 53. n. 2. „poſtquam haud procul *inter ſe* erant."

7) *caſtris*, ſupple ponendis. C. 92. „mediocri *caſtello* ſatis patens."

8) *uſui* i. e. caſtris.

9) *pauco munimento egebat*. ſic B. e. Cdd. nonnullis. Ed Venet. (1470) *pauca munimenta quaerebat*. C. e Grut. conject. *pauca munimento quaerebat*. *Waſſe*: pauca munimento *egebat*.

pleno gradu in collem ſubducit. Ita reges, loci difficultate coacti, praelio deterrentur. neque tamen ſuos longius abire ſinunt, ſed, utroque colle multitudine circumdato, effuſi conſedere. Dein crebris ignibus factis, plerumque noctis barbari ſuo more laetari, exſultare, ſtrepere vocibus: ipſi duces feroces, quia non fugere, atque pro victoribus agere. Sed ea cuncta Romanis ex tenebris et editioribus locis facilia viſu magnoque hortamento erant.

CAPUT XCIX.

Plurimum vero Marius imperitia hoſtium confirmatus, quam maxumum ſilentium haberi jubet: ne ſigna quidem, uti per vigilias ſolebant, canere:

---

10) *pleno gradu* (*im Geſchwindſchritt.*) Liv. IV, 32. „peditum aciem — *pleno* gradu in hoſtem inducit." Cic. ad Div. XII, 16. „paratum et ingreſſum *pleno gradu*, cohortari non intermittemus." Veget. de re milit. I, 9. gradum *militarem* a gradu *pleno* diſtinguit et poſteriorem *citatiorem* nominat.

11) *ipſi duces*, ſupple *hoſtium* et *erant* (et) quia non fugerant, pro victorib. ſeſe habebant. Vid. c. 23. n. 2. — Cdd. plerique *aut pro v. a.*, ſed receptam plerique Cdd. tuentur, C., e conject., *quia non fugerent* (fugiſſent) *p. v. a.* — M. dedit *fugerant*.

12) *ex tenebris*, nam hoſtes crebros ignes fecerant, Romani non item.

13) *facilia viſu*. Vid. Cat. 5. n. 8.

CAPUT XCIX.

Hoſtes ſomno adhuc captos, Marius de improviſo e collibus erumpens fundit fugatque, et plurima ſigna eorum militaria capit.

1) *imperitia*, ſiquidem hoſtes imprudenter totam noctem inſomnes tranſegerant.

2) *per vigilias*. Veget. III, 8. (ed. Schweb. p. 95.) A tubicine omnes *vigiliae* committuntur, et finitis horis (tribus) a cornice revocantur."

deinde, ubi lux adventabat, defessis jam hostibus et paullo ante somno captis, de improviso vigiles, item cohortium, turmarum, legionum tubicines simul omnis signa canere, milites clamorem tollere atque (portis) erumpere jubet. Mauri atque Gaetuli ignoto et horribili sonitu repente exciti, neque fugere, neque arma capere, neque omnino facere aut providere quidquam poterant. ita cunctos strepitu, clamore, nullo subveniente, nostris instantibus, tumultu, terrore, formido, quasi vecordia, ceperat. Denique omnes fusi fugatique. arma et signa militaria pleraque capta: pluresque eo praelio, quam omnibus superioribus interemti. Nam somno et metu insolito impedita fuga.

---

3) *paullo ante* i. e. demum paullo ante.

4) *vigiles*. Ita pro *vectigalis*, quod in omnib. Cdd. reperitur, C. e conj. dedit. Nam nemo interpretum vulgatam explicare valet. Sed et haec conj. non satisfacit, dum *vigiles* ipsi signa canere non solebant. M. dedit *vigilias* quod explicat vigiliarum buccinatores.

5) *portis*, plures Cdd. Haverc. et unus Cortii omittunt; quod probo (adsentiente Grut.), quoniam nocte, et tali rerum conditione, tamque brevi tempore, vallum cum portis exstrui non poterat. Hinc vocem inclusi. — *jubet* est e plurib. Cdd.; nam etsi hoc verbum praecedit (init capit.), tamen nimio spatio abest. Ceterum cf. c. 100.

6) *ita cunctos* etc. i. e. cum nostri cuncti simul (nullo subveniente) strepitu, et clamore instarent, hostes formido cepit, (ob tumultum hunc et terrorem), quae vecordiae similis erat. — *formido* pro vulgato *formidine*, C. e nonnull. Cdd. recepit. Alii: *formidine terror, quasi vecordia cep.*; quod magis etiam arridet.

Caput C.

Dein Marius, uti coeperat, in hiberna proficiscitur: quae, propter commeatum, in oppidis maritumis agere decreverat. neque tamen secors victoria, aut insolens factus: sed pariter ac in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. Sulla cum equitatu apud dextumos, in sinistra A. Manlius cum funditoribus et sagittariis, praeterea cohortes Ligurum curabat: primos et extremos cum expeditis manipulis tribunos locaverat. Perfugae, minume cari

---

Caput C.

Tum in oppida maritima hibernorum causa non minus caute et intente quam antea pergit; milites exemplo suo magis quam poena coercens.

1) *proficiscitur*, quod in plerisq. Cdd. deest, C. omisit, admonens, verba *proficisci*, *ire*, *tendere* ab optimis scriptorib. subinde reticeri. Sed cum hoc praeceptum non satis firmum sit, et in hac certe positione, quae non ubique eadem est, verbum deesse vix possit, tutius nobis visum est, vulgatam retinere; quamquam e varia lectione *it*, et alia, *iter* (pro *proficiscitur*) colligimus, Sallust. scripsisse: *iter pergit*, quae vox posterior, in scriptura compendiaria, primam syllabam facile amittere potuit. C. 79 „maturavere *iter pergere.*" *in* B. *hiberna* conjungit cum seq. *incedere.*

2) *quadrato*, ita ut equitatus in dextera, funditores et sagittarii, cum cohort. Ligurum in sinistra, expediti manipuli primi atque extremi essent et agmen formam quadrati haberet.

3) *apud dextumos* i. e. in dextero agmine.

4) *A Manlius* etc. de Manlio vid. c. 86. n. 1. Post *sagittariis* int. *erat*, quod unus Cdd. habet. — *curare cohortes* (*die Cohort. commənd.*) Cf. c. 60. init. et Cat. 59. n. 13. Tacit. Ann. VI, 30. „legiones curabat."

5) *primos et extr.* i. e. in primo et extremo agmine.

6) *tribunos*. Vid. Cat. 59. n. 27.

7) *minume cari* i. e. pretii minoris, quam alii, ideoque

et regionum ſcientiſſumi, hoſtium iter explorabant: ſimul Conſul, quaſi nullo impoſito, omnia providere: apud omnes adeſſe: laudare, increpare merentis. Ipſe armatus intentusque, item milites cogebat, neque ſecus, atque iter facere, caſtra munire, excubitum in portas cohortis ex legionibus, pro caſtris equites auxiliarios mittere. praeterea alios ſuper vallum in munimentis locare, vigilias ipſe circuire, non tam diffidentia futuri, quae imperaviſſet, quam uti militibus exaequatus cum imperatore labos volentibus eſſet. Et ſane Marius illo et aliis temporibus belli Jugurthini pudore magis, quam malo ex-

ad hoc periculoſum negotium aptiores. Conjicere poſſis, ſi opus eſſet, *rari*, i. e. quorum magna copia erat.

8) *quaſi nullo impoſito* i. e. quaſi nullum diverſis rebus curandis praepoſuiſſet.

9) *item — cogebat* int. armatos intentosque eſſe. cf. Cat. c. 27. „item alios jubere."

10) *neque ſecus* etc. i. e. eademque cura, qua iter fecit, caſtra etiam munivit. c. 79. „haud *ſecus atque* in mari." B., pro *iter* (quod abſurdum vocat) e conjectura dedit *ii*, ponens poſt *facere* duo puncta.

11) *in portas*. Cdd. fere omnes: *in porta*, quod C., ex uno, in *portas* mutavit, ſiquidem in caſtris Romanis plures portae erant.

12) *in munimentis* int. quae in vallo exſtructa erant.

13) Pro *circuire* C. e. nonnull. Cdd. *circumire*. Cf. c. nis 45. extr.

14) *diffidentia futuri* i. e. non tam putans, ea non futura, quae imperaviſſet. In magna lectionis varietate, C. ſum ſecutus, praeterquam quod *tam* revocavi. B., ductus Aldina, non male, e conject. dedit *non diffidens, ea futura, quae*. M. pro: *futuri* recepit *futura* i. e. ea futura eſſe.

15) *labos* vid. Cat. 15. n. 11. et Jug. 41. n. 12. — *volentibus eſſet*. Vid. c. 84. n. 13. cf. Tacit. Agric. c. 18.

16) *Jugurthini*, C. contra Cdd. delevit.

17) *pudore* i. e. verecundia ſui (Marii) ipſius, ſ. exemplo

ercitum coërcebat: quod multi per ambitionem fieri ajebant; pars, quod a pueritia conſuetam duritiam, et alia, quae ceteri miſerias vocant, voluptati habuiſſet. Niſi tamen reſpublica pariter, ac ſaeviſſumo imperio, bene atque decore geſta.

Caput CI.

Igitur quarto denique die, haud longe ab oppido Cirta undique ſimul ſpeculatores citi ſeſe oſtendunt: qua re hoſtis adeſſe intellegitur. Sed quia divorſi redeuntes, alius ab alia parte, atque omnes idem ſignificabant, Conſul incertus, quonam modo aciem inſtrueret, nullo ordine commutato, advor-

— *malo* i. q. *poena*. Terent. Adelph. I, 1, 32. „*malo* coactus qui ſuum officium facit." c. 85. „exercitum ſupplicio cogere." —

18) *pars*, i. e. *quod a pueritia* etc. alii dicebant, id non propter exemplum ſed ex veteri conſuetudine feciſſe, quod in laborando aliis praeiret. Vid. c. 85.

19) *Niſi tamen*. Vid. c. 24. n. 10.

20) *respubl*. ſcribendum *res publica* int. in bello.

Caput CI.

In hoc itinere haud longe ab oppido Cirta hoſtes ſeſe oſtendunt proeliumque atrox committitur, in quo Jugurtha et Bocchus undique funduntur et Jugurtha a ſuis relictus vix effugit.

1) *Cirta*. Vid. c. 5. n. 14. et c. 21. n. 2.

2) *ſpeculatores citi* etc. ſpeculatores, quos Marius praemiſerat, citato curſu redibant.

3) *divorſi* i. e. a diverſis partibus i. q. proxime ſequens: *alius ab al. parte*, per abundantiam ſermonis, ubivis in tali cauſa uſitatam, nec ab noſtro alienam, cujus brevitas non in verbis ſita eſt. cf. Liv. II, 55. „diſperſi, alii alia — excurrunt." idem IX, 2. „diverſos, alium alibi — paſcere jubet."

ſum omnia paratus, ibidem opperitur. Ita Jugurtham ſpes fruſtrata, qui copias in quatuor partis distribuerat: ratus, ex omnibus aeque aliquos ab tergo hoſtibus venturos. Interim Sulla, quem primum hoſtes adtigerant, cohortatus ſuos, turmatim et quam maxume conſertis equis ipſe aliique Mauros invadunt: ceteri in loco manentes, ab jaculis eminus emiſſis corpora tegere, et, ſi qui in manus venerant, obtruncare. Dum eo modo equites praeliantur, Bocchus cum peditibus, quos Volux filius ejus adduxerat, neque in priore pugna, in itinere

---

4) *advorſum omnia* etc. de Broſſ *en faiſant face de tous côtés*; incedebat enim quadrato agmine. Vid. c. 100. n. 2. Liv. XXIV. 35. „agmine ad omnes caſus compoſito ibat."

5) *fruſtrata* (eſt), fefellit. *fruſtrari* enim et reciprocum eſt (*ſich täuſchen*) ut c. 58. „pauci in plurib. minus *fruſtrati*" et, activ. ut h. l. idque Graeco more, quorum verba media ab hac duplici ſignificatione, quae formae paſſivae ineſt, originem traxerunt.

6) *ex omnibus aeque aliq.* etc. Locus difficilis, quod haud rarum eſt in reb. tacticis. Difficultas in primis in voce *aeque* ineſt, quam varie explicant et mutant. Equidem expono: ex his quatuor partibus aliquam, quamcunque (*gleichviel welcher*) hoſtes a tergo invaſuram eſſe. C. *aeque*, perperam exponit: *gerade von hinten zu*; quaſi vero in voce *gerade*, aliquid momenti ineſſet. de Broſſ. recte: „*de part ou d'autre.*" Unus Cd. *certe* pro *aeque* ſubſtituit, alius utrumque omittit. M. conjicit: alios *atque alios*.

7) *hoſtes*, C. cum aliq. Cdd. omiſit.

8) *ipſe aliique* i. e. ipſe equitatus ſui dux et *alii* duces equitum. nam *ceteri*, haud dubie ſunt reliquae partes aciei Romanae.

9) *Interim Sulla* etc. qui cum equitatu in dextera agminis parte erat. Vid. c. 100. n. 2.

10) *tegere*; ſupple ſcutis.

11) *Bocchus* Vid. c. 97.

12) *in priore pugna*. i. e. in proelio equeſtri. Vid. c. 97 — 99.

morati, adfuerant, poſtremam Romanorum aciem invadunt. Tum Marius apud primos agebat, quod ibi Jugurtha cum plurimis erat. Dein Numida, cognito Bocchi adventu, clam cum paucis ad pedites convortit: ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat: *noſtros fruſtra pugnare; paullo ante Marium ſua manu interſectum*; ſimul gladium ſanguine oblitum oſtendere, quem in pugna, ſatis impigre occiſo pedite noſtro, cruentaverat. Quod ubi milites accepere, magis atrocitate rei, quam fide nuncii terrentur: ſimulque barbari animos tollere et in perculſos Romanos acrius incedere. Jamque paullum ab fuga aberant, cum Sulla, profligatis iis, quos advorſum ierat, Mauris, rediens, ab latere in-

---

13) *poſtremam — aciem*, expeditos manipulos. Vid. c. 100. init.

14) *apud primos* i. e. in fronte agminis quadrati Cirtam ſpectante. — *agebat* i. e. imperabat ſ. curabat. Stromb. „*waltete.*" — *Erat* (poſt *plurimis*) C. omiſit.

15) *Numida*, Jugurtha.

16) *clam* int. militib., inter quos hucusque pugnaverat, et Mario.

17) *ad pedites convortit* int. *Romanos*; in ſiniſtra agminis parte, cui Manlius praefuit. V. c. 100. C. contra, intelligit, quos Volux adduxerat. — pro *convortit* nonnull. Cdd. *ſe convortit: convortitur*. Cf. c. 85. n.

18) *Latine*; ut Romani intelligerent. Nam Numidae animos tollunt, non quod intelligunt, quid Jugurtha dicat, ſed quod Romanos ejus verbis territos vident.

19) *apud Numantiam*. Vid. c. 7. n. 4.

20) *occiſo pedite noſtro* int. in fronte agminis, ubi legatus imperabat. Vid. c. 100. n. 2.

21) *quam fide nuncii*; dum in re tam atroci de nuncii fide haud cogitant.

22) *Romanos*, C. cum Edd. vett. expulit. — pro *incedere* aliq. *invadere*.

23) *aberant*, int. noſtri.

24) *rediens*, C. contra Cdd. delevit. Idem *Mauris* (alii

currit. Bocchus ſtatim avortitur. At Jugurtha, dum ſuſtentare ſuos et prope jam adeptam victoriam retinere cupit, circumventus ab equitibus, dextra, ſiniſtra omnibus occiſis, ſolus inter tela hoſtium vitabundus erumpit. Atque interim Marius, fugatis equitibus, occurrit auxilio ſuis, quos pelli jam acceperat. Denique hoſtes undique fuſi. Tum ſpectaculum horribile in campis patentibus: ſequi, fugere; occidi, capi: equi atque viri adflicti: ac multi, volneribus acceptis, neque fugere poſſe, neque quietem pati; niti modo, ac ſtatim concidere: poſtremo

Mauros), i. e. Bocchi peditibus recte trahit ad *incurrit*. — *iis* (poſt *profligatis*) C. contr. Cdd. omiſit.

25) *adeptam victoriam*. Vid. c. 17. n. 19. et Cat. c. 7. n. 5.

26) *ab equitibus* int. Sullae.

27) *omnibus occiſis* i. e. omnibus comitibus ſuis a Romanis occiſis. Altera enim explicatio; ubi (Jugurtha) omnes, qui ſe circumvenerant, occiderat, vix audienda eſt.

28) *vitabundus* i. e. tela diligenter vitans (*indem er gut ausparierte.*) Priſcian. IV, p. 636. „In *bundus* deſinentia, ſimilitudinem habere ſignificant, ut *vitabundus*, ſimilis vitanti." Sed haec ſignificatio minus huc quadrat, quam in loc. 38. init. Contra quoque eſt c. 90. fin. „ſe *praedabundum* eo venturum." Hinc neque ſatisfacit Gellius XI, 15. extr. dicens, huic terminationi, vim et copiam, et quaſi abundantiam ineſſe.

29) *fugatis equitibus* int. hoſtium, a Sulla.

30) pro *pelli* M. conjicit *premi*. Sed antea dictum eſt, *paullum a fuga aberant*, ideoque pellebantur. Ceterum Marius a fronte agminis paullo poſt Sullam et Jugurtham ad ſiniſtrum agmen ſuorum veniſſe credibile eſt.

31) *in* ante *campis* C. cum duob. Cdd omiſit.

32) *neque quietem pati*, neque quietos manere in loco, ſed etc.

33) *niti* int. ad ſurgendum.

omnia, qua viſus erat, conſtrata telis, armis, cadaveribus; et inter ea humus infecta ſanguine.

C a p u t CII.

Poſt ea loci Conſul, haud dubie jam victor, pervenit in oppidum Cirtam, quo initio profectus intenderat. Eo poſt diem quintum, quam iterum barbari male pugnaverant, legati a Boccho veniunt, qui regis verbis ab Mario petivere, *duo quam fidiſſumos ad eum mitteret; velle de ſuo, et de populi Romani commodo cum iis diſſerere.* Ille ſtatim L. Sullam et A. Manlium ire jubet. Qui quamquam

34) *qua viſus erat* i. e. quacunque conſpici poterat. (*So weit das Auge reichte.*)

Caput CII.

Cirtam legati a Boccho veniunt petentes, ut Marius duo quam fidiſſumos ad ſe mittat. Mittuntur ſtatim Sulla et Manlius, qui regem quidem juſta oratione ad pacem faciendam impellunt, non tamen efficiunt, ut Bocchus quod promiſerat, legatos de pace Romam mittat.

1) *Poſt ea loci* etc. c. 63. n. 15. „*poſt id locorum*." Quod ibi ſingularis eſt (*id*) hoc loco pluralis (ea) eſt; et quod plural. (*locorum*) hic ſingular. (loci). Hinc *loci* et *locorum* additamentum eſt otioſum, ut dulciſſime *rerum* aliaque. Nemo enim h. l. conſtruit: victor loci, *Meiſter des Platzes*, ut victor belli. — *haud dubie jam victor* i. e. qui nunc victoriam haud dubiam deportaverat.

2) *quo — intenderat*. Cf. c. 100. et 101. init.

3) *quam iterum* etc. ſemel male pugnaverant c. 99. fin., iterum, haud longe ab oppido Cirta c. 101. init.

4) *ad eum. eum*, dictum eſt e legatorum perſona, ſeq. *ſuo* ex Bocchi. Vid. c. 96. n.

5) *ſuo* C. ex uno Cd. in *ſe* mutavit.

6) Pro *iis*, C. *is* ex uno Cd.

acciti ibant, tamen placuit verba apud regem facere: ingenium aut avorſum uti flecterent; aut cupidum pacis vehementius accenderent. Itaque Sulla, cujus facundiae, non aetati a Manlio conceſſum, pauca verba hujuscemodi locutus.

Rex Bocche, magna nobis laetitia eſt, cum te talem virum dii monuere, uti aliquando pacem, quam bellum, malles; neu te optumum, cum peſſumo omnium Jugurtha miſcendo commaculares; ſimul nobis demeres acerbam neceſſitudinem, pariter te errantem et illum ſceleratiſſumum perſequi. Ad hoc populo Romano jam a principio (inopi) melius viſum, amicos, quam ſervos quaerere: tutius rati, volentibus, quam

---

7) *acciti ibant* i. q. acciti erant; — *acciti* (cf. c. 108.) i. q. invitati a rege, et ſine dubio, ob pacis conditiones; ita, ut ſupervacaneum videretur, regi pacem ſuadere, *tamen placuit* etc.

8) *ingenium aut* etc. Sic C. e Cdd. Rivii. Vulgo: *uti* ingenium etc. — *avorſum* i. q. paci contrarium.

9) *cujus facundiae*: cui, etſi aetate minor erat, tamen ob facundiam (vid. c. 95.) Manlius verba facere conceſſit. c. 11. „uti aetati concederet, a fratre fatigatus."

10) *eſt* (poſt *laetitia*) C. rejecit.

11) *pariter — et* i. q. et — et.

12) *perſequi*. De hoc infinitivo poſt *neceſſitudinem* antecedens, vid. Cat. 4. n. 3.

13) *a principio* C., invit. Cdd. delevit, ſicuti *melius* ſeq. cum uno Cd. Sed praeter *inopi*, quod plures omittunt, quamquam explicare poſſis: cum adhuc inops eſſet, nihil delend. videtur. Hinc incluſi. B. e conject. pro *inopi*, dedit *reip*

14) *amicos, quam ſervos* etc. i. e. alios perſuadendo potius ſecum conjungere, quam armis.

15) *tutius rati*. Vulgo: *tutiusque rati*, quod, intellecto *ſunt*, offendere neminem poteſt, C. *que* cum duob. Cdd. abjecit.

coactis imperitare. Tibi vero nulla opportunior amicitia noſtra: primum, quod procul abſumus, in quo offenſae minumum, gratia par, ac ſi prope adeſſemus; dein, quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium ſatis fuit. Atque hoc utinam a principio tibi placuiſſet! profecto ex populo Romano ad hoc tempus multo plura bona accepiſſes, quam mala perpeſſus eſſes. Sed quoniam humanarum rerum fortuna pleraque regit; cui ſcilicet placuit te et vim, et gratiam noſtram experiri:

---

16) *offenſae minumum* etc. i. e. minor occaſio eſt, nos invicem laedendi, ſed aequalis, officia mutua praeſtandi.

17) *parentes* i. q. ſubditos, ſ. armis ſubjectos.

18) *cuiquam omnium — fuit*, *omnium* abundat. — *fuit* C. cum uno Cd. expunxit. *fuit* autem, ab *eſt* (quod pauci legunt) ratione ſenſus non differt.

19) *Atque hoc* i. e. pacem nobiscum facere.

20) Verba *ad hoc tempus* in Cort. editione deſunt, quamquam ea in nota explicat. Pro *ex populo R.*, B. ex ſola Ald. recepit, *ea re*.

21) *fortuna pleraque regit*. Cat. 8. „ſed profecto fortuna in omni re dominatur" et ibid. c. 51. p. 139. „fortuna, cujus lubido gentib. dominatur."

22) *cui — placuit*. Pro *placuit*, Grut. ex uno Cd. dedit *placuiſſe*, cum vel pueris notum ſit, *ſcilicet* cum infinitivo conjungi. Sed pace tanti viri dictum ſit, hoc numquam, niſi in ironia (ubi *dicis* intelligend. eſt) fieri poſſe, quae ab hoc loco alieniſſima eſt. Terent. Heaut. II, 2, 117. „ſcilicet facturum me eſſe!" *Du meinſt ſo, daſs ich's thun werde*. Vulgatam, omnib. fere Cdd. firmatam jure reduxit B. Verte: *welcher es ohne Zweifel gefallen hat.*

23) *te*, (poſt *placuit*) quod B. e. conject. addidit, non male conjiciens, ex placuit *te*, ortum eſſe Gruteri *placuiſſe*; cum h. l. deeſſe vix poſſit, vel invitus recepi.

24) *vim — experiri*. cf. c. 32. extr. „ne vim, quam miſericordiam experiri mallet."

nunc, quando per illam licet, feſtina, atque, ut coepiſti, perge. Multa atque opportuna habes, quo facilius errata officiis ſuperes. Poſtremo hoc in pectus tuum demitte, numquam populum Romanum beneficiis victum eſſe. nam bello quid valeat, tute ſcis.

Ad ea Bocchus placide et benigne, ſimul pauca pro delicto ſuo verba facit: *ſe non hoſtili animo, ſed ob regnum tutandum arma cepiſſe: nam Numidiae partem, unde vi Jugurtham expulerit, jure belli ſuam factam, eam vaſtari ab Mario pati nequiviſſe: praeterea miſſis antea Romam legatis, repulſum ab amicitia. Ceterum vetera omittere, ac tum, ſi per Marium liceret, legatos ad Senatum miſſurum.* Dein, copia facta, animus barbari ab amicis flexus, quos Jugurtha, cognita legatione Sullae et Manlii, metuens id, quod parabatur, donis corruperat.

25) *per illam* int. fortunam. C. 64. „ubi primum potuiſſet *per* negotia publica."

26) *Multa atque opportuna* i. q. magnam occaſionem. c. 28. multae bonae*que* artes; qua in dialyſi (disjunctione) emphaſis ineſt.

27) *errata — ſuperes* i. e. ut plura officia praeſtes, quam injurias, ex errore, populo Rom. attuliſti, ſ. errata tua officiis emendes.

28) *in pectus — demitte.* C. 11. extr. „in pectus — deſcendit."

29) *beneficiis victum eſſe* i. e. plura ſemper amicis officia praeſtitiſſe, quam accepiſſe. *eſſe* C. omiſit.

30) Poſt *benigne* Cdd. nonnull. adjiciunt *reſpondit.*

31) *delicto ſuo. ſuo*, C. ut *ſui*, c. 29. n. 19., quo hic provocat, delevit.

32) Pro *tutandum* C., ex uno Cd. *regnum tutatum.*

33) *expulerit.* C., ex aliq. Cdd. *expulerat*, quod quidem per ſe probum (vid. Cat. 27. n. 15.) ſed contr. pluriorum conſenſum, non obtrudendum eſt. Ad *expulerit* C. intelligit *Marius*; ſed *Bocchus* potius intelligend. videtur. Jam Bocchus dicens: *jure belli ſuam factam*, ſive reſpiciat, his verb., ad Jugurthae promiſſum c. 97., ſive proprie haec verba intelligat, utroque modo mentiretur, et ita quidem, ut mendacium ejus Marium latere non potuiſſet; ſiquidem Romani jam ex aliquot annis bellum in Numidia geſſerant. Melius igitur erit ſumere, Bocchum ante Romanorum bellum aliud geſſiſſe, in quo ipſe Jugurtham parte regni privaverit.

Caput CIII.

Marius interea, exercitu in hibernis compoſito, cum expeditis cohortibus et parte equitatus proficiſcitur in loca ſola, obſeſſum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnis praeſidium impoſuerat. Tum rurſus Bocchus, ſeu reputando, quae ſibi duobus

34) *repulſum ab amicitia.* Vid. c. 80.

35) *ac tum* h. l. idem q. *nunc.* Vid. c. 81. n. 5. et 83. n. 2.

36) *copia facta* int. legatos mittendi; quod, ſine conſenſu proconſulis provinciae fieri non poterat.

37) *flexus* i. e. commotus eſt, ut aliud conſilium caperet. Cf. c. 9. n. 9.

38) *quod parabatur* i. e. ſeparatam Romanor. cum Boccho pacem.

Caput CIII.

Interea dum Marius a Cirta abeſt, Bocchus denuo legatos de pace mittit, qui a Sulla pro Praetore relicto accurate et liberaliter excepti edoctique, quomodo conſilium ſuum optime aſſequi poſſint, Marii reditum ibi exſpectant.

1) *hibernis*, ita C. e Cdd., vulgo *hibernaculis.* — *compoſito* i. q. poſito, ſ. collocato.

2) *in loca ſola* i. e. deſerta.

3) *perfugas omnis.* Vid. c. 56. n. 4. et 76. extr. — *praeſidium* eſt appoſitio.

4) Poſt *Bocchus* vulgo inſertum legitur *feliciter*, quod C. cum Cdd. nonnull. delevit. B. in locum ejus ſubſtituit, e duab. Edd. vett., *ſcilicet.*

praeliis evenerant, seu admonitus ab aliis amicis, quos incorruptos Jugurtha reliquerat, ex omni copia necessariorum quinque delegit, quorum et fides cognita, et ingenia validissuma erant. Eos ad Marium, ac dein, si placeat, Romam legatos ire jubet: agendarum rerum, et quocumque modo belli componendi licentiam ipsis permittit. Illi mature ad hiberna Romanorum proficiscuntur: deinde in itinere a Gaetulis latronibus circumventi spoliatique, pavidi, sine decore ad Sullam profugiunt; quem Consul, in expeditionem proficiscens, pro Praetore reliquerat. Eos ille non pro vanis hostibus, ut meriti erant, sed adcurate ac liberaliter habuit. qua re barbari

---

5) *evenerant.* C. et Wass. e plurib. Cdd. *venerant*; ille provocans ad Plaut. Pseud. II, 1. 1. 1. hic ad Cic. ad Div. XVI, 21., ubi *venire* pro *evenire* legeretur; sed in utroque loco *eveniunt* et *eveniant* reperio.

6) *aliis* (ante *amicis*) C. delevit. cf. caput anteced. extr.

7) *ingenia validissuma* i. e. qui prudentissimi et callidissimi erant. C. 6. init. „ingenio validus."

8) *ad Marium*, quem nunc Cirtae esse putabat. Vid. c. 102.

9) *si placeat* int. Mario.

10) *agendarum rer. — licentiam* etc. quos nunc *plenipotentiarios* (*Bevollmächtigte*) vocant.

11) *ipsis* (al. *illis*, *illis ipsis*) C. omisit.

12) *mature*, sine mora.

13) *in* (ante *itinere*) C. omisit. cf. c. 105. n. 7.

14) *sine decore.* c. 33. init. „cultu quam maxime miserabili."

15) *profugiunt.* Sic plerique Cdd.; C. ex uno *perfugiunt.* Al, *pergunt.*

16) *pro Praetore.* Vid. c. 36. n. 11.

17) *pro vanis hostibus* etc. i. e. ut hostes mendaces, qui se spoliatos esse tantum fingebant, quibusque nulla fides habenda esset, pro quibus eos habere par erat.

18) *habuit.* Vid. c. 16. „in inimicis *habuerat*." cf. Cat. c. 11. n. 17.

et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati. Nam etiam tum largitio multis ignota erat munificus nemo putabatur, nisi pariter volens: dona omnia in benignitate habebantur. Igitur Quaestori mandata Bocchi patefaciunt; simul ab eo petunt, uti fautor consultorque sibi adsit: copias, fidem, magnitudinem regis sui, et alia, quae aut utilia, aut benevolentiae esse credebant, oratione extollunt: dein, Sulla omnia pollicito, docti, quo modo apud Marium, item apud Senatum verba facerent, circiter dies xxxx ibidem opperiuntur.

---

19) Post *rati.* Cdd. nonnull. addunt *sunt*.

20) *Largitio* est h. l. simulata beneficentia, qua alios corrumpere et in partes nostras trahere studemus; quaeque illis Mauris, etsi callidissimis, ignota adhuc fuit.

21) pro *ignota erat*, C. e conject. dedit *ignara*, (cf. c. n. 6. extr.) B. e paucis Cdd. *ignorata.*

22) *pariter volens* i. e. benevolens qui alteri aeque ac sibi (pariter) bene vult.

23) *in benignitate*, ex benignitate profecta s. benigni animi indicia putabantur.

24) *Quaestori.* Sullae. Vid. c. 95. init.

25) *benevolentiae* i. e. ad benevolentiam regi suo conciliandum conducibilia. Pauci legunt *benevolentia*, quos C. imperitos vocat. — *esse*, C. cum uno Cd. delevit.

26) *apud Senatum.* Vid. hujus capitis init.

27) *opperiuntur.* usque ad Marii reditum.

CAPUT CIV.

Marius poſtquam confecto, quod intenderat, negotio Cirtam redit; de adventu legatorum certior factus, illosque et Sullam venire jubet, item L. Bellienum Praetorem Utica, praeterea omnis undique Senatorii ordinis; quibuscum mandata Bocchi cognoſcit. Legatis poteſtas eundi Romam fit ab Con-

---

CAPUT CIV.

Marius redux mandata legatorum cognoſcit iisque poteſtatem facit Romam eundi, induciis factis. Tum pars eorum Romam proficiſcitur, pars ad regem redit. Senatus Romanus Boccho gratiam facit eique foedus et amicitiam promittit, ſub conditione ut mereat.

1) *confecto, quod intend. negotio.* C. cum aliis libris habet: *infecto quo* intenderat negotio, quod explicat: infecto negotio, quo confecto redire intenderat; *quo* accipit pro *quod*, more Graecorum, ut Cic. Epp. ad Div. XIV, 5. „quum — aliquid agas eorum, *quorum* conſueſti." B. poſt *confecto*, e conject. addidit *ibi*, ut ſequens *quo* haberet, quo referri poſſet. At quum Mario adhuc omnia proſpere ceſſiſſent, vero non ſimile eſt, eum, infecto hoc *levi* negotio (expugnatione unius turris c. 103.) rediiſſe. — C. 25. „Quod ubi ſecus procedit, neque *quod intenderat* efficere poteſt."

2) *venire.* ſupple ad ſe.

3) *Bellienum.* Hoc nomen proprium, varie ſcribitur in Cdd. Vid. c. 29. n. 15.

4) *Utica.* ab Utica, quod *ab*, nonnulli Cdd. addunt. c. 79. „*Carthagine* duo fratres miſſi." De *Utica.* Vid. cap. 25. n. 12.

5) *Senatorii ordinis.* C. 62. „Metellus propere cunctos *Senatorii ordinis* ex hibernis arceſſiri jubet." Cf. c. 29. n. 18.

6) *mandata Bocchi.* Vid. c. 105.

ſule: interea induciae poſtulabantur. Ea Sullae et plerisque placuere: pauci ferocius decernunt, ſcilicet ignari humanarum rerum, quae fluxae et mobiles ſemper in advorſa mutantur. Ceterum Mauri, impetratis omnibus rebus, tres Romam profecti cum Cn. Octavio Rufo, qui Quaeſtor ſtipendium in Africam portaverat: duo ad regem redeunt. Ex his Bocchus cum cetera, tum maxume benignitatem et ſtudium Sullae lubens accepit. Romae legatis ejus,

---

7) *Legatis poteſtas* etc. Sic C. edidit ex uno Cd. Vulgo: *in quibus legatis poteſt. eundi R. ſit; et a Conſ. inter. induc. poſtulantur.* B. alia habet, quae non intelligo. — *interea* int. dum legati redirent cum reſponſo. — *poſtulabantur*, ſupple a legatis. Sed fortaſſe legendum: Legatis poteſtas Romam eundi *ſit* ab Conſule, interea induciae *poſtulentur*; quae nimirum mandata Bocchi erant.

8) *Ea* (ante *Sullae*) ad utrumque poſtulatum (v. n. 6.) referri nequit, cum alterum (poteſtas eundi), controverſiam in conſilio movere non potuit; ſed alterum (induciae) deliberandum erat; ne novas interea vires Jugurtha et Bocchus colligerent, quae res Romanis, procul a patria bellum gerentibus haud levis momenti erat. Itaque, *ea* in *eae* (induciae) mutand. puto.

9) *ferocius decernunt* i. e. inducias non eſſe concedendas cenſent; non cogitantes rerum humanar. viciſſitudinem. Cf. c. 14. n. 57. Nam quum Marius cum Senatu pacem vellet ejusque cauſa Sullam miſiſſet, non eſt cogitandum, reliquos Senatores, qui aderant eam disſuaſiſſe.

10) Vulgatum *mutantur*, C., exquiſitiora ſemper praeferens, cum paucis Cdd. mutavit in *mutant.*

11) *omnibus rebus.* etiam induciis impetratis.

12) Loco *Rufo.* Multi *Rufone* habent. Sed perperam. Vid. Pighius T. III. p. 139.

13) *lubens.* magna cum voluptate.

postquam erraſſe regem et Jugurthae ſcelere lapſum, deprecati ſunt, amicitiam et foedus petentibus hoc modo reſpondetur.

Senatus et populus Romanus beneficii et injuriae memor eſſe ſolet. Ceterum Boccho, quoniam poenitet, delicti gratiam facit. foedus et amicitia dabuntur, cum meruerit.

CAPUT CV.

Quibus rebus cognitis, Bocchus per literas a Mario petivit, uti Sullam ad ſe mitteret; cujus arbitratu de communibus negotiis conſuleretur. Is miſſus cum praeſidio equitum atque peditum, funditorum Balearium praeterea iere ſagittarii et cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi cauſa: neque his ſecus, atque aliis armis, advorſum tela hoſtium; quod ea levia ſunt, muniti. Sed in itinere, quinto denique die, Volux, filius Bocchi, repente in campis patentibus, cum mille non amplius equitibus ſeſe oſtendit: qui temere et effuſe euntes, Sullae aliisque omnibus et numerum ampliorem vero, et hoſtilem metum efficiebant. Igitur ſeſe quisque expedire, arma atque tela tentare, intendere: timor aliquantus, ſed ſpes amplior, quippe

---

14) *lapſum, deprecati ſunt* i. q. lapſum eſſe dixerunt et deprecati ſunt.

15) *delicti* et ad *poenitet* et ad *gratiam* pertinet: quidquid C. contra dicat. *delicti* i. e. belli cum Romanis ſuscepti.

16) *cum meruerit.* Hoc verbum plus in receſſu habet, quam in fronte gerit. Tecte ſignificat: Bocchum nulla alia re pacem ſibi parare poſſe, niſi Jugurtham tradat. Bocchum hanc vocem bene cepiſſe, ſtatim ſequentia docent.

CAPUT CV.

Tum Bocchus a Mario per literas petit, ut Sullam ad ſe mittat; qui eum praeſidio miſſus, in itinere, in Volucem Bocchi filium obviam ſibi cum equitibus miſſum incidit eumque primum pro hoſte habet, ſed deinde rem aliter invenit.

1) *Quibus rebus.* Pro quibus C., e Cdd. aliq. *quis.*

2) *de communib. negotiis* i. e. Bocchi et Romanorum, (ratione Jugurthae tradendi).

3) *Balearium.* Ita C. dedit (a nominat. *Balearis.* Vid. Virg. Georg. I, 309), ex aliq. Cdd. Vulgo *Baleariorum*, quod eſt e conj. Grut. — Unus liber Cortii ante *funditorum* habet *item.* Cf. c. 46. p. 281.

4) *iere*, vulgat., C. cum uno Cd. delevit, non cogitans, h. l. aliam prorſus eſſe conſtructionem, quam ſupra c. 100. n. 9. ad quam provocat.

5) *cohors Peligna* i. e. Pelignorum, populi in Italia, cujus caput erat Corfinium, Ovidii (Sulmonenſis) patria. — *velitaria* autem arma ſunt, quibus utuntur velites. Vid. c. 46. n. 22. — *cohors — muniti.* Vid. Cat. 43. n. 10.

6) *neque his ſecus* etc. i. e. his armis (quamquam levia ſunt) non minus, quam aliis (gravioribus) muniti. — Ceterum non dubium eſt, etiam ſupra (c. 102.) Sullam et Manlium cum praeſidio ad Bocch. iviſſe.

7) *in* (ante *itinere*) C. cum duob. Cdd. omiſit. Cf. c. 91. init. et 103. n. 13.

8) *Volux.* Vid. c. 101.

9) *cum mille non amplius.* Vid. Cat. 56. n. 8.

10) *temere.* ſine ordine.

11) *hoſtilem metum.* perinde ac ſi hoſtes eſſent.

12) *ſeſe*, ante *quisque*, C. ex plurib. Cdd.; vulgo *ſe.* — *expedire* i. q. ad pugnam ſe parare.

13) *tentare, probiren.* — *intendere* ſupple, *arcus*, quod unus Haverc. Cd. addit.

14) *ſpes amplior.* Spes major iis erat.

victoribus, et advorſum eos, quos ſaepe vicerant. Interim equites, exploratum praemiſſi, rem, uti erat, quietam nunciant.

CAPUT CVI.

Volux adveniens Quaeſtorem adpellat, dicitque: *ſe a patre Boccho obviam illis ſimul, et praeſidio miſſum.* Deinde eum, et proxumum diem ſine metu conjuncti eunt. Poſt, ubi caſtra locata, et diei veſper erat, repente Maurus incerto voltu pavens ad Sullam adcurrit dicitque: *ſibi ex ſpeculatoribus cognitum, Jugurtham haud procul abeſſe:* ſimul, ut noctu clam ſecum profugeret, rogat atque hortatur. Ille animo feroci negat, *ſe toties fuſum Numidam pertimeſcere: virtuti ſuorum ſatis credere: etiam ſi certa peſtis adeſſet, manſurum potius, quam proditis, quos ducebat, turpi fuga, incertae ac forſitan poſt*

15) Poſt *eos* Cdd. aliq. addunt *pugnaturis.*
16) Pro *vicerant* C. *vicerunt*; ſine nota.
17) *rem, uti erat* i. e. Volucem amicum, non hoſtem adeſſe nunciant.

CAPUT CVI.

Sullam et Volucem iter una facientes Jugurtha ubique perſequitur, ita ut Romani Volucem pro proditore habeant tantique ſceleris vindictam poſtulent.

1) *adpellat.* redet an. — *dicitque,* C. expulit. Sed vid. c. 90. n. 12.
2) *diei.* C. *die.* Vid. c. 52. n. 4.
3) *Maurus.* Volux. — *dicitque,* C. contra Cdd. delevit.
4) *pavens,* C., cum uno Cd. omiſit.
5) *clam ſecum* i. e. ſolus ſecum, clam militibus.
6) *feroci,* imperterrito.
7) *certa peſtis* i. e. certus interitus — *proditis* i. q. deſertis militibus ſuis, ſ. iis quos *duceret* etc. De indicat. ducebat Vid. c. 27. n. 15.

paullo morbo interiturae vitae parceret. Ceterum ab eodem monitus, *uti noctu proficiſcerentur,* conſilium adprobat: ac ſtatim milites coenatos eſſe; in caſtris ignis quam creberrimos fieri, dein prima vigilia ſilentio egredi jubet. Jamque nocturno itinere feſſis omnibus, Sulla pariter cum ortu ſolis caſtra metabatur, cum equites Mauri nunciant, *Jugurtham circiter duum millium intervallo ante eos conſediſſe.* Quod poſtquam auditum, tum vero ingens metus noſtros invadit: credere ſe proditos a Voluce et inſidiis circumventos. Ac fuere, qui dicerent: manu vindicandum, neque apud illum tantum ſcelus inultum relinquendum.

8) *poſt paullo.* Vid. c. 71. n. 5.
9) *proficiſcerentur.* non *fugerent,* quod antea dixerat, neque ſoli, ſed una cum praeſidio *Sullae.*
10) *coenatos eſſe — jubet,* i. e. quam primum coenare eos jubet, ita, tamen, ut mallet, eos jam *coenaſſe,* quam coenaturos eſſe. Hoc votum, ut praeteritum jam ſit, quod futurum adhuc eſt, in *coenatos eſſe* latet.
11) *prima vigilia.* Nox fuit diviſa in quatuor vigilias, a hora 6 veſpertina ad 6 matutinam, quorum ſingulae tres horas continebant.
12) *egredi.* ſupple caſtris. (*ausmarſchiren*).
15) *pariter cum.* Vid. c. 68. n. 5. item c. 77. n. 1, et c. 102.
14) *duum millium.* duûm pro duorum; ſupple paſſuum, quod unus Cortii addit. c. 91. „ab Capſa non amplius *duum millium intervallo.*"
15) *eos* poſt *ante,* Grut. cum uno Cd. omiſit; reliqui omnes id tuentur; de loco, non de tempore intelligendum; cap. ſq. teſtatur; ubi Volux Sullae ſuadet, ut per media Jugurthae caſtra ad Bocchum pergant.
16) *tum vero.* Cf. 84. n. 4.
17) *credere ſe. ſe,* C. cum pauc. Cdd. omiſit.
18) *manu vindicandum.* Volucem illico (manu promta) et morte puniendum. C. 20. „Adherbalem injurias manu vindicaturum."
19) *apud illum*; i. q. in illo, ſ. illius. C. mavult, (quamquam timide): *ab illo,* ſc. patratum.

Caput CVII.

At Sulla, quamquam eadem exiſtumabat, tamen ab injuria Maurum prohibet: ſuos hortatur; *uti fortem animum gererent: ſaepe ante, paucis ſtrenuis, advorſum multitudinem bene pugnatum: quanto ſibi in praelio minus peperciſſent, tanto tutiores fore: nec quemquam decere, qui manus armaverit, ab inermis pedibus auxilium petere, in maxumo metu nudum et caecum corpus ad hoſtis vortere.* Deinde Volucem, quoniam hoſtilia faceret, maxumum Jovem obteſtatus, ut ſceleris atque perfidiae Bocchi teſtis adeſſet, ex caſtris abire jubet. Ille lacrumans

---

Caput CVII.

At Sulla, comite Voluce, quem ipſe perſidum habuerat, per media Jugurthae caſtra incolumis transit et paucis diebus quo intenderat pervenit.

1) *exiſtumabat.* C. e pauc. Cdd. *aeſtumabat.* Vid. Cat. c. 14. n. 15.

2) De *gererent* poſt *hortatur* vid. Cat. 20. n. 4.

3) Pro *ante*, C. *antea*, quod probo, ſi diviſim ſcribitur, *ante a* paucis etc. quod tamen C. vetat. De re vid. Cat. c. 7 et 53.

4) *peperciſſent* i. q. parcerent.

5) *inermis.* Cdd. plur. habent *inermibus.* Vid. c. 66. n. 15. Cf. c. 94. n. 13.

6) *nudum et caecum corp.* i. e. tergum, quod nudum (ab armis) eſt, ideoque facile vulnerari poteſt, nec, cum oculis careat (coecum ſit) ictus evitare poteſt. Xenoph. Cyrop. III, 3, 45. „*Μωρὸν γὰρ, τὸ, κρατεῖν βουλομένους, τὰ τυφλὰ τοῦ σώματος καὶ ἄοπλα, καὶ ἄχειρα ταῦτα ἐναντία τάττειν τοῖς πολεμίοις φεύγοντας.*" — *ad hoſtis vortere* i. q. hoſtibus vulnerandum praebere.

7) *ut — teſtis adeſſet* i. q. ut teſtis eſſet et ulciſceretur.

8) *ex caſtris.* C., ut nota ejus docet, cum Grut. addere voluit in textu *ex*, cum Cdd.; quod, cum ibi deſit, addidi, c. 68. „*ex* conſpectu *abiit.*" c. 55. „ex Africa *abierat.*"

orare, *ne ea crederet; nihil dolo factum, magis calliditate Jugurthae, cui videlicet ſpeculanti iter ſuum cognitum eſſet. Ceterum, quoniam neque ingentem multitudinem haberet, et ſpes opesque ejus ex patre ſuo penderent, credere, illum nihil palam auſurum, cum ipſe filius teſtis adeſſet: Quare optumum factum videri, per media ejus caſtra palam transire: ſeſe, vel praemiſſis, vel ibidem relictis Mauris, ſolum cum Sulla iturum.* Ea res, ut in tali negotio, probata, ac ſtatim profecti, quia de improviſo acceſſerant, dubio atque haeſitante Jugurtha, incolumes transeunt. Deinde paucis diebus, quo ire intenderant, perventum.

---

9) *cui videlicet iter ſuum. videlicet*, C., cum uno Cd. delevit. — *ſuum*, Volucis.

10) *credere*, C. invit. Cdd. abjecit. Alii libri *crederet* et *crederent.*

11) *teſtis adeſſet* i. q. Sullae comes eſſet.

12) *optumum factum.* Cat. 52. „optimum factum credens."

13) *ſolum.* i. e. ſine praeſidio ipſius, interea dum Sulla ſuum praeſidium ſecum duceret. Cf. Plutarch. Sulla p. 452.

14) *in tali negotio.* in hac rerum conditione.

15) *acceſſerant.* Ita B., recte credo. C. *acciderant*, e pluribus Cdd., provocans ſimul ad c. 88. ubi vid. not. 15.

16) *quo intenderant.* c. 64. „*eodem* intendere." c. 74. „*quocumque* intendere." c. 102. „*quo* initio profectus intenderat."

17) *perventum eſt*, int. ad Bocchum. — *eſt*, C. delevit.

CAPUT CVIII.

Ibi cum Boccho Numida quidam, Aſpar nomine, multum et familiariter agebat: praemiſſus ab Jugurtha, poſtquam Sullam accitum audierat, orator, et ſubdole ſpeculatum Bocchi conſilia: praeterea Dabar, Maſſugradae filius, ex gente Maſiniſſae, ceterum materno genere impar; (nam pater ejus ex concubina ortus erat); Mauro ob ingenii multa bona carus acceptusque: quem Bocchus fidum eſſe multis antea tempeſtatibus expertus, illico ad Sullam nunciatum mittit: *paratum ſeſe facere, quae populus Romanus vellet: colloquio diem, locum, tempus ipſe*

CAPUT CVIII.

***Bocchus**, in cujus caſtris Aſpar Jugurthae legatus aderat, adventu Sullae cognito, ſtatim Dabarem fidum ſibi mittit, qui nunciet, Bocchum paratum eſſe facere, quae populus Romanus velit et Sullae diem locumque colloquio permittere.*

1) *agebat.* erat, et colloquebatur mult. et familiariter.

2) *Sullam accitum.* Vid. c. 105. init.

3) *orator* i. e. qui mandata perferret; ſiquidem legati cum mandatis miſſi *oratores* dicebantur. Vid. Liv. XXX, 16. Plures libri pro *orator* habent *oratum*, haud dubie ob ſequens *ſpeculatum*; legati enim cum mandatis, oratores dicti.

4) *nam pater ejus* etc. i. e. nam pater ej., (Maſſugrada) (*Maſiniſſae filius*) ex concub. ort. erat. — *nam*, C., cum duob. Cdd. delevit, ſed habet, quo refertur.

5) *fidum eſſe*. Supple *ſibi*. Sed vulgo poſt *fidum eſſe* legitur, *Romanis*, quod, B. cum aliq. Cdd. omiſit. Jure, credo; nam qui poteſt ſervus laudari, quod alii fidelis ſit et quidem iis, quibus Bocch. ipſe infidus erat, idque multis jam antea occaſionibus expertus erat? — *eſſe* C. delevit.

6) *multis tempeſtatibus*. multis occaſionibus. Cf. Cat. 20. n. 10.

dilegeret: conſulta ſeſe omnia cum illo integra habere, neu Jugurthae legatum pertimeſceret, quo res communis licentius gereretur; nam ab inſidiis ejus aliter caveri nequiviſſe. Sed ego comperior, Bocchum, magis Punica fide, quam ob ea, quae praedicabat, ſimul Romanos et Numidam ſpe pacis adtinuiſſe, multumque cum animo ſuo volvere ſolitum, Jugurtham Romanis, an illi Sullam traderet: lubidinem advorſum nos, metum pro nobis ſuaſiſſe.

---

7) *conſulta — integra habere.* i. e. omnia conſilia ſua, adhuc integra i. e. a Jugurtha nondum mutata eſſe.

8) *quo res — licentius gereretur.* Hunc locum paullo difficiliorem explico: neu timeret, ne haec res ob legati praeſentiam minus licenter (pro arbitrio) ageretur; ſiquidem Jugurthae inſidiae aliter caveri nequiviſſent, niſi ut legatus ejus praeſens quidem eſſet, ſed alia audiret, ac ipſe, abſente eo, cum Sulla locuturus eſſet. C. explicat: neu legatum Jugurthae, qui adeſſet, pertimeſceret, cum ita cautum ſit, quo res etc. nam aliter ab inſid. ejus, quae conſiliis ſuis ſtruerentur, caveri nequiviſſe. Poſt *pertimeſceret* vulgo additur: *accitum eſſe*; quod B. in *cautum eſſe* mutavit et recepit. Gronov. *quo* in *quin* mutandum cenſet. Hotting. vero putat, ob nimiam lucem, interpretibus tenebras obortas et explicat: *nam metu poſito demum, quae in rem forent, libere conſulturum.* M. verba: *quo res — licentius ageretur* cum ſequentibus conjungit et *nam* (ante *ab inſidiis*) delevit.

9) *magis Punica fide* etc. i. e. Punico more alia dicentem ac ſentientem, Romanos et Jug. duxiſſe. Ceterum Jugurtham quoque pacis cupidum fuiſſe e c. 111. extr. manifeſtum eſt.

10) *ob ea — praedicabat* i. e. quae palim dixit. *ea* C. omiſit.

11) *adtinuiſſe* i. q. retinuiſſe, duxiſſe.

12) *lubidinem.* animi propenſionem.

Caput CIX.

Igitur Sulla respondit: *pauca se coram Aspare locuturum; cetera occulte, aut nullo, aut quam paucissimis praesentibus:* simul edocet, quae responderentur. Postquam, sicuti voluerat, congressi, dicit: *se missum a Consule venisse quaesitum ab eo, pacem, an bellum agitaturus foret.* Tum rex, uti praeceptum fuerat, *post diem decimum redire* jubet; *ac nihil etiam nunc decrevisse, sed illo die responsurum.*

Caput CIX.

Sulla edocet, quid in colloquio dicendum sit. Deinde in congressu a Boccho quaerit, utrum bellum an pacem velit. Rex eum post aliquot dies redire jubet; sed nocte Sullam clam ad se arcessit.

1) *respondit* et seq. *se*, C. cum paucis Cdd. delevit. Ceterum haec Sulla Dabari, qui ad eum a Boccho missus erat, priusquam coram Aspare colloquerentur, respondit. K. nodum in scirpo quaerit.

2) *quae responderentur* i. e. quae, praesente Aspare, rex Bocchus ad sua verba responderet; quod responsum, a Sulla praescriptum, statim sequitur. Post *quae* Cdd. aliq. addunt *sibi.*

3) *voluerat*, C. ex aliq. Cdd. recepit. int. Sulla, penes quem colloquii arbitrium fuit. c. 108. Vulgo *voluerant.*

4) *agitaturus foret.* c. 14. „laeti *pacem agitabamus.*" Liv. X, 31. „bella — *agimus.*"

5) *praeceptum fuerat*, int. a Sulla. Vid. n. 2. — *fuerat* C. cum uno Cdd. *eleganter* (ut ait) delevit. Ceterum obiter monend. est, praeceptum *fuerat* et *erat* dici posse, prout particip. in hoc praeterito passivi, sicut in reliquis, vel pro vero participio, ubi jam praeteritum illi inhaeret, vel pro adjectivo, cui nullum tempus inhaeret, accipias. Ita in *amatus sum*, particip. *amatus*, suam vim participial. retinet, in *amatus fui*, idem adjective usurpatur; et inter utrumque nullum internum prorsus discrimen est.

6) *etiam nunc* i. q. hucusque.

deinde ambo in sua castra digressi. Sed ubi plerumque noctis processit, Sulla a Boccho occulte arcessitur: ab utroque tantummodo fidi interpretes adhibentur: praeterea Dabar internuncius, sanctus vir et ex sententia amborum. Ac statim sic rex incipit.

Caput CX.

Numquam ego ratus sum fore, uti rex maxumus in hac terra, et omnium, quos novi opulentissumus, privato homini gratiam deberem. Et hercle, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ul-

---

7) *in sua castra.* Hoc enim colloquium in castris Bocchi, qui, ut Sulla, cum praesidio erat, habitum est. C. multa nugatur.

8) *ubi — processit* c. 21. „ubi *plerumque noctis processit.*"

9) *praeterea Dabar.* repete adhibetur. — *internuncius,* inter Bocchum et Sullam. Vid. c. 108.

10) *sanctus vir.* secretorum fidus custos.

11) *ex sententia amborum.* Sic C. e duob. Cdd.; vulgo, post *vir* legitur: *ex sententia jurat ambob.* sine sensu; quod *jurat,* e vocib. *vir et* ortum esse, C. non male opinatur.

Caput CX.

Ibi Bocchus Sullae ob benignitatem et studium (v. c. 104. extr.) gratiis actis patefacit, se bellum contra Romanos omissurum esse, si finibus suis parcerent. Se, ut Jugurtha eos intraret non passurum.

1) *opulentissumus*, quod Cdd., ut C. dicit, non agnoscunt, B. cum Ald. retinuit.

2) *gratiam deberem;* int. ob beneficia legatis meis (c. 104.) mihique ipsi, ob prudentia tua consilia.

tro egomet opem tuli, nullius indigui. Id imminutum, quod ceteri dolere ſolent, ego laetor: fuerit mihi pretium eguiſſe aliquando amicitiae tuae, qua apud animum meum nihil carius habeo. Id adeo experiri licet: arma, viros, pecuniam, poſtremo quidquid animo lubet, ſume, utere: et, quoad vives, numquam tibi redditam gratiam putaveris, ſemper apud me integra erit: denique nihil, me ſciente, fruſtra voles. Nam, ut ego exiſtumo, regem armis, quam munificentia, vinci, minus flagitioſum. Ceterum de re publica veſtra, cujus curator huc miſſus es, paucis accipe. Bellum ego populo Romano neque feci, neque factum umquam volui; finis meos advorſum armatos armis tutatus ſum. Id omitto, quando vobis ita placet: gerite, uti voltis cum Jugurtha bellum.

---

3) *imminutum*. C. explic. *ſublatum*, aut *mutatum*. Cat. c. 5. extr. „ut paullatim *immutata* (respubl.) fit."

4) *fuerit — pretium*. pro pretio mihi ſit, quod egui aliquando amicitiae tuae. C. 31. „Sed ſane fuerit regni paratio." C. *pretium* cum aliq. Cdd. expulit. B. retinuit.

5) *Id adeo* i. e. me nihil carius habere amicitia tua. cf. de *id adeo*. Cat. c. 37. n. 5.

6) *et, quoad vives* etc. et tamen numquam putes (ſ. puto), a me tibi reddita eſſe, quae debeam.

7) *integra* i. e. eodem modo comparata, ut antea fuit, nihilo deminuta.

8) Pro *exiſtumo* C, ex aliq. Cdd. *aeſtumo*. Vid. Cat. 14. n. 15.

9) *flagitioſum*. ignominioſum.

10) *curator*. c. 71. „negotiorum curator." Cic. pro Sext. c. 30. „negotii curatio."

11) Pro *tutatus ſum*, C. contra Cdd. et Edd. vett. *tutus ſum*. Cf. c. 85. n. 100.

12) *Id omitto* etc. bellum gerere omitto, ſi meis finibus parcetis.

Ego flumen Mulucham, quod inter me et Micipſam fuit, non egrediar, neque Jugurtham id intrare ſinam. Praeterea ſi quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulſus abibis.

Caput CXI.

Ad ea Sulla pro ſe breviter et modice; de pace et de communibus rebus, multis disſeruit. Denique regi patefacit, *quod polliceatur, Senatum et populum Romanum, quoniam amplius armis valuiſſent, non in gratia habituros: faciundum aliquid, quod*

---

13) *quod — fuit*. c. 92. „quod Jugurthae Bocchique regnum disjungebat." Sed *fuit* attende et cf. c. 102. n. 53.

14) *ſi quid — dignum*, i. e. ſi quid honeſti. Sentit enim Bocch., quid Romani velint, idque avertere cupit.

15) *haud repulſus abibis*. repulſam haud feres.

Caput CXI.

At Sulla Boccho reſpondet, ſi Romanorum pacem et amicitiam Numidiaeque partem cuperet, neceſſe eſſe, ut Jugurtham iis tradat. Bocchus primum tergiverſari, ſed ad poſtremum promittere, ſe omnia ex Sullae voluntate facturum.

1) *pro ſe* etc. quod attinebat officia, ob quae Bocchus gratias ei egerat, paucis de ſe et modeſtis verb. reſpondit. Liv. XXIII, 24. „Dictator de ſe pauca et *modice* locutus."

2) *et* (ante *de*) h. l. ut ſaepius i. q. *id eſt*; nam praeter pacem ejusque conditiones, nihil illis commune eſt.

3) *quod polliceatur* i. e. ſe bellum non eſſe geſturum cum Romanis, niſi laceſſitum, et Jugurthae ſocietatem relicturum.

4) *quoniam amplius* etc. quoniam armis plus valerent.

5) *non in gratia*. id non pro eo habituros, cui gratia debeatur, cum id ipſi ſibi parare poſſint. — C. cum trib. Cdd. *in gratiam*. C. 103. „dona omnia *in benignitate* habituros."

illorum magis, quam ſua, retuliſſe videretur; id adeo in promptu eſſe: quoniam Jugurthae copiam haberet: quem ſi Romanis tradidiſſet, fore, uti illi plurimum deberetur; amicitiam, foedus, Numidiae partem, quam nunc peteret, ultro adventuram. Rex primo negitare: *adfinitatem, cognationem, praeterea foedus interveniſſe: ad hoc metuere, ne fluxa fide uſus, popularium animos averteret; quis et Jugurtha carus, et Romani inviſi erant.* Denique ſaepius fatigatus lenitur et ex voluntate Sullae omnia ſe factu-

6) *retuliſſe* i. q. referret; quod Romanis potius, quam ſibi utile eſſet.

7) *id adeo* etc. (vid. 5. et Cat. c. 37. n. 5) i. e. idque illi eſſe facillimum.

8) *Jugurthae copiam hab.* Jugurthae potiundi occaſio illi eſſet.

9) *quam nunc peteret.* non, quam Jugurtha illi promiſiſſet, (nam de hoc promiſſo nihil dum Bocchus memoraverat, niſi verba, c. 102. verſ. fin. huc trahere volueris). (c. 97.) Sed quam jure belli ſuam factam dicebat (c. 102.); Atque partem Numidiae a flumine Mulucha ad Ampſagam, Jugurtha tradito Bocchus accepit. Vid. Voſſ. ad Melam I, 5.

10) *negitare.* Cdd. plures legunt *negare*, *agitare.* Sed vulgo verb. poſterius abeſt, et e *negitare* intelligitur *dicere.*

11) *interveniſſe.* (Vid. c. 80.) — i. q. *intervenire* i. e. obſtare huic conſilio. — *cognatio* Bocchi cum Jugurtha nobis ignota, *affinitas* tantum nota eſt. Vid. c. 80. Fieri poteſt, ut utrumque ob emphaſin poſitum, idem h. l. dicat.

12) *fluxa fide*, perfidia. Tacit. Hiſt. II, 75. „*fluxam* per diſcordias militum *fidem.*"

13) *erant.* Sic C. e. plurib. Cdd.; vulgo *eſſent.* Vid. c. 63. n. 3.

14) Pro *lenitur* (*läſst er ſich erbitten*) C. ex aliq. Cdd. *leniter* (i. e. placide). Bene autem Hotting. monet: hoc *leniter* Boccho *neganti* et *multum fatigato* parum convenire.

rum promittit. Ceterum ad ſimulandam pacem, cujus Numida, defeſſus bello, avidiſſumus, quae utilia viſa, conſtituunt. Ita compoſito dolo, digrediuntur.

CAPUT CXII.

At rex poſtero die Aſparem, Jugurthae legatum adpellat dicitque: *ſibi per Dabarem ex Sulla cognitum, poſſe conditionibus bellum poni, quamobrem regis ſui ſententiam exquireret.* Ille laetus in caſtra Jugurthae venit. Deinde ab illo cuncta edoctus, properato itinere, poſt diem octavum redit ad Bocchum, et ei nunciat, *Jugurtham cupere omnia, quae imperarentur, facere; ſed Mario parum fidere: ſaepe*

15) *ad ſimulandam pacem*, quomodo pacem inter Jugurtham Romanosque ſimularent.

16) *compoſito dolo.* c. 66. „compoſitis inter ſe rebus."

CAPUT CXII.

Tum Bocchus Jugurthae per Asparem nunciat, bellum conditionibus componi poſſe. Jugurtha autem renunciat, pacem tum demum ratam fore, quum inſtituto colloquio Sullam ſibi tradidiſſet.

1) *dicitque*, C. invit. Cdd. abjecit. Cf. c. 90. n. 12.

2) *ex Sulla cognitum.* Bocchus fingit, ſe haec, poſt colloquium diei ſuperioris, ubi reſponſum regis de pace, fraudulenter, in diem decimum differebatur (c. 108.) a Dabare occulte accepiſſe.

3) *conditionibus* int. nonnullis. — Pro *poni* Cdd. aliq. *componi*, alii *deponi*, Tacit Hiſt. II, 52. „*poſito* ubique *bello.*"

4) Pro *fidere* C. ex aliq. Cdd. *confidere.*

antea cum imperatoribus Romanis pacem conventam frustra fuisse. Ceterum Bocchus, si ambobus consultum et ratam pacem vellet, daret operam, ut una ab omnibus, quasi de pace, in colloquium veniretur; ibique sibi Sullam traderet. cum talem virum in potestate haberet, tum fore, uti jussu Senatus populique Romani foedus fieret: neque hominem nobilem, non sua ignavia captum, sed ob rempublicam in hostium potestate relictum iri.

---

5) *conventam* etc. i. e pacem, quae convenisset, irritam, non certam fuisse. *conventus*, i. e. qui convenit; ut *sol occasus*, qui occidit.

6) Vocem *Bocchus*, C., cum duob. Cdd. omisit.

7) *pacem vellet*, si id vellet, quod ambobus consultum (utile s. commodum) esset, et pacem certam. — *ratum* enim est, quod *decretum* ideoque certum est.

8) *in colloq. veniretur*. Cf. c. 113., ubi eadem fere verba. Hinc C. ea pro glossa habet.

9) *in potestate haberet*. C. e trib. Cdd. *in potestatem* (per archaismum) dedit. Vid. Cat. 19. n. 7.

10) *tum fore* etc. *tum* C. omisit et pro seq. *populique Romani* legit: atque populi Rom.

11) *captum* e trib. Cort. Cdd., cum B. recepi, ne nimis luxata esset oratio. Captos in bello, per ignaviam, Romani redimere non solebant. Vid. Liv. XXII, 59. init.

12) *relictum iri* proprie: *dass man nicht gehe zu verlassen*; quod ideo moneo, ut causa hujus constructionis, quae Romanis propria est, patefacta, ab errore nos tutos servet. Nam si formulam: *credo, sorores tuas laudatum iri*, sic solvis: *ich glaube, dass man gehe, deine Schwestern zu loben* (i. q. *dass sie werden gelobt werden*), et sic ubique facies, numquam tibi in mentem veniet, illud *laudatum* diverso substantivi generi ac numero accomodare. Francogalli: *je vais louer*.

CAPUT CXIII.

Haec Maurus secum ipse diu volvens, tandem promisit. ceterum dolo, an vere cunctatus, parum comperimus. Sed plerumque regiae voluntates, ut vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. Postea, tempore et loco constituto, in colloquium uti de pace veniretur Bocchus Sullam modo, modo Jugurthae legatum adpellare, benigne habere, idem ambobus polliceri. Illi pariter laeti, ac spei bonae pleni esse. Sed nocte ea, quae proxuma fuit ante diem colloquio decretum, Maurus adhibitis amicis,

---

CAPUT CXIII.

Haec Bocchus promittit; sed consilio saepius mutato ad postremum Jugurtham Sullae tradit.

1) Vocem *cunctatus*, (int. *sit*) Grut. suspectam, C. invitis Cdd. delevit. Sed Bocchus, ut statim seqq. docent, valde *cunctatur* Sullam tradere, quamquam promiserat, et tandem Jugurtham tradit. Hinc vox *cunctatus*, sensui non contraria est, sed valde accommodata ideoque contra Cdd. non expellenda.

2) Verba: *in colloq. — veniretur* C. tamquam gloss. inclusit; non cogitans, neminem per se intelligere h. l. posse, cui rei, cum plures esse possint, locus et tempus sit constitutum, nisi hoc adjectum sit. Intelligitur autem colloquium, quod Jugurtha postulaverat. c. 112. n. 8.

3) *Jugurthae legatum*. Asparem.

4) *benigne habere*. tractare, colere. c. 103. n. 18. „accurate ac liberaliter *habuit*."

5) *idem ambobus pollic.* Sullae, sese Jugurtham traditurum, Aspari, Sullam.

6) *esse*, post *pleni*, C. cum uno Cd. delevit.

7) *sed nocte ea* etc. Sed nocte ultima ante diem, quo colloquium int. Bocch., Jugurth. et Sullam constitutum erat.

ac ſtatim immutata voluntate remotis ceteris, dicitur ſecum ipſe multa agitaviſſe, voltu corporis pariter atque animo varius: quae ſcilicet, tacente ipſo, occulta pectoris patefeciſſe. Tamen poſtremo Sullam arceſſiri jubet, et ex ejus ſententia Numidae inſidias tendit. Deinde, ubi dies advenit, et ei nunciatum eſt, Jugurtham haud procul abeſſe: cum paucis amicis et Quaeſtore noſtro, quaſi obvius honoris cauſa, procedit in tumulum, facillumum viſu inſidiantibus. Eodem Numida cum pleriſque ne-

8) *immutata voluntate.* Mutatio voluntatis in eo eſt, quod primum amicos (cf. infra) in conſilium vocat, ſed mox dimittit et ſecum ſolus deliberat.

9) *ceteris* (i.e. omnibus reliquis amicis.) cui oppoſitum eſt ſeq. ipſe ſolus C. cum uno Cd. proturbavit; quod, etſi non valde deſideratur, tamen locum ſuum retinere poteſt.

10) *varius.* Obiter moneo, pro *varius* h. l. dici quoque poſſe *varium*, prout, vel ad *dicitur*, vel ad *agitaviſſe* referras. Simili modo dicere licet: nihil magis opus eſſe, quam *pecunia* (quod pendet ab *opus* cum ablat.) vel: quam *pecuniam* (quod pendet ab *opus* cum nominativo et infinit. *eſſe*). Nepos Pauſ. c. 5. „dicitur *matrem* vixiſſe."

11) *pectoris* pro *et oris* ſ. *oris* ſine *et*, ut vulgo legitur, C. e plurib. Cdd. recepit.— B. dedit: *qua re*, ſcilicet tacente ipſo, etc. E reliqua Cdd. variatione conjicere poſſis: *quae — occultam pectoris immutationem patefeciſſent.*

12) *patefeciſſe* i. q. eaque omnia, etſi ipſe taceret, patefeciſſe *dicunt* ſ. ſcire licet etc. (quod poſtremum e *dicitur* depromend. eſt). —

13) *arceſſiri* i. q. arceſſi. Vid. c. 62. n. 6.

14) *haud procul abeſſe* int. ad colloquium hoc die conſtitutum.

15) *facillumum viſu* etc. i. e. qui collis iis, qui in inſidiis, ad capiend. Jugurth. collocati erant facillime conſpici poterat. De *viſu* vid. Catt. 5. n. 8.

ceſſariis ſuis, inermis, ut dictum erat accedit; ac ſtatim, ſigno dato, undique ſimul ex inſidiis invaditur. Ceteri obtruncati, Jugurtha Sullae vinctus traditur, et ab eo ad Marium deductus eſt.

Caput CXIV.

Per idem tempus advorſum Gallos ab ducibus noſtris, Q. Caepione et M. Manlio male pugnatum.

16) *inermis*, C. tacite mutavit in *inermus*. Vid. c. 94. n. 13. Poſt *dictum* (i. q. conſtitutum ſ. compoſitum) C. *erat* omiſit.

17) *Ceteri.* Jugurthae comites et amici.

18) *eſt* (poſt *deductus*) C. iterum transfixit. — Flor. III, 1. fin. „Jugurtham in triumpho populus Rom. adſpexit." Plutarch. (Mar. c. 12. T. II, p. 824.) adjicit: illum, ante currum triumphalem ductum, ſana mente (ut perhibent) privatum eſſe; poſt triumph. in carcerem conjectum atque, tunica antea a quibusdam dilacerata, et auricula cum aurea inaure temere avulſa, nudum detruſum exclamaſſe: *Papae, quam frigidum eſt hoc veſtrum balneum!*

Caput CXIV.

Quamquam vero Romani in hoc, ſicuti in aliis antea bellis ſuperiores diſceſſerant, tamen circa idem tempus a Germanis victi ſunt, donec Marius, in quo poſtea omnis civitatis ſpes ſita erat, etiam de his hoſtibus triumphavit.

1) *per idem tempus*, 648. a. u.

2) *Gallos* i. e. *Germanos*, fuerunt enim Cimbri et Teutones, quibus ſe adjunxerant Ambrones et Tigurini (Galli) utrique a Graecis *Celtae*, a Roman. *Galli* dicti (nam nomen *Germani* ſerius fuit (Tacit. germ. c. 2.) (vid. Duck. ad Flor. III. 1. 1.) qui, ut Flor. l. c. narrat, ab extremis *Galliae* profugi et novas ſedes quaerentes, cum apud Romanos precibus nihil valerent, ad arma confugerunt. „Sed nec primum quidem impetum barbarorum *Silanus*," nec ſecundum *Mallius*, (cos. 649) nec tertium *Caepio* (cos. 648.) ſuſtinere potuerunt. Omnes fugati, caſtris exuti. Actum

quo metu Italia omnis contremuerat. Illique et inde usque ad noſtram memoriam Romani ſic habuere: alia omnia virtuti ſuae prona eſſe; cum Gallis pro ſalute, non pro gloria certare. Sed poſtquam bellum in Numidia confectum, et Jugurtham vinctum adduci Romam nunciatum eſt; Marius Conſul abſens factus eſt, et ei decreta provincia Gallia. isque Kalendis Januariis magna gloria Conſul triumphavit. Ex ea tempeſtate ſpes atque opes civitatis in illo ſitae.

---

erat', ni Marius illi ſeculo contigiſſet." Cic. Orat. de Provinc. Conſular. c. 13. init. „Marius—influentes *Gallorum* maximas cop. repreſſit." Cf. Vellej. II, 8. et 12.

5) *Illique* etc. i. e. et quum illius, tum omnis ſequentis temporis Romani ſic judicarunt, a quo poſtremo verbo ſequens accuſat. cum infinitivo (*omnia eſſe*) pendet. — *usque* C. delevit. Equidem veſtigia Cdd. ſervans ſic legerem: *illique et omnes usque ad noſtram memor. Romani.*

4) *cum Gallis* etc. i. e. cum Germanis victoriam difficillimam eſſe; nec valde glorioſam. Cic. Off. I, 12. „Cum Cimbris bellum, ut cum inimicis gerebatur, uter *eſſet* non uter *imperaret*."

5) *Marius Conſul* etc. int. iterum 649. a. u. Cf. c. 82. n. 5. — *abſens* ad fingular. favorem pertinet, cum alioquin abſentis haud facile ratio haberetur.

6) *provincia Gallia* i. e. Gallia ei tradita eſt, ut bellum ibi contra Cimbros etc. gereret.

7) *Kalendis Jan.* anni 650. a. u. Vellej. l. c. „C. Marius, ſecundi conſulatus initio Kalend. Jan. eum (Jugurth.) in triumpho duxit." Vid. n. 2.

8) *Ex* (ante *ea*) C. cum plurib. Cdd. delevit.

9) *ſitae.* Nonnulli Cdd. addunt *ſunt.*

I.

INDEX
NOMINUM PROPRIORUM.

(Litera *C. Catilinam*, *J. Jugurtham*, *numeri* capita indicant.)

A.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

II.

INDEX GRAMMATICUS.

Litera C. *Catilinam*, J. *Jugurtham*, Numerus prior *Caput*, poſterior *Notam* ſignificant.

HALAE, TYPIS GEBAUERIANIS.